bound

PII IX

PONTIFICIS MAXIMI

ACTA

PARS PRIMA

VOL. III.

ROMAE
MDCCCLXIV

PII IX
PONTIFICIS MAXIMI
ACTA

PARS PRIMA

VOL. III.

ACTA EXHIBENS QUAE AD ECCLESIAM UNIVERSAM SPECTANT



EX TYPOGRAPHIA BONARUM ARTIUM
HABITA FACULTATE

LITTERÆ APOSTOLICÆ

QVIBUS

AEDES SUMPTIBUS PONTIFICIS IN REGIONE TRANSTIBERINA EXSTRUCTAE VALETUDINARIO S. JOANNIS IN LATERANO ATTRIBUUNTUR PRO EXCIPIENDIS PAUPERIBUS FEMINIS DIUTURNO MORBO CONFLICTATIS.

PIUS PAPA IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Insignia inter ac prope innumera christianae caritatis Instituta, quibus Romani Pontifices Praedecessores Nostri nullis neque curis, neque consiliis, neque sumptibus parcentes hanc almam Urbem ornare ac ditare nunquam destiterunt, ad omnes cuiusque generis pauperum calamitates sublevandas, refulget sane celebre et vetustissimum Valetudinarium, cui a S. Joanne nomen, in Laterano excitatum. Ibi enim miserae aegrotantes feminae excipiuntur, omnibusque cum medicae artis, tum sanctissimae nostrae religionis praesidiis sedulo, diligenterque procurantur, quo et pristinam corporis sanitatem recuperare, et animae saluti consulere possint. Cum autem vel maxime cupiamus, ipsum Valetudinarium ampliori censu pollere, ut in posterum maiori numero excipere et commode alere valeat illas quoque egenas mulieres, quae diuturno aliquo conflictantur morbo, vulgo *croniche*, quarum tristissimam conditionem summopere miseramur, tum libentissimo prorsus animo consilium

suscepimus, aliquem annuum reditum eidem Valetudinario ob hanc causam attribuere. Et quoniam in regione Transtiberina vico nemorensi, vulgo *delle Fratte*, novas aedes sumptibus Nostris ea sane mente exstruendas curavimus, ut aedes ipsae indigentibus familiis modica pensione annua locentur, iccirco easdem aedes, et omnem aream illis adiectam, ac muro cinctam commemorato Valetudinario dandas esse constituimus. Itaque hisce Litteris motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione Nostra praedictas omnes aedes Nostris impendiis in regione Transtiberina conditas una cum area muro cincta perpetuum in modum Valetudinario S. Joannis in Laterano concedimus, damus, adsignamus, donamus, iis tamen legibus, oneribus et obligationibus, ut idem Valetudinarium tot pauperes mulieres assidua invaletudine afflictas, vulgo *croniche*, gratis omnino excipere, curare, alere, omnique subsidio iuvare perpetuo teneatur, quot ex annuo earumdem aedium reditu, omnibus demptis impendiis, et oneribus, in ipso Valetudinario commode possint excipi ac sustentari, utque earumdem aedium locatio modica omnino sit, cum illae a Nobis exstructae fuerint pro miseris familiis, quae aedes ipsas incolere queant. Jam vero ius nominandi et eligendi has inopes feminas longo morbo vexatas, et in ipsum Valetudinarium admittendas concedimus et attribuimus perpetuum in modum Parochorum Collegio huius Nostrae almae Urbis, ea tamen lege, ut huiusmodi electio seu nominatio sub ductu et imperio Cardinalis Nostri in Urbe Vicarii, vel Antistitis Vicesgerentis ab eodem Collegio semper sit peragenda, alternis circa paroecias ser-

vatis vicibus. Ad omnem vero quaestionem penitus amovendam, quae de hac nominatione quovis modo in posterum posset oriri, iubemus accurate servari normam a Venerabili Fratre Nostro Constantino Episcopo Albano S. R. E. Cardinali Patrizi in hac alma Urbe Nostra eiusque districtu Vicario in spiritualibus generali, et a Venerabili Fratre Antonio Aloisio Archiepiscopo Iconiensi Vicesgerente hac super re statutam, et a Nobis die nono huius mensis sancitam atque adprobatam.

Si autem (quod nunquam eventurum confidimus) contigerit, ut ab eiusdem Valetudinarii Moderatoribus et Curatoribus minime serventur, et impleantur ea, quae hisce Nostris Litteris constituimus, quaeque firma et immota esse volumus tum circa excipiendas enunciatas feminas, tum circa modicam pensionem, qua praedictae aedes Nostris sumptibus exstructae sunt locandae, iam nunc declaramus, volumus ac decernimus, ut ipsae aedes, earumque area et reditus statim ipso iure devolvantur ad Hospitium Apostolicum S. Michaelis archangeli ad ripam maiorem cum eodem tamen onere, et obligatione gratis recipiendi et alendi tot pauperes feminas diuturno morbo conflictatas, vulgo *croniche*, quot earumdem aedium reditibus sustentari poterunt, ac servata pariter conditione exigendi modicam pensionem quoad illarum aedium locationem. Atque ubi id evenerit, volumus, ut eiusdem Apostolici Hospitii in tempore Praeses iure polleat nominandi praedictas feminas, collatis tamen semper consiliis cum Cardinali in Urbe Vicario, Vicesgerente, et Parochorum Collegio. Denique eumdem Venerabilem Fratrem Nostrum Con-

stantinum Episcopum Albanum Cardinalem Patrizi Nostrum in hac Urbe Vicarium eligimus, constituimus ac deputamus, ut has Nostras Litteras exequatur, et iccirco ipsi omnes opportunas ac necessarias facultates tribuimus et impertimus.

Haec volumus, statuimus, concedimus, praecipimus, et mandamus decernentes has Nostras Litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes, et habere praetendentes vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel alio quovis etiam substantiali defectu notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari, vel in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque iuris vel facti, aut iustitiae remedium impetrari posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, ac obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari, ac supradicto Valetudinario S. Joannis in Laterano et commemorato Hospitio Apostolico, nec non personis, quarum favorem praesentes Nostrae Litterae concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, neque ad probationem seu verificationem quorumcumque in iisdem praesentibus narratorum unquam teneri, nec ad id in iudicio vel extra cogi, seu compelli posse, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel igno-

ranter contigerit attentari, irritum et inane esse ac fore volumus et declaramus.

Non obstantibus, quoties opus fuerit, de iure quaesito non tollendo, aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae Regulis, et commemorati Valetudinarii ac Hospitii etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, concessionibus, aliisque omnibus quamvis expressa, specifica et individua mentione ac derogatione dignis, quibus omnibus et singulis eorum totis tenoribus, ac formis praesentibus pro insertis habentes ad praemissorum dumtaxat effectum latissime et plenissime, ac specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris di XI Januarii Anno MCCCLVIII.

Pontificatus Nostri Anno Duodecimo

V. P. CARD. SPINOLA PRO-DATARIUS

Pro Magistro Brevium
A. Willaume Officialis deputatus

FRANCISCUS VICI SUB-DATARIUS

Loco ✠ Signi

VENERABILIBVS FRATRIBVS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS ALIISQVE LOCORVM ORDINARIIS VTRIVSQVE SICILIAE REGNI.

PIUS PP. IX.

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Cum nuper annua festiva celebritate sacratissimus, et ad recordationem multo iucundissimus dies rediret, quo Vnigenitus Dei Filius propter nimiam, qua Nos dilexit, caritatem de caelesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens, in similitudinem hominum factus, ex immaculata beatissimaque Virgine Maria nasci voluit, vestras humanissimas accepimus Litteras quibus, Venerabiles Fratres, singularem vestram erga Nos et hanc Petri Cathedram pietatem, amorem et observantiam denuo luculenter profitentes significatis, nihil Vobis potius esse, quam assiduis fervidisque precibus Deum Optimum Maximum orare, ut humilitatis Nostrae Personam gravissima omnium Ecclesiarum sollicitudine laborantem omnipotenti sua virtute adiuvet, roboret, confirmet, ac salvam incolumemque diutissime servet, omnique cumulet prosperitate ad maiorem sancti sui nominis gloriam, et animarum salutem. Qui egregii religiosissimae vestrae mentis sensus, semper Nobis gratissimi, ita paternum animum Nostrum affecerunt, ut Vobis omnibus in isto utriusque Siciliae Regno pastorale munus obeuntibus hanc Encyclicam Epistolam praecipuae Nostrae in Vos caritatis testem uno eodemque tempore scribere voluerimus; ut magis magisque intelligatis quanta Vos caritate in Do-

mino prosequamur, et quantopere de Vobis, deque fidelibus curae vestrae commissis solliciti simus. Equidem, Venerabiles Fratres, verbis exprimere haud possumus acerbissimum sane dolorem, quo affecti fuimus vix dum novimus, superiori mense Decembri plura istius Regni oppida maximis terraemotibus adeo fuisse conquassata, ut quamplurimi cadentium moenium ruinis miserandum in modum obruti, extincti ac sepulti fuerint cum summo Carissimi in Christo Filii Nostri Ferdinandi II. Regis moerore, qui pro egregia sua christiana caritate, et in subditos sibi populos affectu nullis curis, consiliis ac sumptibus parcens omnem statim opem auxiliumque afflictis ac prostratis eorumdem oppidorum populis afferre, eorumque deplorandam conditionem sublevare non destitit. Vbi primum tristissimi de tanta calamitate nuncii ad Nos pervenerunt, nulla interposita mora levavimus oculos Nostros ad Dominum divinam Eius misericordiam pro miseris illis populis in humilitate cordis Nostri impensissime implorantes, et obsecrantes, ut sanaret contritiones terrae, cuius fundamenta tam terribili modo commota et conturbata fuerant.

Sed cum notissima Vobis sint divina sacrarum litterarum eloquia, quae clare aperteque docent, eiusmodi Dei flagella culpis hominum provocari, tum pro officii Nostri munere episcopalem vestram sollicitudinem etiam atque etiam in Domino excitamus, Venerabiles Fratres, ut omnes ministerii vestri partes sedulo ac strenue implentes nihil antiquius habere velitis, quam omni studio ac zelo fideles curae vestrae commissos a vitiis et peccatis deterrere, eos-

que ad virtutis, iustitiae ac religionis semitas adducere. Et quoniam cum maximo Nostro, vestroque luctu nonnulli in isto Regno reperiuntur ecclesiastici viri, qui propriae vocationis plane obliti improbanda, ac vituperabili eorum vivendi ratione, Dei indignationem concitant, et christiano populo causa mortis existunt, cui duces ad vitam esse deberent, iccirco invectas in Cleri mores corruptelas, abusionesque convellere, eiusque disciplinam ad sacrorum canonum normam sartam tectamque tueri ac fovere studiosissime contendite. Nihil unquam intentatum relinquite, ut iuniores Clerici vel a teneris annis ad pietatem, religionem et ecclesiasticum spiritum mature instituantur, atque ad optimas artes, et severiores disciplinas ac praesertim ad solidam incorruptamque theologicarum rerum, sacrorumque Canonum scientiam informentur. Atque in primis Apostoli praeceptum prae oculis semper habentes, diligentissime cavete, ne cito manus cuipiam unquam imponatis, et in sacris conferendis Ordinibus summam curam, cautionemque impendite. Absit, Venerabiles Fratres, ut in tanti momenti re aliquis ex Vobis sit, qui alienis officiis, studiis, gratiae, humanisque rationibus indulgens velit unquam illos in Clerum cooptare, et ad ecclesiasticos gradus, et Ordines promovere, qui minime pollentes dotibus per sacros Canones praescriptis sunt omnino a sacro ministerio reiiciendi. Etenim probe nostis quam gravem culpam committat, quantum Ecclesiae damnum afferat, et quam districtam, ac plane tremendam Christo Domino rationem reddere debeat, qui indignos sacris Ordinibus initiare non pavet. Quocirca, Venerabiles Fratres, pro egregia vestra religione in ad-

mittendis, adprobandisque Clericis nihil Vobis potius sit quam sapientissimas ac providentissimas Sacrorum Canonum praescriptiones studiosissime servare, et accurata investigatione, et examine noscere ac perpendere cuiusque Clerici originem, institutionem, indolem, ingenium, doctrinam, atque eos dumtaxat sacris Ordinibus decorare, divinisque mysteriis tractandis admovere, qui sedulo diligenterque probati, virtutum omnium ornatu, ac salutaris doctrinae laude, et vero ecclesiastico spiritu spectati vestris Dioecesibus usui et ornamento esse possint, quique sedulo declinantes ab iis omnibus, quae Clericis vetita, quaeque eos nequaquam decent, exemplum sint fidelium *in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate.* In illorum autem praecipue mores, probitatem, integritatem, pietatem, scientiam ac prudentiam inquirite, quibus animarum cura, ac regimen est committendum. Ac semper advigilate, ut Parochi proprio munere naviter, scienter sancteque fungentes nunquam intermittant christianam plebem sibi traditam sedulo pascere divini verbi praeconio, Sacramentorum administratione, et multiformis gratiae Dei dispensatione, ac pueros praesertim rudesque homines sanctissimis divinae nostrae religionis mysteriis, ac praeceptionibus diligenter imbuere, eosque ad pietatem, omnemque virtutem fingere. Cognoscitis enim quomodo cum maximo rei sacrae et publicae damno mores omnino prolabantur, et christiana laxetur disciplina, et religionis cultus convellatur, et vitia omnia in populos invehantur, si Parochi vel proprium officium agere nesciant, vel illud exercere negligant. Cum autem singulari quoque vigilantia Vobis excubandum sit, ut utriusque sexus iu-

ventus in timore ac lege Domini educetur, atque ad honestatem formetur, tum summopere Vobis cordi sit publicas privatasque scholas diligenter inspicere, et intentissimo studio curare, ut iuventus ipsa ab omni periculo amota sanam ac prorsus catholicam habeat institutionem. In id omnes pastoralis vestrae sollicitudinis nervos intendite, cum haud ignoretis, ex recta iuventutis educatione christianae et civilis reipublicae prosperitatem maxime pendere, ac simul noscatis, nefarias multiplicesque artes, quibus, in hac tanta temporum iniquitate, Dei hominumque hostes improvidam potissimum iuventutem pervertere et corrumpere connitantur. Ne omittatis pari sedulitate fideles Vobis commissos catholicae veritatis doctrina quotidie magis tum voce, tum scriptis erudire, eosque a tot serpentium errorum contagione defendere, ac monere, ut in sanctissimae nostrae fidei professione stabiles et immoti persistant, Dei, eiusque sanctae Ecclesiae leges diligentissime observent, et nunquam se decipi, et in errorem induci patiantur a perversorum dogmatum cultoribus. Cum autem pestilentissimi libri e tenebris emersi undique erumpant, quibus peritissimi fabricatores mendacii perversis pravisque cuiusque generis opinionibus omnium animos mentesque depravare, ac divina et humana permiscere, et christianae civilisque reipublicae fundamenta labefactare adnituntur, tum, Venerabiles Fratres, episcopali vestro zelo viriliter pugnate, ut hanc exitialem, teterrimamque librorum pestem a vestro grege quam longissime arceatis, ac propulsetis. Et quo facilius ac tutius sanam doctrinam, bonosque mores tueri, omnemque errori et corruptioni aditum obstruere possitis,

ne praetermittatis accurate inspicere libros omnes, et illos praesertim, qui de philosophicis, theologicis sacrisque rebus, ac de iure tum canonico, tum civili agunt. Nostis autem episcopalis quoque vestri muneris esse veneranda Ecclesiae iura constanter tutari et vindicare, eiusque bona tueri, ac rectae illorum administrationi sedulo consulere, ac summopere cavere, ut pia Missarum praesertim legata, et onera accurate serventur, ac religiose impleantur, quavis fraude, turpique lucro penitus amoto. Neque Vos praeterit qua solertia ac sagacitate prospicere debetis, ut in episcopali cuiusque vestrum Curia negotia omni iustitia, aequitate et honestate tractentur. Itaque, Venerabiles Fratres, sedulo curate, ut in episcopalibus vestris Curiis ii tantum versentur viri, qui vitae integritate, rerumque gerendarum peritia probati demandata sibi a Vobis munera scite, honesteque obire possint. Atque hic a Vobis vehementer exposcimus, ut ecclesiasticas causas ad vestra Tribunalia ex Sacrorum Canonum praescripto et Conventionis vi pertinentes cum maxima diligentia et examine noscatis, iudicetis, ac simul contendatis, ut sententiae debitam executionem omnino habeant, et in hunc finem, quoties opus fuerit, civilis potestatis opem auxiliumque imploretis. Iam vero cum Regulares viri Episcopis dati sint adiutores in Dominicae vineae cultura, veluti monet immortalis memoriae Benedictus XIV. Decessor Noster (1), tum quantum in Vobis est, ne intermittatis Religiosos ipsos viros monere, et exhortari, ut illustria Patrum suorum vestigia sectantes, exempla aemulantes, quae Deo vo-

(1) Constit. « Impositi Nobis. » III Kal. Martii 1746.

verunt, religiosissime reddere studeant, vitamque san ctissime agant, ex proprii Instituti legibus, ac Vobis, vestroque gregi, qua verbo, qua exemplo, qua precibus utilem operam navent.

Praecipuo etiam pastoralis vestrae sollicitudinis et caritatis studio Virgines Deo sacras respicite, quae sunt selecta pars gregis, flos ecclesiastici germinis, decus et ornamentum gratiae spiritualis, omnemque illis operam et adiumenta praebete, ut memores sanctae vocationis qua ipsas Deus vocavit, ab humanis oculos plane avertant, ad caelestia semper attollant, et quotidie magis euntes de virtute in virtutem contendant bonum Christi undique diffundere odorem. Atque ab egregia vestra religione enixe postulamus, ut semper prae oculis habere, serio considerare, et omnino exequi velitis, quae idem Benedictus XIV Praedecessor Noster provide sapienterque monet, edocet ac statuit in sua Constitutione de designandis Confessariis extraordinariis pro Monialibus (1).

Denique, Venerabiles Fratres, ut sanctissimae nostrae religionis bono et commendatarum Vobis ovium saluti magis ac magis consulere valeatis, summopere optamus ut Provincialia Concilia ex Sacrorum Canonum praescripto concelebranda curetis. Etenim probe intelligitis, hoc sane pacto Vos, et collatis inter Vos consiliis, et rebus omnibus mature perpensis, posse facilius et consultius opportuna malis adhibere remedia, et vestrarum Dioecesium prosperitati providere, et Dioecesanas deinde cogere Sy-

(1) Constit « Pastoralis curae » Nonis Augusti an. 1748.

nodos, quae ex Canonicis Sanctionibus a Vobis sunt habendae. Et cum in isto Regno nonnulli existant Archiepiscopi, qui Suffraganeis carent, et aliqui adsint Episcopi, qui istic Metropolitanum non habent, atque iccirco Provinciale Concilium agere haud possunt, eorumdem Sacrorum Antistitum prudentiae erit omnia locorum, rerum ac temporum adiuncta diligenter ponderare, ut cum illis Episcopis ad huiusmodi Concilium habendum una simul conveniant, cum quibus magis in Domino expedire censuerint, sine tamen vel minima immutatione quoad Ecclesiarum statum, ac sine ullo prorsus detrimento iurium ac privilegiorum, quibus ipsi Sacrorum Antistites legitime gaudent ac potiuntur.

Habetis, Venerabiles Fratres, quae pro singulari Nostra erga Vos, et fideles curae vestrae traditos benevolentia Vobis nunc prae ceteris significanda existimavimus. Ac plane non dubitamus, quin ob perspectam vestram religionem hisce Nostris paternis votis monitisque omni sedulitate eo libentius satisfacere velitis, quod Vobis Carissimus in Christo Filius Noster Ferdinandus II. utriusque Siciliae Rex Illustris adiutricem suam manum nunc porrigit, qui, uti confidimus, pro spectata sua pietate efficiet, ut secundum Nostra desideria in suo Regno Ecclesia omni fruatur libertate, et omnia sua exerceat iura, quibus Ecclesia ipsa ex Dei ordinatione, et Sacrorum Canonum sanctione pollere omnino debet. Interim vero divitem in misericordia Deum humiliter, enixeque oramus et obsecramus, ut uberrima quaeque suae bonitatis dona super Vos propitius semper effundat, vestrisque pastoralibus curis, consiliis, labo-

ribus benedicat, quo fideles Vobis concrediti quotidie magis fortes in fide declinent a malo, et faciant bonum, et crescentes in scientia Dei et cognitione Domini Nostri Iesu Christi ambulent digne Deo per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes. Atque horum auspicem, et certissimum studiosissimae Nostrae in Vos voluntatis pignus accipite Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque istarum Ecclesiarum Clericis, Laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 20. Ianuarii Anno 1858.

Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS.

PIUS PAPA IX.

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Amantissimi Redemptoris Nostri Christi Jesu Unigeniti Filii Dei tanta fuit erga homines benignitas et caritas, ut, veluti optime nostis, Venerabiles Fratres, humana indutus natura non solum saevissimos pro nostra salute cruciatus, atrocissimamque crucis mortem perpeti, verum etiam in augustissimo sui corporis, sanguinisque sacramento nobiscum semper morari, ac nos peramanter pascere et nutrire voluerit, quo ipse in caelum rediens ad dexteram Patris nos et sui numinis praesentia, et tutissimo spiritualis vitae praesidio communiret. Neque contentus nos tam insigni, ac plane divina dilexisse caritate, beneficia beneficiis cumulans, suique in nos amoris divitias profundens effecit, ut probe intelligeremus, quod cum dilexisset suos in finem dilexit eos. Namque se aeternum Sacerdotem esse declarans secundum ordinem Melchisedech, suum in Catholica Ecclesia Sacerdotium perpetuo instituit, et illud idem Sacrificium, quod ipse ad universum humanum genus a peccati iugo, ac daemonis captivitate vindicandum et redi-

mendum in ara crucis, pretiosissimo suo sanguine effuso, semel peregit, pacificans sive quae in caelis sunt, sive quae in terra, usque ad consummationem saeculi permanere decrevit, et quotidie fieri, ac renovari iussit per Sacerdotum ministerium, sola offerendi ratione diversa, ut salutares uberrimique suae passionis fructus in homines semper redundarent. Siquidem in incruento Missae sacrificio, quod conspicuo Sacerdotum ministerio peragitur, illa ipsa vivifica litatur victima, quae Deo Patri nos reconciliavit, quaeque omnem merendi, placandi, impetrandi, ac satisfaciendi vim habens « illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis iam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur » (1). Atque haec est munda illa oblatio, quam nulla offerentium indignitas ac malitia inquinare unquam potest, et quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, a solis ortu usque ad occasum in omni loco mundam offerendam esse praedixit (2). Quae quidem oblatio ineffabili prorsus fructuum ubertate redundans praesentem aeque ac futuram vitam complectitur. Ea enim oblatione placatus Deus gratiam, donumque poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit, ac licet peccatis nostris graviter offensus ab ira ad misericordiam, a iustae animadversionis severitate

(1) S. Gregor. M. Dialog. lib. 4 cap. 58.
(2) Malach. cap. 1.

ad clementiam traducitur; ea temporalium poenarum reatus et obligatio dissolvitur; ea defunctorum in Christo animae nondum ad plenum purgatae sublevantur, ea obtinentur quoque temporaria bona, si tamen potioribus non officiant; ea Sanctis, et in primis Immaculatae Sanctissimaeque Dei Genitrici Virgini Mariae eximius quidam honor, cultusque conciliatur. Quocirca ex Apostolorum traditione divinum Missae sacrificium offerimus « pro communi Ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, militibus, sociis, pro iis, qui infirmitatibus laborant, qui afflictionibus premuntur, et universim pro omnibus, qui opis indigent, et pro defunctis in purgatorio degentibus, maximum hoc credentes adiumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram iacet victima » (1).

Cum igitur nihil sit maius, nihil salutarius, nihil sanctius, nihil divinius incruento Missae sacrificio, quo idem corpus, idem sanguis, idem Deus et Dominus Noster Iesus Christus Deo pro omnium salute in altari per Sacerdotes offertur, et immolatur, iccirco Sancta mater Ecclesia tanto divini sui Sponsi ditata thesauro nunquam destitit omnem curam, operam, diligentiamque in id conferre, ut tam tremendum mysterium a Sacerdotibus, quanta maxima fieri posset, interiore cordis munditia ac puritate perageretur, debitoque sacrarum caeremoniarum, ac rituum apparatu, cultuque celebraretur, ut ipsius mysterii magnitudo et maiestas vel externa quoque specie

(1) S. Cyril. Hierosol. Cateches. 23 Mystag. 5 de sacra Liturg.

magis eluceat, et fideles ad rerum divinarum, quae in tam admirabili ac venerando Sacrificio occultae continentur, contemplationem excitentur. Ac pari sollicitudine, studioque ipsa pientissima Mater nunquam cessavit suos fideles filios commonere, hortari, et inflammare, ut ea, qua oportet, pietate, veneratione devotione ad hoc divinum Sacrificium frequentissime convenirent, praecipiens, ut eidem omnibus de praecepto festis diebus ipsi interesse omnino deberent, animis ad illud oculisque religiosissime intenti, quo divinam exinde misericordiam, omniumque bonorum copiam sibi felicissime comparare possent.

Iam vero cum omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituatur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, tum pro egregia vestra sapientia apprime cognoscitis, Venerabiles Fratres, sacrosanctum Missae sacrificium ab animarum pastoribus esse applicandum pro populo eorum curae commisso, et huiusmodi obligationem ex Divino praecepto descendere iuxta Concilii Tridentini doctrinam, cum idem Concilium disertissimis, gravissimisque verbis edoceat « *praecepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre* » (1). Notissimae quoque Vobis sunt felicis recordationis Benedicti XIV Decessoris Nostri Litterae die 19 Augusti anni 1744 datae (2), quibus de hac obligatione copiose, sapienterque loquens, ac Tridentinorum

(1) Concil. Trid. Sess. 23. Cap. 1. De Reformat.

(2) Bened. XIV. Litt. Encycl. « Cum semper oblatas » Die 19 Augusti 1744.

Patrum mentem uberius explicans et confirmans, ad omnes controversias, quaestiones dubitationesque amovendas, clare aperteque declaravit et constituit, parochos, aliosque omnes animarum curam actu habentes debere Missae sacrificium pro populo sibi concredito peragere omnibus Dominicis aliisque de praecepto festis diebus, et illis etiam, quibus ipse in nonnullis Dioecesibus dierum de praecepto festorum numerum imminuens permiserat populis in servilia opera incumbere, sed caverat tamen, ut ipsi populi obligationi de Sacro audiendo satisfacere deberent Non mediocri certe iucunditate perfundimur, Venerabiles Fratres, cum ex relationibus, quas de vestrarum Dioecesium statu cum summa vestri nominis laude, ac pari animi nostri gaudio ad Nos, et hanc Apostolicam Sedem, veluti officii vestri ratio postulat, mittendas curatis, agnoscamus, animarum curatores huiusmodi sui muneris obligationem diligenter implere Dominicis et aliis, qui adhuc ex praecepto servantur, diebus, quibus Missae sacrificium pro populo sibi tradito celebrare haud omittunt. Sed minime ignoramus, pluribus in locis id a parochis iamdiu praetermitti solere aliis illis diebus, qui antea veluti festi de praecepto erant colendi iuxta Constitutionem felicis memoriae Urbani VIII Decessoris pariter Nostri (1), et quibus haec Apostolica Sedes annuens variis Sacrorum Antistitum postulationibus, ac prae oculis habens causas, rationesque ab ipsis expositas, dum imminuit festos de praecepto dies, non solum permisit, ut

(1) Urban. VIII. Constit. « Universa per orbem » ibid. Septembr. 1642.

populi servilibus operibus vacare possent, verum etiam indulsit, ut ipsi ab obligatione audiendi Sacrum essent exempti. Ubi enim haec benigna Santae Sedis Indulta in lucem prodierunt, statim plurium regionum parochi existimantes, se hisce diebus ita reductis solutos esse ab obligatione peragendi Sacrum pro populo, obligationem ipsam implere plane neglexerunt. Hinc porro invaluit consuetudo, ut earumdem regionum parochi commemoratis diebus sacrosanctum Missae sacrificium pro populo applicare cessaverint, nec defuere qui eiusmodi consuetudinem tueri ac defendere non dubitarunt.

Nos igitur de spirituali universi Dominici gregis Nobis divinitus commissi bono vel maxime solliciti, ac non parum dolentes, ex huiusmodi praetermissione fideles illorum locorum populos maximis spiritualibus fructibus privari, tanti momenti negotio occurrere statuimus, cum praesertim noscamus, hanc Apostolicam Sedem docuisse, parochos diebus festis etiam reductis debere Sacrum pro populo celebrare. Et sane quamvis Romani Pontifices Decessores Nostri enixis Sacrorum Antistitum petitionibus, ac variis pluribusque fidelium populorum indigentiis, et gravibus rerum, temporum ac locorum rationibus permoti festos de praecepto dies imminuendos censuerint, ac simul benigne concesserint ut populi hisce diebus servilia opera libere exercerent, quin Sacrum audire deberent, tamen iidem Praedecessores Nostri in hisce Indultis tribuendis integram inviolatamque legem esse voluerunt ut scilicet praedictis diebus nihil in Ecclesiis unquam innovaretur quoad consuetum divinorum officiorum ordinem et ritum, utque omnia eo prorsus modo

peragerentur, quo antea peragi solebant, cum enunciata Urbani VIII Constitutio plene vigeret, qua festi de praecepto dies servandi fuerant praescripti. Ex quo parochi vel facile intelligere poterant, se illis diebus minime expeditos esse ab obligatione applicandi pro populo Missam, quae potissima ritus pars est, animo praesertim reputantes Pontificia Rescripta eo plane, quem prae se ferunt, sensu esse omnino accipienda, et illa strictissimae esse interpretationis. Accedit etiam, ut haec Sancta Sedes in plurimis peculiaribus casibus de huiusmodi parochorum onere consulta haud omiserit per suas praesertim Congregationes sive Concilii, sive Fidei propagandae, sive Sacrorum Rituum, sive etiam per Sacram Poenitentiariam saepissime respondere et edicere, parochos eidem oneri esse obnoxios applicandi pro populo Missam illis etiam diebus, qui de festorum ex praecepto dierum numero fuerant sublati.

Itaque rebus omnibus maturo examine perpensis, atque in consilium adhibitis nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Nostrae Congregationis Tridentinis Decretis tuendis interpretandisque praepositae, hanc Vobis, Venerabiles Fratres, Enyclicam Epistolam scribendam esse censuimus, ut certam et constantem normam legemque constituamus ab omnibus parochis sedulo diligenterque observandam. Quamobrem hisce Litteris declaramus, statuimus atque decernimus, parochos, aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum Missae sacrificium pro populo sibi commisso celebrare, et applicare debere tum omnibus Dominicis, aliisque diebus, qui ex praecepto adhuc servantur,

tum illis etiam, qui ex huius Apostolicae Sedis indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati, ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII Constitutio in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de praecepto dies imminuerentur, et transferrentur. Quod vero attinet ad festos translatos dies id unum excipimus, ut scilicet quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in Dominicum diem, una tantum Missa pro populo sit a parochis applicanda, quandoquidem Missa, quae praecipua divini officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet.

Nunc vero paterni animi Nostri caritate illorum parochorum tranquillitati prospicere volentes, qui ob assertam consuetudinem memoratis diebus Missam pro populo applicare omiserunt, eosdem parochos ab omnibus quibusque praeteritis omissionibus Auctoritate Nostra Apostolica plenissime absolvimus. Et quoniam non desunt animarum curatores, qui peculiare aliquod reductionis, uti dicunt, Indultum ab hac Apostolica Sede obtinuere, concedimus, ut ipsi huiusce Indulti beneficio perfrui pergant iuxta tamen conditiones in Indulto expressas, et donec parochorum officium exercuerint in paroeciis, quas in praesentiarum regunt et administrant.

Dum autem haec statuimus, et indulgemus, in eam profecto spem erigimur fore, Venerabiles Fratres, ut parochi maiore usque animarum studio et amore incensi huic obligationi applicandi Missam pro populo diligentissime ac religiosissime satisfacere glorientur serio considerantes uberrimam caelestium prae-

sertim munerum, ac bonorum copiam, quae ex hac incruenti, divinique Sacrificii applicatione in christianam plebem eorum curae commissam abunde redundat. Cum vero Nos minime lateat, peculiares casus contingere posse, in quibus pro re ac tempore aliqua huius obligationis remissio parochis sit tribuenda, sciatis velimus, ab omnibus Nostram Concilii Congregationem unice esse adeundam ad huiusmodi obtinenda Indulta, illis dumtaxat exceptis, qui a Nostra Congregatione fidei propagandae praeposita pendent, cum opportunas utrique Congregationi contulerimus facultates.

Nihil plane dubitamus, Venerabiles Fratres, quin pro eximia vestra episcopali sollicitudine omnibus et singulis vestrarum Dioecesium parochis, nulla interposita mora, sedulo manifestare velitis quae in hisce Nostris Litteris de eorum obligatione applicandi pro populo sibi commisso sacrosanctum Missae sacrificium suprema Nostra auctoritate confirmamus, ac denuo constituimus, volumus, praecipimus, et mandamus. Ac persuasissimum quoque Nobis est, Vos maximam adhibituros esse vigilantiam, ut animarum curatores hanc etiam sui muneris partem diligenter impleant, ac studiose observent quae a Nobis in hisce Litteris statuta atque sancita sunt. Optamus autem ut harum Litterarum exemplar in Tabulario episcopalis cuiusque vestrum Curiae perpetuo asservetur.

Cum autem, Venerabiles Fratres, probe noscatis, sacrosancto Missae sacrificio magnam fidelis populi contineri eruditionem, ne intermittatis unquam, parochos praesertim, aliosque divini verbi praecones,

et eos quibus demandatum est munus erudiendi christianum populum, monere, hortari ut fidelibus populis tam sancti tamque admirabilis Sacrificii necessitatem, praestantiam, magnitudinem, finem, fructus studiosissime et accuratissime exponant explicent, ac simul fideles ipsos excitent, inflamment, quo eidem Sacrificio ea qua par est fide, religione ac pietate frequentissime intersint, ut divinam misericordiam, et omne, quo indigent, beneficiorum genus sibi comparare queant. Neque desinatis omnem operam et industriam impendere, ut vestrarum Dioecesium Sacerdotes ea morum integritate, gravitate, eaque totius vitae innocentia, sanctitate emineant, quae illos omnino decet, quibus unis datum est divinam consecrare Hostiam, ac tam sanctum, tamque tremendum perficere Sacrificium. Quocirca omnes sanctissimo Sacerdotio initiatos etiam atque etiam monete, urgete, ut serio meditantes ministerium, quod acceperunt in Domino, illud impleant, et continenter memores dignitatis, ac caelestis potestatis, qua praediti sunt, virtutum omnium splendore, ac salutaris doctrinae laude refulgeant, summaque animi contentione in divinum cultum, divinasque res et animarum salutem incumbant, ac seipsos hostiam vivam et sanctam Domino exhibentes, et mortificationem Iesu in suo corpore semper circumferentes puris manibus, et mundo corde placationis Hostiam rite offerant Deo pro sua ac totius mundi salute.

Denique nihil Nobis gratius, Venerabiles Fratres, quam hac etiam uti occasione, ut iterum testemur, et confirmemus praecipuam, qua Vos omnes in Do-

mino prosequimur, benevolentiam, ac simul Vobis addamus animos, ut maiore usque alacritate pergatis omnes gravissimi pastoralis vestri muneris partes strenue ac sedulo obire, et intentissimo studio dilectarum ovium saluti incolumitatique consulere.

Pro certo habete, Nos paratissimos esse ad ea omnia libentissime agenda, quae ad maiorem Vestram ac Dioecesium vestrarum utilitatem procurandam conducere posse noverimus. Interim vero caelestium omnium munerum auspicem, ac studiosissimae Nostrae in Vos voluntatis testem accipite Apostolicam Benedictionem, quam intimo cordis affectu Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus cuiusque vestrum vigilantiae commissis amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die III Maii Anno MDCCCLVIII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

INSTRUCTIO

EPISCOPIS QUIBUS OB PECULIARIA RERUM ET LOCORUM ADJUNCTA CONCEDITUR FACULTAS DISPENSANDI SUPER IMPEDIMENTO MIXTAE RELIGIONIS QUOAD PROMISCUA CONJUGIA.

Etsi Sanctissimus Dominus Noster Pius IX Pontifex Maximus gravissimis causis impulsus aliquod immutandum esse censuerit in formula dispensationum, quae ab hac Apostolica Sede conceduntur ad mixta ineunda matrimonia, veluti Amplitudo Tua ex adjecta formula intelliget, tamen idem Summus Pontifex de universi Dominici gregis salute, sibi divinitus commissa, vel maxime sollicitus pro Apostolici Ministerii Sui munere non potest non summopere inculcare omnibus Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis, ut sanctissima Catholicae Ecclesiae de hisce Conjugiis documenta integra, et inviolata religiosissime serventur. Omnes enim norunt, quid ipsa Catholica Ecclesia de huiusmodi Catholicos inter, et Acatholicos nuptiis constanter senserit, cum illas semper improbaverit, ac tamquam illicitas, planeque perniciosas habuerit, tum ob flagitiosam in Divinis communionem, tum ob impendens catholico coniugi perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi Canones ipsa mixta connubia severe interdicentes, ac recentiores Summorum Pontificum Sanctiones, de quibus immortalis memoriae Benedictus XIV loquitur in suis Encyclicis Litteris

ad Poloniae Regni Episcopos, atque in celeberrimo opere, quod de Synodo Dioecesana inscribitur. Hinc porro evenit, ut haec Apostolica Sedes, ad quam unice spectat potestas dispensandi super huiusmodi mixtae Religionis impedimento, si de Canonum severitate aliquid remittens, mixta haec Conjugia quandoque permiserit, id gravibus dumtaxat de causis aegre admodum fecit, et nonnisi sub expressa semper conditione de praemittendis necessariis, opportunisque cautionibus, ut scilicet non solum catholicus conjux ab acatholico perverti non posset, quin imo catholicus ipse conjux teneri se sciret ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum, verum etiam ut universa utriusque sexus proles ex mixtis hisce matrimoniis procreanda in sanctitate Catholicae Religionis educari omnino deberet. Quae quidem cautiones remitti, seu dispensari nunquam possunt, cum in ipsa naturali, ac divina lege fundentur, quam Ecclesia, et haec Sancta Sedes sartam, tectamque tueri omni studio contendit, et contra quam sine ullo dubio gravissime peccant, qui promiscuis hisce nuptiis temere contrahendis se, ac prolem exinde suscipiendam perversionis periculo committunt. Insuper in tribuendis huiusmodi dispensationibus praeter enunciatas cautiones, quae praemitti semper debent, et super quibus dispensari nullo modo unquam potest, adjectae quoque fuere conditiones, ut haec mixta Conjugia extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione, ulloque alio ecclesiastico ritu celebrari debeant. Quae quidem conditiones eo potissimum spectant, ut in Catholicorum animis nunquam obliteretur memoria tum Canonum, qui istiusmodi mixta

Matrimonia detestantur, tum constantissimi illius studii, quo Sancta Mater Ecclesia nunquam destitit filios suos avertere, ac deterrere ab iisdem mixtis conjugiis in eorum, et futurae prolis perniciem contrahendis.

Iam vero quod attinet ad praedictas conditiones de his nempe mixtis nuptiis extra Ecclesiam, et sine Parochi benedictione, alioque sacro ritu celebrandis, cum conditiones ipsae in plurimis similium dispensationum Rescriptis clare, aperteque fuerint enunciatae, in aliis vero permultis Rescriptis haud explicite expressae, quamvis iisdem Rescriptis implicite continerentur, iccirco Sanctissimus Dominus Noster pro summa, ac singulari sua prudentia hanc formularum varietatem de medio tollendam existimavit, ac jussit in posterum, unam, eamdemque formulam esse adhibendam ab omnibus Congregationibus, per quas haec Apostolica Sedes dispensationes super hoc mixtae religionis impedimento concedere solet. Itaque, rebus omnibus maturo examine perpensis, temporumque ratione habita, et iis consideratis, quae a pluribus Episcopis exposita fuere, atque in consilium adhibitis nonnullis S. R. E. Cardinalibus, idem Sanctissimus Dominus Noster constituit, in harum dispensationum concessione utendam esse formulam illius Rescripti, quo etiamsi conditiones praedictae de mixtis hisce conjugiis extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis haud aperte declarantur, tamen implicite continentur. Ac Sanctitas Sua omnes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Locorum Ordinarios vehementer in Domino monet, hortatur, et excitat, eisque man-

dat, ut cum Ipsi in posterum hujus Rescripti formula ab hac Sancta Sede obtinuerint facultatem dispensandi super impedimento mixtae religionis, in eadem facultate exsequenda nunquam desistant omni cura, studioque advigilare, ut sedulo quoque impleantur conditiones de mixtis hisce Matrimoniis extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis. Quod si in aliquibus locis Sacrorum Antistites cognoverint, easdem conditiones impleri haud posse, quin graviora exinde oriantur damna, ac mala, in hoc casu tantum Sanctitas Sua ad hujusmodi majora damna, ac mala vitanda, prudenti eorumdem Sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi, salvis, firmisque semper, ac perdiligenter servatis cautionibus de perversionis periculo amovendo a conjuge catholico, de conversione acatholici conjugis ab ipso conjuge catholico pro viribus procuranda, deque universa utriusque sexus prole in sanctitate Catholicae Religionis omnino educanda, judicent quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce conjugiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro Matrimoniis contrahendis in Dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae celebratione, ac diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum, ac personarum adjunctis, atque onerata ipsorum Antistitum conscientia super omnium circumstantiarum veritate, et gravitate. Summopere autem exoptat Sanctitas Sua, ut iidem Sacrorum Antistites hujusmodi indulgentiam, seu potius toleran-

tiam eorum arbitrio , et conscientiae omnino commissam, majori, quo fieri potest, silentio, ac secreto servent. Cum vero contingere possit, ut iidem Antistites nondum fuerint exsequuti illa similium dispensationum Rescripta , quae ipsis ante hanc Instructionem concessa fuere, icciroo ad omnes dubitationes amovendas Sanctitas Sua declarandum esse jussit , eosdem Antistites hanc Instructionem sequi debere in commemoratis exsequendis Rescriptis.

Nihil vero dubitat Sanctissimus Dominus Noster, quin omnes Sacrorum Antistites ob spectatam eorum religionem, pietatem, et pastoralis muneris officium pergant flagrantiori usque zelo catholicos sibi concreditos a mixtis hisce conjugiis avertere , eosque accurate edocere Catholicae Ecclesiae doctrinam , legesque ad eadem conjugia pertinentes , atque eidem Sanctissimo Domino Nostro persuasissimum est, ipsos Sacrorum Antistites prae oculis semper habituros Litteras et Instructiones , quae a suis fel : rec : Praedecessoribus , ac praesertim a Pio VI (1), Pio VII (2), Pio VIII (3) et Gregorio XVI (4) de hoc gravissimo sane argumento, maximique mo-

(1) *Epist. ad Archiep. Mechliniensem, Episcoposque Belgii*: - *Exsequendo nunc* - *die* 13 *Julii* 1782.

(2) *Epist. ad Archiep. Moguntinum* – *Etsi Fraternitatis Tuae* – *die* 8 *Octobris* 1803.

(3) *Epist. ad Archiep. Coloniensem, et Episcopos Treviren., Monasterien. et Paderbonen*: - *Litteris altero abhinc anno* - *die* 25 *Martii* 1830. *Instructio ad eosdem Archiep. et Episcop. die* 27 *Martii* 1830.

(4) *Epist. ad Archiep. et Episcop. Bavariae*: - *Summo jugiter studio* - *die* 27 *Maii* 1832. *Instructio ad eosdem die* 12 *Septembris* 1834.

Epist. ad Archiep., et Episcop. Hungariae : - *Quas vestro* - *die* 30 *Aprilis* 1841. *Instructio ad Archiep. et Episcop. Austriacae Ditionis in foederatis Germaniae partibus die* 21 *Maii* 1841.

menti negotio ad plures catholici orbis Episcopos scriptae fuerunt.

Haec Amplitudini Tuae erant significanda jussu ipsius Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX, cui nihil potius, nihil antiquius est, quam ut Catholicae Ecclesiae doctrina, ac disciplina ubique illibata custodiatur, ac servetur.

Datum Romae die 15 Novembris 1858.

J. CARD. ANTONELLI

SUPPRESSIO EPISCOPALIS RHEDONENSIS ECCLESIAE
AC ERECTIO PROVINCIAE ECCLESIASTICAE SEU ARCHIEPISCOPATUS
METROPOLITANI RHEDONENSIS
CVM SVIS SVFFRAGANEIS

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORVM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Ubi primum placuit Deo, qui dives est in misericordia, humilitatem Nostram in celsissima Beati Petri sede collocare, et Vicariam Domini nostri Iesu Christi potestatem Nobis, nullo quamvis meritorum favore suffultis, pro universalis Ecclesiae suae gubernio committere, Nos altissimo mandato huiusmodi fideliter sapienterque, Deo ipso adiuvante, respondere satagentes, non solum quae Dominico Gregi utilia et salubria sunt, verum etiam quae illius incolumitatem atque accurationem, regimen et administrationem Catholicis Episcopis concreditam respiciunt, constituere haud detrectamus, Ecclesiasticam ad id opus Hierarchiam alicubi vel statuendo, vel retexendo, aptiusque etiam dispertiendo, prout iuxta, locorum et temporum vicissitudines populorumque conditiones maiori in primis religionis bono et incremento arbitramur in Domino praecipue benevertere.

Summa itaque animi voluntate excepimus postulationes Carissimi in Christo Filii Nostri Napoleonis hoc nomine Tertii Francorum Imperatoris illu-

stris, quibus Episcopalem Ecclesiam Rhedonensem ad Metropoliticam dignitatem attolli, eique Episcopatus Venetensem, Briocensem et Corisopitensem Metropolitico Turonensis Archiepiscopi iuri modo subditos in suffraganeos adiici implorandum studuit.

Et revera perspectum sedulo est, quod Ecclesiastica Turonensis Archiepiscopatus Provincia vel nimis late protendatur, quum illic novem peramplae Episcopales sedes suffraganeae dinumerentur, multas Paroecias ingentemque Christifidelium numerum complectentes, ex quo scatere solet rerum etiam gravissimarum necessario citiusque expediendarum maxima affluentia, ita ut Metropolitanus Antistes quandoque cogatur curis et laboribus plus aequo gravari, nequeatque tot negotia insimul peragenda ea qua par est alacritate extricare ac naviter explere. Nec omitti potest. quod ob nimiam plerumque illorum locorum hinc inde distantiam communicatio inter Metropolitani et suffraganearum Ecclesiarum subditos maximis interdum obnoxia sit incommodis, difficultatibus, impedimentis, vel diuturnitatibus, et forsan spiritualibus etiam detrimentis. Ex quibus proinde aliisque illorum locorum circumstantiis ultro infertur utilitas, imo necessitas ex vastissima Turonensi binas Ecclesiasticas Provincias constituendi, ita ut earum Metropolitani Antistites valeant suarum suffraganearum Ecclesiarum singulorumque Christifidelium opportunitatibus et urgentiis facilius promptiusque occurrere et satisfacere.

Consulto autem animadvertimus Rhedonensis Urbis excellentiam et dignitatem, quae utpote Ellae et Vicenoniae Provinciae caput ceteris iis Civitatibus

praestantioribus quidem antecellit praeconiis. Ea enim in centrali Britanniae minoris planitie sub aeris clementia et salubritate ample ornateque est condita, ac multarum familiarum decore et honestate expolitiorum morum usu, rerum copia, frequentique advenarum commercio, superiorum Tribunalium auctoritate, publicarum litterarum scientiarumque cultura, bonarum artium singulari industria, pluribusque publicis tum utilitatis tum ornamenti florentibus Institutis excellit. Illic etiam plures enumerantur Ecclesiae, quarum septem Paroeciales baptismali fonte praeditae, inter quas magnifice solideque constructum eminet Cathedrale templum Deo in honorem Sancti Petri Apostoli dicatum, sacrae supellectilis copia confertum, et Canonicorum capitulo divinis officiis operam navante celebratum. Duo insuper patent inibi Ecclesiasticorum Alumnorum seminaria, et aliquot Sanctimonialium communitates. Quibus titulis aliisque praerogativis cumulatam Rhedonensem Ecclesiam, cuius regimini Venerabilis Frater Gothefridus Brussais Saint Marc hodiernus illius Praesul summa prudentia et zelo praeest, dignam esse in animo reputavimus, ut ad Metropolitanae gradum et honorem eveheremus, eique peculiares assignaremus suffragaturas Ecclesias, ut in Britannia ipsa minori haec altera quoque Ecclesiastica Provincia ordinetur.

Nos propterea commendati Napoleonis Imperatoris postulationes, diuque enixa illorum Christifidelium vota et pia desideria benigno favore prosequi volentes, omnesque et singulos, quibus hae Nostrae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis,

censuris, et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie respective absolventes et absolutos fore censentes, cunctis, quae inspicienda erant, matura deliberatione perpensis, habitaque peculiarium circumstantiarum ratione, obsequentem animum Venerabilis etiam Fratris Hippolyti Guibert hodierni Archiepiscopi Turonensis, quem super constitutione huius novae Provinciae a sua metropolitica jurisdictione separandae huic Sanctae Sedi ultro pandidit maximopere laudando, nec non consensui aliorum quorumcumque interesse habentium, vel quomodolibet habere praesumentium, quatenus opus sit, Apostolica Auctoritate harum quoque serie supplendo, Motu proprio et ex certa scientia deque Apostolicae potestatis plenitudine, quatuor Episcopales Ecclesias Rhedonensem scilicet, Venetensem, Briocensem et Corisopitensem a metropolitico iure Turonensis Antistitis, cui modo subsunt, ita quod quatuor ipsaemet Ecclesiae illarumque Ordinarii Antistites, Civitates, Territoria Dioecesana, et cuncta quae inibi reperiuntur Oppida, Ecclesiae, seu parochiales, sive succursales, sive simplices, itemque Conventus, Monasteria, et Ecclesiastica quaeque Instituta, nec non saecularia et quorumvis Ordinum regularia, quae per ea loca existunt, Beneficia, omnes denique et singuli utriusque sexus incolae, tam laici quam Clerici, Presbyteri, Beneficiati, Religiosi cuiuscumque sint gradus ordinis et conditionis, isthaec utique omnia et singula cum suis de more inhaerentibus accessoriis in posterum a Turonensi et alia quacumque iurisdictionali superioritate et praerogativa penitus exempta et dismembrata sint,

Apostolica Auctoritate plane dissolvimus,perpetuoque subtrahimus.

Ad maiorem subinde Omnipotentis Dei gloriam et Catholicae Religionis incrementum, nec non ad spirituale illorum Christifidelium bonum exoptatamque consolationem ex Dioecesanis dictarum Ecclesiarum Rhedonensis, Venetensis, Briocensis et Corisopitensis territoriis, (una quidem cum suis omnibus et singulis desuper memoratis assuetisque accessoriis,) e vestigio Rhedonensem Ecclesiasticam Provinciam seorsim distinctam eadem Apostolica auctoritate perpetuo etiam constituimus.

Hinc, quae inibi est caput, quaeque potioribus et commodioribus praerogativis illis ceteris circumsitis civitatibus praestare censetur, Rhedonensem Urbem protinus Archiepiscopalis quoque Metropolitanae honore et dignitate pari Apostolica Auctoritate perpetuo item condecoramus, fruituram deinceps omnibus et singulis indultis, privilegiis, gratiis, honoribus et quibusvis ceteris, quibus aliae viciniores Metropolitanae Ecclesiae Archiepiscopali residentia insignitae, ipsarumque cives ordinarie solent uti, et gaudere.

Ita nempe templum illud quod in honorem Sancti Petri Apostolorum Principis dedicatum celebratur (primaevo eius Cathedralis titulo extincto) ad eminentiorem Ecclesiae Metropolitanae gradum et dignitatem, nulla quoad peramplam eius actualem Dioecesim inducta immutatione, Apostolica Auctoritate praedicta perpetuo similiter extollimus, ita ut in ea Rhedonensi Metropoli et Ecclesia perpetuo erectae,et constitutae sint sedes, Cathedra,et Archiepi-

scopalis dignitas Metropolitana pro uno eiusmet Ordinario Antistite , Rhedonensi nuncupando, qui de more ab Apostolica sede usum obtineat Pallii cum suo item Capitulo mox reficiendo , nec non peculiari cum sigillo, arca, mensa omnibusque metropoliticis insigniis, honoribus, juribus, praerogativis, privilegiis, indultis et ceteris omnibus, quibus alii in Gallia Metropolitanarum Ecclesiarum Praesules utuntur atque fruuntur, iis dumtaxat exceptis, quae oneroso titulo, vel speciali ex gratia, seu privilegio fuerint fortasse concessa et adquisita.

Cui porro Metropolitanae Rhedonensi, ut quaedam veluti membra capiti Ecclesiae suffraganeae adhaereant, Venetensem, Briocensem et Corisopitensem Episcopales Ecclesias una cum inditis omnibus accessoriis in suffraganeas dicta Apostolica Auctoritate perpetuo quoque adsciscimus et subiicimus, ita quod harum trium Ecclesiarum Antistites sese praebeant, reveraque sint obsequentes in caritatis vinculo suffraganei Rhedonensi Praesuli,qui valeat debeatque in posterum habere nomen,titulúm, praeeminentiam, et dignitatem Archiepiscopi Metropolitae,atque adeo fruatur ac defungatur iis cunctis et singulis rebus, muniis, et juribus,quae Archiepiscoporum Metropolitarum propria sunt, reservato tamen usu Pallii, usquedum apud Sedem Apostolicam juxta morem in sacro Consistorio postulatum impetratumque fuerit. Ac insuper Metropolitica cum iurisdictione praesidentia , et auctoritate queat nedum super Rhedonensi eiusque territorio, verum etiam super ipsis suffraganeis Ecclesiis, earumque incolis (dummodo peculiari non gaudeant exemptione) iisque super Dioe-

cesanis vel Comprovincialibus territoriis et quibuslibet insitis accessoriis euncta illa sive realia, sive personalia, sive mixta iura,itemque privilegia, honores, facultates, munia et quaevis cetera, quae ad sacrorum Canonum et Apostolicarum Constitutionum normam in Gallia obtinent, eisque pollent Archiepiscopi Metropolitani, quoad suas etiam suffraganeas Ecclesias, ita similiter ac vicissim habere, tueri atque adeo exercere. Quique tandem suam praesto sit habiturus Metropoliticam civitatem, Ecclesiam et Provinciam cum suffraganeis, uti praefertur, adscitis Episcopatibus; dehinc iure proprio libere possit ea omnia super iis facere, gerere, administrare, inquirere, decernere, ac demum exsequutioni mandare, quae Metropolitis Praesulibus comperiuntur ex iure in eorum Civitates inque suffraganeas Ecclesias concreditasque Dioeceses attributa et commissa, inter quae profecto valeat, quoties vel oportere vel expedire visum fuerit, synodum tum Dioecesanam tum Provincialem convocare, consecrationem suis suffraganeis, ubi tamen ab hac Sancta Sede in Pontificio Consistorio solemne praeconium rite fuerint assequuti, conferre, ac cum suis suffraganeis negotia ecclesiastica tum respectiva tum Provincialia pertractare et definire, proindeque huiusmodi causas jure appellationis ad ipsum utpote ad Metropolitam devolutas, ceteraque iuxta sacros Canones et Apostolicas Constitutiones quomodolibet ad eum spectantia penitus agnoscere atque definire.

Porro pristinum palatium antehac Episcopale in residentiale pro tempore Metropolitani Archiepiscopi Rhedonensis Archiepiscopium et Curiam cum

Cancelleria, ita ut iis pariformiter Archiepiscopalis et Metropolitica nuncupatio inferatur, itidemque utraque aedificia pro binis, ut antea, Seminariis Ecclesiasticorum Alumnorum in bonitate, disciplina et scientia iuxta sacrorum Canonum praescripta educandorum instituta in Archiepiscopalia Metropolitana Seminaria cum suis ubique omnibus et singulis praerogativis, iuribus, ceterisque aliis vel de iure, vel de more concomitantibus dicta Apostolica auctoritate perpetuo pariter assignamus.

Rursus autem, ut quisque Rhedonensis pro tempore Metropolita valeat suam, uti par est, decenter tueri dignitatem, et oneribus Archiepiscopatui Metropolitano inhaerentibus prospicere ac satisfacere; ideo eam, quae iam pro ceteris in Gallia Archiepiscopatibus assignata et statuta comperitur, congruam dotationem Rhedonensi quoque Archiepiscopali mensae, itemque Curiae Ecclesiasticae et Archiepiscopali Vicario Apostolica auctoritate praedicta perpetuo etiam attribuimus, nulla tamen inducta immutatione quoad huiusce novae Metropolitanae Ecclesiae taxam, quae pro expeditione Litterarum Apostolicarum sub Plumbo in futuris quibuscumque illius provisionibus in aureis tercentis supra septuaginta Florenis de Camera conservetur.

Qua quidem Rhedonensi Ecclesia post illius Cathedralis extinctionem in Metropolitanam, ut praemittitur, erecta, ne parumper quidem illi desit Pastor canonice praeficiendus, memoratum Gothefridum usque modo Episcopum Rhedonensem in Archiepiscopum declaramus, ita quod ipsemet Gothefridus Antistes absque ulla de eius Ecclesiae Rhedonensis provisione de novo facienda in Archiepiscopum

Rhedonensem praefectus esse intelligatur, ipsamque Metropolitanam Ecclesiam una cum suis Suffraganeis administrare et gubernare valeat, perinde ac si Litterae Apostolicae Metropoliticae huiusce provisionis in sacri Consistorii praeconio solemniter expeditae fuissent.

Iam vero, ut iuxta eminentiorem hunc novum Ecclesiae Metropolitanae statum, protinus eius Capituli conditio, atque adeo nuncupatio uniforme acquirat decus et nominis incrementum, hinc Capitulum ipsum (praevia prisci tituli Cathedralis plena extinctione) illico ex nova veluti erectione ad Capituli Metropolitani gradum, titulum, et dignitatem, ita quod illud una cum oneribus et muniis, quae iis in Metropolitanis assolent, riteque incumbunt, habeat quoque et fruatur suis honoribus, praeeminentiis, gratiis, indultis, insigniis, privilegiis et ceteris omnibus quae canonico ex iure huiusmodi Capitulorum in Gallia propria esse solent, eadem Apostolica auctoritate perpetuo item instituimus, praecipiendo, ut octo, qui nunc inibi extant Canonicatus, in eodem statu cum bonis seu redditibus iam attributis, aliisque assignandis ad normam Capitulorum aliarum in Gallia Metropolitanarum permaneant, cauto tantummodo, imo eadem auctoritate iubendo, ut ex tertia Canonicalium redditaum parte massa pro quotidianis distributionibus ad sacrorum Canonum rationem constituatur rite inter singulos divinis officiis praesentes dispertienda, ut quisquis Capitularis eadem Officia et alia Ecclesiastica munia, quae inibi ad aliarum Metropolitanarum normam sedulo sunt obeunda, magis libenter impenseque satagat satisfacere. Commendando insuper ut alii

duo praeter honorarios inibi opportune constabiliantur, ut saltem decem, sicuti in Metropolitana Turonensi, connumerentur Canonicatus titulares, quos inter prudenti Metropolitae Rhedonensis iudicio relinquimus, ut unus vel duo quolibet dignitatis titulo cohonestentur. Alterque interea ex iisdem Canonicatibus titularibus, uti decet et oportet, in quibusque Metropolitanis Ecclesiis pro Theologo, alter vero pro Poenitentiario Canonicis permanenter destinentur ac conferantur, secus autem quidquid exstantem inibi Parochialitatem, eiusque animarum exercitium respicit, id apprime sartum tectumque conservetur, iisdemque, sicuti antea, more et ratione fideliter expleatur; nam tum Parochialis, tum Theologalis, tum Poenitentiaria praebendae per concursum, iuxta sacrorum Canonum praescripta, erunt conferenda.

Ceterum eidem Capitulo, quemadmodum eadem incumbere debent onera et munia, quibus aliae ex vicinioribus Metropolitanis Capitula defungi solent, ita simili Apostolica auctoritate perpetuo quoque concedimus facultatem utendi omnibus et singulis eisdem iuribus, honoribus, indultis, gratiis, favoribus, praerogativis, privilegiis et reliquis quibuscumque, dummodo tamen adhuc legitimo in usu sint, neque peculiari ex concessione, vel oneroso titulo adquisita comperiantur.

Ulterius vero, habita quoque novi huius status ratione, ipsimet Capitulo, ut vetera reformet, vel nova sibi Capitularia statuta, ordinationes et decreta, Apostolicis tamen constitutionibus, ac sacrorum Canonum et ceteris huiusmodi praescriptionibus penitus consentanea, minimeque adversantia, nec non a Me-

tropolitano Rhedonensi Antistite, ut deinde possint efficacem legis vim praeferre ac vindicare, approbanda etiam ex integro conficiat, liberam et omnimodam potestatem pari Apostolica auctoritate tribuimus et impertimur.

Quamquam autem superior eiusdem Capituli suppressio, eiusque et nova et excellentior institutio successerit, attamen Capitularium modo exstantium incolumitati prospiciendo, simili Apostolica Auctoritate mandamus, ut unusquisque in eodem Capitulo legitimus ipsorum Canonicatuum nunc possessor deinceps quoque pergat suam respective praebendam canonice retinere, quin alteram nominationem, sive alios institutionis actus hac vice obire teneatur, iisdem in Choro stallis, ceterisque Capitularibus Ordinis locis uti prius, adservatis, excepto dumtaxat casu, quo aliquis posterior Canonicus promoveatur ad aliquam ex praeenunciatis dignitatibus, quarum titulares gradatim inter se ceteris non Dignitariis semper praestabunt.

Quibus omnibus ita compositis, freti nunc zelo et munificentia commendati Napoleonis Imperatoris, quem opus hoc ea,qua decet, liberalitate coadiuturum speramus, eidem Napoleoni Francorum Imperatori, et cuique ipsius in posterum successori legitimo facultatem et potestatem praesentandi huic Sanctae Sedi Apostolicae , infra tempus per sacros canones praefinitum, idoneam dignamque, uti alias praescriptum comperitur, personam Metropolitanae Ecclesiae Rhedonensi, quoties deinceps vacaverit, a Romano Pontifice pro tempore existente rite praeficiendam dicta Apostolica auctoritate conservamus, seu denuo etiam indulgemus, servatis ceteroquin aliis omnibus, quae de iure moreque servanda sunt.

Ac insuper easdem praesentes Litteras, et in eis contenta quaecumque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, alioque quocumque vitio, seu intentionis Nostrae, aut quolibet alio, quamtumvis iuridico, substantiali, substantialissimo, vel inexcogitato defectu, etiam ex eo quod quicumque in praemissis omnibus et singulis quomodolibet interesse habentes, seu habere praetendentes, vel putantes cuiuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis, et dignitatis existant ad id vocati, citati, et auditi non fuerint, ac causae propter quas omnia et singula emanaverint, minime, vel minus sufficienter examinatae fuerint, et ex quocumque alio capite quantumvis legitimo, pio, privilegiato ac speciali nota digno impugnari, invalidari, infringi, aut interdici, ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illas oris aperitionem, aut aliud quodcumque iuris vel facti remedium impetrari non posse; sed illas semper validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illasque sub similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam Consistorialibus minime comprehendi, neque comprehensas aliquo modo censeri vel confundi, sed utpote ad maius Religionis incrementum et spirituale Christifidelium bonum et commodum factas semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessas esse et fore, et ita ab omnibus censeri, sicque et non alias per quoscumque Iudices, Ordinarios, et

Delegatos,quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictaeque Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Quocirca Venerabili Fratri Carolo Sacconi Archiepiscopo Nicaeno in partibus Infidelium, et apud Imperialem Gallorum Aulam Nuncio Apostolico Motu simili per easdem praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, uti Noster et eiusdem Sedis Apostolicae Delegatus, ad praemissorum omnium et singulorum exsequutionem procedat valeatque, vel per se, vel per aliam personam in dignitate tamen ecclesiastica constitutam pro suo libitu subdelegandam, ea cuncta ordinare ac etiam definitive absque appellatione decernere, quae ad totum hoc negotium rite fideliterque in Domino perficiendum quomodolibet oportuerint.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula de iure quaesito non tollendo, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati dismembrationes perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, et Universalibus Conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis dictarumque Turonenesis, et Rhedonensis, et aliarum Ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis

firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum, etiam sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam Motu pari, etiam Consistorialiter quomodolibet forsan concessis,approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse, ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum, hac vice dumtaxat, Motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quod dictus Carolus Archiepiscopus eiusve subdelegatus, tres infra menses ab expleta ipsarum praesentium exequutione, diligenter ad hanc Sanctam Sedem transmittere teneatur exemplar authentica forma exaratum decretorum omnium in huiusmodi exequutione ferendorum, ut ea etiam in Archivio Congregationis S. R. E. Cardinalium Consistorialibus rebus praepositae, ad perpetuam rei memoriam, posteramque opportunitatem et normam insimul conserventur.

Volumus etiam quod praesentium litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides in iudicio et extra illud, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, exemptionis, dissolutionis, separationis, constitutionis, erectionis, subiectionis, assignationis, attributionis, condecorationis, declarationis, institutionis, concessionis, impertitionis, mandati, indulti, decreti, commissionis, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Quinquagesimo Octavo, tertio Nonas Januarii, Pontificatus Nostri tertio decimo.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

ALEXANDRO II

RUSSIARUM IMPERATORI

MAJESTÉ

Les qualités éminentes de l'intelligence et du coeur, qui distinguent V. M. Nous engagent à Lui écrire cette lettre, non seulement comme un témoignage spécial d'égards envers V. M., mais aussi pour suivre l'impulsion de notre confiance entière, avec la quelle Nous nous proposons de Lui ouvrir aujourd'hui notre coeur. Nous voulons Lui communiquer dans un entretien seul à seul nos sentiments, et nos désirs touchants les affaires de l' Eglise Catholique, à la quelle appartiennent plusieurs millions de sujets de V. M.

Dès les premiers jours de votre glorieux événement au throne Nous reçumes de la part du votre représentant M. de Kisseleff l'assurance que la volonté bien arrêtée de V. M. était que toutes les conventions fixées à l' amiable avec votre auguste Père sortissent leur plein et entier effet. Nous croyons savoir avec certitude, qu'en suite de cette assurance formelle, V. M. donna des ordres clairs et précis, Nous ajouterons même pressants. Toutefois que V. M. permette de Lui répéter avec la franchise, qui convient à notre caractère, que ces ordres, à raison peut être de circonstances imprévues, n'ont pas reçu le plein accomplissement, qu' Elle voulait, et que plusieurs articles du Concordat, et de la bulle de Circonscription des diocèses de l' Empire sont restés absolument à l'état de lettre morte,

bien que ceux, qui étaient chargés de l'exécution, ne pussent ignorer ni les ordres de V. M., ni nos désirs si souvent exprimés, ni même nos réclamations aux quelles Nous avons donné toujours la forme de notes confidentielles, à fin de Nous maintenir en harmonie parfaite avec le gouvernement de V. M. Impériale. Sire, en rappelant ces souvenirs, Notre intention n'est pas d'en faire un sujet de réclamation, Nous les évoquons uniquement dans l'espoir, qu'un Monarque, qui se glorifie à juste titre d'être loyal et magnanime, ne permettra pas que l'on tourne plus long-temps contre Nous, et contre les catholiques soumis à sa domination Notre réserve, mais que mieux éclairé il prendra des mesures efficaces pour Nous consoler, et pour s'assurer Lui même que les Catholiques des deux rites seront traités pour tout ce aussi qui régarde l'accomplissement de leurs devoirs de conscience, et de religion sur le même pied que ses autres sujets. Nous ne pouvons pas non plus Nous dispenser d'appeler l'attention de V. M. sur d'autres points, qui ne font pas, il est vrai, partie integrante du Concordat, mais qui sont néanmoins renfermés dans le protocole des articles non compris dans la Convention. Pour écarter toute apparence d'importunité, Nous nous abstiendrons de les mentionner: ils sont d'ailleurs bien connus de V. M., connus même de tout l'univers catholique, auquel Nous les annonçames dans notre Allocution consistoriale du 3 juillet 1848. Dans l'épanchement de notre joie Nous faisions connaître les conventions déjà conclues et l'espoir, que Nous nourrissions, d'obtenir les autres points tenus en suspens de la ma-

gnanimité et de la justice du monarque, qui gouvernait alors les destinées de l'Empire Russe.

Votre auguste Père, Sire, ne put terminer l'oeuvre, qu' il avait si glorieusement commencée. Nous demandons avec une entière confiance a V. M. d'y mettre la dernière main. Une seule de vos paroles rendit naguère la paix à toute l'Europe, et toute Europe n'oubliera jamais ce bienfait. Qu'une autre parole sortie de votre bouche accomplisse les voeux, que Nous exprimons ici, et l'Eglise catholique de l'un, et l'autre rite Vous en conservera une éternelle reconnaissance.

Maintenant V. M. Nous permettra de Lui offrir nos remercîments les plus sincères de qu'Elle a bien voulu Nous mettre à même de pourvoir à quelques uns de siéges episcopaux, et suffraganéats vacants dans son Empire, et de La prier aussi d'étendre cette mesure aux autres evêchés et suffraganéats restés encore sans titulaire. Nous le Lui demandons tout spécialement pour l'Eglise de Chelm. Déjà, Nous le savons, V. M. a donné ses ordres, pourqu' il fût pourvu à ce siège : ces ordres jusqu' ici sont restés sans effet. Que si malgré la sollicitude de V. M. pour qu'on ne présente aux Sièges épiscopaux que de dignes pasteurs, si malgré nos désirs les plus empressés d'agréer les sujets, qui Nous sont indiqués au nom de V. M., il est arrivé, dans des cas très rares, que Nous ayons dû refuser à en préconiser quelques uns, on ne peut en trouver d'autre cause que la voix de notre conscience, qui Nous en fait un stricte devoir, et la pensée qui Nous poursuit nuit, et jour du compte rigoureux, que Nous aurons à rendre au tribunal du Souverain Iuge du choix

des Evêques. Il Nous n'est permis d'admettre les sujets présentés, qu'autant que Nous avons la certitude, qu' ils sont vraiment dignes de ce saint ministère, et qu'ils possèdent les qualités que s. Paul exigeait des Evêques. C'est là, Sire, le motif principal qui Nous a fait renouveler nos instances, à fin que comme Vous avez auprès de notre Siège un Représentant, réciproquement Nous en eûssions un auprès de Votre Auguste Personne, le quel serait en mesure de Nous informer soigneusement des qualités des sujets présentés pour l'Episcopat.

Avant de terminer cette lettre, Nous ne pouvons Nousdéfendre de faire appel au coeur et aux sentimens généreux de V. M. en faveur de ses sujets catholiques, qui par la foi, et la charité sont aussi nos fils en I. C. Nous La conjurons donc de veiller à ce que les ordres qu' Elle donnera, et qui ne pourront manquer d'être empreints de cette bonté et de cet amour de ses peuples, qui La caractérisent, soient fidèlement executés par les Ministres chargés de les accomplir.

Pleins de confiance de voir au plutôt nos désirs exaucés, Nous supplions avec ferveur le Dieu tout puissant de combler V. M. et toute la famille impériale des prospérités le plus abondantes, et de Nous unir tous par les liens de la charité la plus parfaite.

Datum Romae apud S. Petrum die XXXI Ianuarii an. 1859 Pontif. Nostri anno XIII.

PIVS PAPA NONUS.

CIRCUMSCRIPTIO, SEU DISMEMBRATIO EPISCOPALIS SEDIS POPAYANENSIS ET ERECTIO NOVAE SEDIS EPISCOPALIS PASTOPOLITANAE.

PIVS EPISCOPVS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

In excelsa militantis Ecclesiae specula divina miseratione constituti, ex credito Nobis Apostolicae sollicitudinis Officio, omnium Christifidelium per universum terrarum orbem curam gerimus, nihilque intentatum relinquimus, ut tam gravi ingentique oneri, Deo optimo maximo opitulante, quo meliori modo satisfacere possimus.

Itaque ubi primum, difficillimis sane temporibus, Petri Cathedram ascendimus, muneris nostri esse duximus oculorum aciem mentemque in dissitas quoque Americae regiones convertere, easque consilio, vigilantia et ope juvare. Magna animi nostri voluptate Christianorum numerum de die in diem succrescentem vidimus, novosque Episcopatus, uti opus fuit, ereximus, ne Oves Nobis concreditae praesulum ope atque adjumento destituerentur. Hoc sane consilio in Apostolicis Litteris anno millesimo octingentesimo quadragesimo secundo datis, cum di–

lectus frater Ferdinandus Cuero-y-Caicedo bonae memoriae vacanti Popayanensi Ecclesiae Episcopus sufficeretur, reservata fuit sanctae huic Sedi nova eiusdem Dioecesis circumscriptio quocumque tempore et modo facienda. Qui quidem Antistes, aliquot abhinc annis, una cum suo Capitulo Cathedrali apprime consentiente, enixas ad Nos preces supplicationesque misit, ut ex inferenda Popajanensis Dioecesis circumscriptione, alter componeretur Episcopatus Cathedram et Sedem in civico Oppido Pastopolitano commode opportuneque habiturus. Compertum enim Nobis est hodiernam Popajanensem Dioecesim quam latissime esse protentam, plurimas per ea loca, plerumque invia, salebrosa et aeris inclementiae obnoxia dissitas Paroecias, ingentemque incolarum numerum continere. Ex quo evenit, ut ejus pro tempore Antistes, tot curis laboribusque impar, quantumvis strenuam sedulamque praebeat operam, totius Dioecesis procurationem, ubi oporteat, nequeat explere, aut saltem sufficienter pro humanis viribus exantlare. Expediebat igitur, ut alter adderetur Antistes, qui opere, sermone et vigilantia spiritualibus eorumdem Christifidelium necessitatibus praesentius occurrat, atque adeo satagat quae forsan deteriora irrepserint, vel pro viribus avertere, vel salubriter mederi, cunctaque gerere, quae utiliora atque opportuniora esse in Domino videbuntur. In primis autem illi adlaborandum erit, ut Ecclesiasticorum Alumnorum Seminarium constituat; ita pueri in sortem Domini vocati, litteris bonisque disciplinis instituti in Dominica vinea excolenda utiliorem operam navabunt, atque Catholicam Religionem in iis praesertim Coquetanis Regionibus pro-

pagabunt, ubi nomades tribules in gentilitatis errorumque tenebris ádhuc sedent, quin obviam habeant unde evangelicam lucem hauriant, atque ita ad aeternae beatitatis januam tandem aliquando perveniant.

His omnibus mature perpensis, benignoque animo preces excipientes Venerabilis Fratris Petri Antonii de Torres hodierni Popayanensis Episcopi, qui Praedecessorum suorum vestigia sequutus semel atque iterum de hac suae amplissimae Dioecesis dismembratione pro utiliori suarum Ovium bono facienda Nos flagitavit, ad majorem Divini nominis Gloriam, ad catholicae religionis incrementum, matura deliberatione, contrariis quibusque, speciali etiam mentione dignis, minime obstantibus, vel eis peculiari derogatione hoc in casu illata, ex certa scientia motuque proprio, omnibus interesse habentibus, vel quomodolibet habere praesumentibus auditis, et quatenus opus fuerit, supplentes ex Apostolicae potestatis plenitudine superius memoratam reservationem, in Apostolicis Litteris factam Anno Millesimo Octingentesimo Quadragesimo secundo, ratam habemus, tempusque esse duximus juxta moderni Popayanensis quoque Episcopi sententiam, cui rursus illud quoque Capitulum Cathedrale obsequenter probeque accessit, ut tandem aliquando nova haec Dioecesis in America Meridionali constitueretur.

Ab ordinaria itaque cuiusvis Popayanensis Praesulis jurisdictione atque administratione penitus, absolute, perpetuoque eximantur nedum illae Provinciae, quae Pasto, Iuguerres, et Barbacoas vernacule nominantur, verum etiam alterum illud territorium

de Mocoa, vel Coquetà nuncupatum, ita ut insimul adempta atque dismembrata sint quotquot per ea loca comperiuntur consita oppida, vel etiam civitates pagi, rura, paroeciae, una videlicet cum omnibus et singulis quibusque ecclesiis, oratoriis, beneficiis ecclesiasticis, piisque institutis, et consuetis quibusque accessoriis, itemque omnibus et singulis utriusque sexus incolis, dummodo alioquin non fuerint peculiari modo exempti.

Quoniam vero civicum sancti Ioannis Baptistae oppidum, vulgo Pasto, prae ceteris circumsitis perhibeatur potioribus quidem praerogativis, et ad rem opportunioribus excellere adminiculis, illud ad civitatis etiam cathedralis fastigium attollimus, eoque digniori titulo augeri mandamus, omnibus et singulis honoribus, juribus, gratiis, privilegiis, favoribus atque indultis fruiturum, quibus modo ceterae episcopali residentia civitates exornatae in ea Reipublicae Neogranatensis ditione ordinario jure gaudent atque fruuntur. Ad cathedralis quoque fastigium atque honorem evehimus illam parochialem et matricem ecclesiam, quae inter alias ibi eminet tum aedificii amplitudine et soliditate, tum sacra supellectili ad pontificalia quoque peragenda, primaevam servaturam sui tituli invocationem, atque adeo parochialitatem cum eadem animarum cura, quae prorsus ut antea ibi pergat navari.

Illic igitur erigatur perpetuoque constituatur Sedes, Cathedra et Dignitas Episcopalis pro uno posthac Episcopo Pastopolitano nuncupando, qui eidem Cathedrali Ecclesiae, Civitati ac Dioecesi, adeoque universo illius Clero et populo in Domino praesit,

diocesanam Synodum convocet, nec non omnia singulaque jura et munia Episcopalia obtineat exerceatque, Cathedrale Capitulum habeat, omnibus potiatur et fruatur Cathedralibus et Pontificalibus quibusque insigniis, honoribus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, indultis, praerogativis, jurisdictionibus, ceterisque omnibus, quibus hodie in America Meridionali extantes Ecclesiae Cathedrales, earumque Praesules potiuntur atque gaudent, dummodo peculiari indulto vel privilegio attributa minime fuerint.

In separatam propriamque Dioecesim huic novae Pastopolitanae Ecclesiae constituimus, perpetuoque adjudicamus trinas superius memoratas Provincias de Pasto videlicet, Iuguerres, et Barbacoas, nec non alterum Territorium de Macoa, vel Coquetà una cum singulis civitatibus, oppidis, pagis et ruribus seu paroeciis, quae eos inter limites territoriales inveniuntur, itidemque cum omnibus inibi consitis ecclesiis, sive parochiales, sive succursales, sive simplices fuerint, tum Oratoriis, Fratrum regularium Coenobiis, Monasteriis mulierum, piis quibuslibet Institutis et Beneficiis, si quae sint, una cum omnibus utriusque sexus personis, neutiquam peculiari exemptione gaudentibus, perpetuoque modo ordinariae jurisdictioni, regimini et potestati Pastopolitani pro tempore Antistitis plane subjicimus, eaque omnia in ejus Episcopalem Civitatem, Sedem, Dioecesim, Clerum et Populum constituimus atque adsignamus.

Singula vero instrumenta, sive libri, sive in pias causas testamenta, sive demum quaelibet scripta, quae scilicet Ecclesiasticas totius novae Pastopolitanae Dioeceseos personas, res, jura, rationesque re-

spiciant, ab Episcopali Popayanensi Cancellaria accurate disquirantur, secernantur, et ad posterorum quamcumque opportunitatem in Pastopolitani Praesulis Cancellaria fideliter collocentur, perpetuoque serventur.

De Episcopi, uti par est, Senatu, seu de Cathedralis Capituli erectione et forma quandoque facienda tunc ratio habebitur, cum ab hac Sancta Apostolica Sede omnium Neogronatensium Cathedralium Capitulorum ordinatio fiet, eorumque statui concinnius stabiliterque providebitur. Commendamus interim, et Pastopolitanum Municipium vehementer rogamus, ut, cum jam sponsum est, necessariae Aedes satisque idoneae, et quantum fieri potest Cathedrali Ecclesiae viciniores pro decenti Pastopolitani Antistitis habitatione, ejusque Ecclesiastica Curia et Cancellaria quam primum comparentur, ornentur, liberoque cum dominio perpetuo huic Episcopo eiusque Successoribus constituantur atque adjudicentur. Quod si nequeant illico in promptu habere, atque adeo eas interim conducere oporteat, Pastopolitanum Municipium huius locationis et conductionis pretium suppeditandum, singulisque annis penitus solvendum curabit.

Ut vero Dioecesanum Seminarium, ad instar ceterarum Dioecesium normam, iuxta sacri Concilii Tridentini praescripta, in hac nova Dioecesi Pastopolitana erigatur, Apostolico harum Litterarum Exequutori inferius nominando mandamus, ut prudenti judicio ex eis locis ultro a Pastopolitano Municipio in hanc rem oblatis illum praecipue seligat, et in Ecclesiasticorum Alumnorum Seminarium constituat,

quem opportuniorem, atque commodiorem esse in Domino iudicabit.

Praeterea ut novi Episcopatus Pastopolitani erectio probe fiat, eiusque incolumitati atque incremento provideamus, ratam penitusque acceptam habemus sponsionem jam ab ipso Municipio Pastopolitano Nobis factam, qua ultro sponteque promisit, se ea omnia praestiturum, quae oportere solent ad quemlibet Episcopatum noviter constituendum juxta ceterarum in illis Regionibus Ecclesiarum normam, eaque omnia maxima diligentia et sollicitudine esse facturum.

Interea tamen temporis, donec dotationes istae in bonis stabilibus fundentur, habita peculiarium circumstantiarum ratione, indulgemus, atque permittimus, ut ipsae modo in Ecclesiasticis decimarum proventibus constituantur. Si vero, quod Deus non faxit, acciderit, ut hi redditus aliquando deficiant, eorumdem Christifidelium zelo et Religioni maximopere intererit usque ad opportunitatem supplere. Super praefatis autem decimarum proventibus tum Episcopalis Mensae, tum Cathedralis Capituli ejusque Fabricae, tum Dioecesani Seminarii, divinique cultus respectiva dotatio statuatur, prout ex eorumdem reddituum divisione opportunius ab Exequutore Nostro judicabitur.

Pastopolitanam Dioecesim in Suffraganeam constituimus Ecclesiae Sanctae Fidei de Bogota, eiusque Archiepiscopo metropolitico iure subiicimus omnibus et singulis quibusque iuribus, honoribus, praerogativis, gratiis, indultis, privilegiis, cunctisque aliis omnibus fruituram, quae pariter ceterae illius Metropolitani Archiepiscopatus Ecclesiae suffraganeae, ac

vicissim de iure praeseferre solent legitimoque usu tuentur.

Cum vero Pastopolitana Ecclesia ita a Popayano Episcopatu disiuncta et separata satis ampla adhuc habeatur, quemadmodum sunt ceterae Neogranatensis Reipublicae Dioeceses, Apostolicae huic Sanctae Sedi Nobisque, et successoribus Nostris liberam facultatem reservamus tum ipsam Pastopolitanam Ecclesiam, tum ceteras in eo gubernio consistentes, quolibet modo et tempore in Domino expediat, circumscribendi atque dividendi.

Edicimus taxam Episcopali Pastopolitanae Ecsiae irrogandam esse debere in florenis aureis de Camera trigintatribus cum tertia eiusdem floreni parte, quam taxam in Camerae Apostolicae et Sacri Collegii libris ex more inscribendam esse mandamus.

Ut autem omnia superius statuta rite, feliciter atque celeriter ad optatissimum finem perducantur, dilectum Filium Miecislaum ex Comitibus Ledochowski Nostrum Apostolicum Delegatum penes Neogratensis Reipublicae Gubernium in harum Nostrarum Litterarum exequutorem eligimus, constituimus, et deputamus, illique omnes opportunas et necessarias facultates tribuimus, ut omnia supra disposita peragere, statuere, et decernere delegata sibi Apostolica auctoritate libere . ac licite possit et valeat; atque insuper eidem Miecislao facultatem facimus ad plenam rerum omnium exequutionem probum virum fide, religione, integritate spectatum, et in Ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi, et tam ipse Delegatus, quam eius subdelegandus super quacumque quaestione in actu exequutionis huiusmodi

forsan oritura, servatis tamen de iure servandis, definitive et quacumque appellatione remota pronunciare libere item ac licite possint et valeant. Eidem vero Exequutori expresse mandamus atque praecipimus, ut exempla singulorum Actorum, quae tam ipse quam eius subdelegatus confecerint, una cum naturalibus huius totius Pastopolitanae Dioecesis confinibus, singulisque nominatim Oppidis et Paroeciis, adiecta insimul topographica charta, intra sex menses ab expleta exequutione, ad hanc Apostolicam Sedem in authentica forma transmittat, quae in tabulario Nostrae Congregationis Rebus Consistorialibus praepositae ex more perpetuo serventur.

Praesentes autem Litteras, et in eis contenta et statuta quaecumque, etiamsi quilibet alii ad id interesse habentes, vel habere praetendentes vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut aliquo alio, etiam substantiali, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari; sicque et non alias per quoscumque iudices Ordinarios vel Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, Vicelegatos dictaeque Sedis Nuncios iudicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane volumus atque decernimus.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, et de gratiis non concedendis ad instar, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati dismembrationes perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Universalibusque Conciliis editis specialibus, vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, aliisque Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum dispositionibus, quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, illorumque totis tenoribus, specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda foret, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime, specialiter et expresse, pro hac vice dumtaxat, harum quoque serie, derogamus, ceterisque, etiam speciali mentione dignis, contrariis quibuscumque.

Volumus praeterea, ut harum Litterarum Nostrarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Absolutionis, Dismembrationis, Suppressionis, Erectionis, Constitutionis, Assignationis, Unionis, Institutionis, Concessionis, Attributionis, Indulti, Mandati, Praecepti, Deputationis, Decreti, Derogationis et Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; siquis autem hoc attentare praesumpserit, indigna-

tionem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Quinquagesimo Nono, Quarto Idus Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Tertiodecimo.

VENERABILIBVS FRATRIBVS PATRIARCHIS, PRIMATIBVS, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ALIISQVE LOCORVM ORDINARIIS GRATIAM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTIBVS.

PIVS PAPA IX.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. Cum sancta Mater Ecclesia sacris hisce festisque diebus, Venerabiles Fratres, anniversaria Paschalis Sacramenti solemnia effusis gaudiis per universum orbem concelebrans, in omnium fidelium suorum memoriam revocat laetissima verba suavissimae illius pacis, quam Vnigenitus Dei Filius Christus Iesus Dominus Noster, devicta morte, daemonisque eversa tyrannide, resurgens suis Apostolis Discipulisque frequenter amantissimeque nuntiavit, ecce tristissimus sane belli clamor inter catholicas gentes excitatus tollitur, omniumque auribus insonat. Nos igitur, cum licet immerentes vicariam hic in terris Illius geramus operam, qui ex Immaculata Virgine nascens pacem per Angelos suos annuntiavit hominibus bonae voluntatis, quique resurgens a mortuis, et in caelum ad Patris dexteram consessurus ascendens pacem reliquit Discipulis suis, haud possumus, quin pro singulari ac prorsus paterna, quae Nos erga catholicos praesertim populos urget, caritate et sollicitudine etiam atque etiam pacem clamemus, et ipsa Divini Nostri Reparatoris verba omnibus maxima animi Nostri contentione inculcantes sine intermissione repetamus *Pax Vobis, Pax Vobis*. Atque hisce pacis verbis Vos in sollicitudinis Nostrae

partem vocatos peramanter alloquimur, Venerabiles Fratres, ut fideles vestrae vigilantiae commissos pro eximia vestra pietate omni cura studioque excitetis ad preces Deo Optimo Maximo adhibendas, quo omnibus optatissimam suam pacem largiatur. Hac sane de causa Nos pro pastorali Nostro munere praecipere haud omisimus, ut in universa Pontificia Nostra ditione publicae clementissimo misericordiarum Patri offerantur precationes. Illustria vero Praedecessorum Nostrorum exempla sectantes ad vestras, ac totius Ecclesiae preces confugere constituimus. Itaque hisce Litteris a Vobis, Venerabiles Fratres, exposcimus, ut pro egregia vestra religione publicas in vestris Dioecesibus preces indicere quam primum velitis, quibus fideles Vobis concrediti, potentissimo Immaculatae Sanctissimaeque Deiparae Virginis Mariae patrocinio implorato, divitem in misericordia Deum enixe orent et obsecrent, ut per merita Vnigeniti Filii sui Domini Nostri Iesu Christi avertens indignationem suam a nobis, et auferens bella usque ad finem terrae, divina sua gratia omnium mentes illustret, omniumque corda christianae pacis amore inflammet, atque omnipotenti sua virtute efficiat, ut omnes in fide et caritate radicati, fundati, sancta Eius mandata diligentissime servent, ac peccatorum veniam humili contritoque corde efflagitent, et declinantes a malo, et facientes bonum per iustitiae semitas ambulent, et mutuam inter se caritatem continuam habeant, exerceant, atque ita cum Deo, cum semetipsis, et cum omnibus hominibus salutarem consequantur pacem. Nihil dubitamus, Venerabiles Fratres, quin pro perspecta vestra erga Nos

et hanc Apostolicam Sedem observantia hisce Nostris desideriis ac votis quam diligentissime obsequi studeatis. Vt autem fideles ardentiori studio et uberiori fructu instent precibus per Vos statuendis, caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem Nobis tradidit Altissimus, proferre et erogare censuimus. Quocirca iisdem fidelibus tercentum dierum Indulgentiam in forma Ecclesiae consueta concedimus toties lucrandam, quoties ipsi commemoratis precibus devote interfuerint, easque peregerint. Insuper, durante harum precationum tempore, eisdem fidelibus Plenariam largimur Indulgentiam semel tantum in mense eo die consequendam, quo ipsi sacramentali confessione rite expiati sanctissimaque Eucharistia refecti, aliquod templum religiose visitaverint, ibique pias ad Deum preces eumdem in finem effuderint. Denique nihil Nobis gratius, quam hac etiam uti occasione, ut iterum testemur et confirmemus praecipuam, qua Vos omnes, Venerabiles Fratres, prosequimur, benevolentiam. Cuius Nostrae in Vos studiosissimae voluntatis pignus quoque sit Apostolica Benedictio, quam ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis Laicisque fidelibus cuiusque vestrum fidei traditis peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 27 Aprilis Anno 1859. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

PARANENSIS
IN AMERICA MERIDIONALI SUB CONFOEDERATIONIS ARGENTINENSIS DITIONE ERECTIONIS NOVI EPISCOPATUS IN PROVINCIIS S. FIDEI ENTRERIONENSIS ET CORRIENTENSIS A DIOECESI DE BUENOS AYRES SEU SSMAE TRINITATIS JAM AD HOC OPUS DISMEMBRATIS

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Vel a primis Pontificatus Nostri temporibus intelligentes in quam curam atque laborem, et in quae Christianae Reipublicae tempora Deus Optimus Maximus Nos licet indignos vocavisset, nunquam ea gererè et mandare destitimus, quae ad animarum Christifidelium salutem tuendam, ad errores amovendos, ad Catholicam Religionem in universum, qua late patet, orbem quoquo modo propagandam, et amplianduam utiliora esse, consilium, ratio, Nostrorumque Praedecessorum exempla suadebant. Neque unquam occasiones omnes, quae ad tantae sollicitudinis opus perficiendum sese nobis ultro offerebant, arripere desivimus.

In tanta vero, et tam aerumnosa praesenti publicarum rerum exagitatione et discrimine, summa consolatione animus noster reficitur, quod in Americana Confoederatione Argentinensi studium atque desiderium pro Catholicae Religionis gloria, incre-

mento, et prosperitate impensius, juvante Deo, vigere dignoscatur. Et re quidem vera contigit, ut praeclarum eiusmet Confoederationis Gubernium consulto ad hanc Sanctam Sedem Apostolicam nuper suum Plenipotentiarium Administrum dilectum filium Joannem Campillo in Oratorem legaverit, ut is praeter alia satageret Nobis devotissimas exhibere supplicationes implorandi gratia, ut alterius novi Episcopatus institutio, quae iam excogitabatur, nunc ibi exequutioni demandetur. Hac profecto mente consilioque Nos superiori anno iussimus tres illas peramplas Provincias, alteram scilicet a Sancta Fide, et aliam Corrientes, ac reliquam Entrerios vernacule illic nuncupatas a vastissima de Buenos Ayres seu SSmae Trinitatis Dioecesi penitus dismembrari, quemadmodum ex Nostra, ipsiusque Apostolicae Sedis auctoritate per Venerabilem Fratrem Nostrum Marinum Marini Archiepiscopum Palmirensem in partibus infidelium, ac penes dictam Argentinensem Confoederationem Delegatum Apostolicum iam actum fuisse constat; ita tamen ut spiritualis earumdem Provinciarum administratio uni Apostolico Vicario ad eiusdem S. Sedis beneplacitum propter instantem ipsarum Provinciarum, quae ad quatuordecim Leucarum quadratarum millia quacum late patere, illorumque incolarum, qui biscentum octo millia continuo increbrescentes recensere perhibentur, necessitatem provisorie concredita fuerint.

Ex quibus porro aliisque gravibus rationibus ultro liquet maximeque urget necessitas praeconceptum erigendi Episcopium, ac, ut eius in tempore Antistes impensius meliusque navare valeat spiritualibus

illorum Christifidelium indigentiis, probe censetur rectumque est Sedem huiusce novi Episcopatus commodius in provincia Entrerionensi, quae alterutrique media extitit, constituere. Inibi etenim Argentinensis Confoederationis princeps imminet civicum oppidum Parana eo idiomate appellatum, excellentioribus quidem praerogativis praeditum, atque adeo rebus, commodis, adminiculis, et circumstantiis ad episcopalem residentiam apprime conducentibus instructum. Praecommendatum autem Argentinensis Confoederationis Gubernium iam deliberate in eo est, ut quae in id operis vel necessaria, vel etiam opportuna dignoscuntur, ea cuncta munifice sit confecturum, stabiliterque suppeditaturum.

Quae cum ita se habeant, susceptas praelaudati Gubernii postulationes, piumque pro maiori illorum Christifidelium spirituali bono et commodo desiderium benigno favore prosequi volentes, omnesque et singulos, quibus hae Nostrae litterae favent, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, ac omnium et quorumcumque in huiusmodi negocio interesse habentium, seu habere praetendentium, vel praesumentium consensui ex suprema in singulas Ecclesias auctoritate Apostolica quam plenius harum serie supplentes, cunctis, quae animadvertenda erant, matura deliberatione perpensis, motu proprio, et de certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine eam trium Provinciarum S. Fidei, Entrerionensis, et Corrientensis a Dioe-

cesi de Buenos Ayres dismembrationem, quae huius S. Sedis auctoritate ab enunciato Marino Archiepiscopo iam fuit exequutioni consulto mandata, ita quod ad omnis dubitationis et quaestionis causam e medio tollendam tres hae Provinciae videlicet una cum omnibus, et singulis, quotquot in earum territoriis comperiuntur, oppidis, vel etiam civitatibus, pagis, ruribus, paroeciis, atque incolis, unaque cum cappellis, oratoriis, nec non quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis, Institutis Piis, ceterisque de more concomitantibus accessoriis, ab ordinaria iurisdictione ac superioritate Venerabilis etiam Fratris nostri moderni, et pro tempore existentis Antistitis De Buenos Ayres omnino exemptae, perpetuoque disiunctae censeantur, et sint, Apostolica auctoritate perpetuo confirmamus, decernendo, ut enarrata trium Provinciarum huiusmodi administratio, quae uni Vicario Apostolico provisorio modo commissa est, ad effatae S. Sedis Apostolicae beneplacitum debeat ipso facto cessare, statim ac novus Paranensis Ecclesiae infrascriptae Antistes praeconium ad eam obtinendam Cathedram in Pontificio Consistorio assequutus, ipsiusque Ecclesiae possessionem adeptus fuerit.

Et quoniam oportet novi exoptati Episcopatus Civitatem et Ecclesiam congruenter designare; ideo memoratum civicum oppidum, quod eminens effatae Confoederationis urbs, ac nedum amplitudine, centralique commoditate, verum etiam adhibendarum rerum idoneitate, et titulorum dignitate praestans esse perhibetur, ad decorem et fastigium Civitatis etiam Episcopalis fruiturum post hac omnibus et singulis honoribus, iuribus, privilegiis, praerogativis,

gratiis, favoribus atque indultis, quibus nunc aliae Civitates Episcopales in America meridionali ordinario de more insigniri , uti , et frui consueverunt , Apostolica auctoritate perpetuo evehimus et extollimus, atque adeo in Episcopatus modo noviter erigendi, eiusque in tempore Antistitis residentiam constituimus; propterea summopere commendantes, ut ipsum Confoederationis Argentinensis Gubernium , quemadmodum sibi ultro proposuit , ac spopondit , in honorem S. Michaelis Archangeli , quam primum ita satagat in loco magis idoneo eiusdem Civitatis novum templum tum architectura , et soliditate, tum amplitudine, et ornamentis adeo conspicuum aedificare, ut praestantius ad Cathedralis honorem et dignitatem sufficiatur. Interea Parochialem Ecclesiam Beatissimae Mariae Virginis de Rosario nuncupatae inibi extantem, quae perhibetur esse tum sacra supellectili , tum aliis rebus , quarum potissimum indiget usus, convenienter instructa , protinus in Cathedralem sub eadem utique invocatione indesinenter permansuram, ac eamdem servaturam Parochialitatem , cum animarum cura sicuti antea exercenda, dicta Apostolica auctoritate provisorio modo instituimus; praecipiendo ut illic pro nunc erigatur Sedes, Cathedra, et Dignitas Episcopalis pro Antistite suo Paranensi nuncupando, qui eidem Ecclesiae, civitati, Clero, et populo, universaeque demum Dioecesi ut infra designandae praesit , Synodum Dioecesanam convocet, omniaque et singula iura, officia, et munia rite assequatur et exerceat. Praesto insuper sit habiturus Cathedrale Canonicorum Capitulum , ut infra constituendum , ac potiatur frua-

turque cathedralibus et pontificalibus quibusque insigniis, honoribus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, indultis, praerogativis, iurisdictionibus, et ceteris cunctis, quae hodiedum in America meridionali existentes Ecclesiae Cathedrales, earumque Antistites obtinent atque gaudent, illis dumtaxat exceptis, quae peculiari fortasse indulto vel privilegio fuerint adquisitae.

Cui profecto novae Episcopali Ecclesiae tres illas superius memoratas Provincias S. Fidei scilicet, Entrerionensem, et Corrientensem in propriam Dioecesim pari Apostolica auctoritate perpetuo quoque adiudicamus, atque adeo una cum omnibus, et singulis insitis civitatibus, oppidis, pagis, paroeciis, incolis, terris, rebus ecclesiasticis, ceterisque demum consuetis accessoriis consertim ordinariae pro tempore existentis Paranensis Antistitis iurisdictioni, administrationi, ac regimini eadem auctoritate perpetuo item subiicimus, iubendo, ut omnia instrumenta, et quaevis scripta, quae novae eius Paranensis Dioecesis incolas seu ecclesiastica bona, loca, res, iura, causas, privilegia, gratias, et favores respiciunt, e vestigio ab Episcopali Cancellaria de Buenos Ayres secernantur, ut subinde in altera Paranensis Episcopatus Cancellaria possint ad posteram quamcumque opportunitatem inseri, fideliterque conservari.

Ceterum in praedicta Cathedrali Capitulum ex unica constans post Episcopalem Dignitate Decanatus titulum habitura, ac ex quatuor Canonicatibus, inter quos alter Theologalis, alter autem Poenitentiarii praeseferant nuncupationem, et officium, Apostolica auctoritate praedicta perpetuo similiter erigimus,

impertiendo, ut his etiam accedant duo ita illic dicti Portinarii, aliique duo Semiportinarii ac tres Mansionarii seu Chorales Cappellani, unusque Gregoriani cantus director, ac commendando, ut exiguus iste Capitularium numerus, quam primum fieri poterit, augeatur. Indulgentes ceteroquin, ut singulae huius Capituli praebendae sint liberae Paranensis in tempore Antistitis provisiones, praevio tamen concursu quoad Theologalem et Poenitentiariam, aliasque animarum curam praeseferentes iuxta sacrorum canonum et Apostolicarum constitutionum praescriptum omnino conferendae. Quodvero pertinet ad sacros ritus in eadem Paranensi Cathedrali sedulo peragendos, ac ad decoram gravitatem eis adsciscendam Apostolica item auctoritate praecipimus, ut omnes et singuli, qui Cathedrali ipsi Capitulo et Clero fuerint mancipati, teneantur ea in Ecclesia divina officia ceterasque Ecclesiasticas functiones et munia rite ad aliarum Cathedralium normam diligenter obire, ac ea in choralibus aliisque capitularibus functionibus respective queant gestare, atque adhibere indumenta, vel etiam insignia, quae ab aliis vicinioribus Capitulis et Cleris cathedralibus probe gestantur, et adhibentur, declarando quod effatae Parochiali Ecclesiae Parochus eiusque coadiutores, sartis, tectis ceteroquin servatis sibi praebendis et emolumentis, quae viritim eis attributa comperiuntur, non accenseantur uti Canonici de gremio illius Capituli, sed admittantur uti Canonici honorarii, qui, iisdem adhibitis choralibus indumentis, possint pro lubitu divinis officiis et Ecclesiasticis quibuscumque functionibus illic interesse, et immediate post Canonicos

de gremio assideant. Et quoniam huic Capitulo eadem incumbere debent onera et munia, quae cetera illarum partium Capitula Cathedralia sustinent, hinc eidem Paranensi capitulo pari Apostolica auctoritate impertimur, ut iisdem pariter gaudeat fruaturque iuribus, honoribus, indultis, gratiis, favoribus, praerogativis, privilegiis, et ceteris quibuscumque, dummodo adhuc legitimo in usu sint, neque peculiari ex concessione, vel oneroso titulo adquisita dignoscantur. Possit insuper, consultoque curet opportuna conficere statuta capitularia, ordinationes et decreta, quae utique Apostolicis Constitutionibus atque Sacrorum canonum, et praesertim Concilii Tridentini praescriptis penitus consentanea sint, quaeque Ordinarii Antistitis approbatione indigeant, ut subinde valeant efficacem legis vim habere.

Porro, ut frequentior succrescat bonorum Presbyterorum copia, ne dum ad augendum, ut praefertur, Capitularium numerum, verum etiam ad eam valde latam Christi Domini vineam fructuosius excolendam, eadem Apostolica auctoritate constituimus, ut illic erigatur Dioecesanum Ecclesiasticorum alumnorum Seminarium, ad aliarum Dioecesium normam, iuxta sacri Concilii Tridentini praescriptum rite administrandum.

Iam vero ad novam Paranensis Episcopatus fundationem, posteramque incolumitatem et incrementum ratam, et quam solemnius acceptam esse sancimus eam commendati Gubernii Argentinensis religiosam sponsionem, ad hanc S. Sedem consulto perhibitam, ut nempe, quae ad hoc totum opus censentur vel necessaria, vel iuxta morem opportuna,

ea omnia et singula diligenter libenterque ab eodem Gubernio efficaciter atque stabiliter praestentur. Ita igitur ex impensa ipsius Gubernii cura et sumptu comparentur planeque adiudicentur alterum condecens idoneumque apud Cathedralem Ecclesiam aedificium pro Episcopi habitatione, Curiaque sua, nec non alterum item idoneum rebusque opportunis instructum aedificium pro effato Alumnorum seminario, cauto quod si interim oporteat aptas in Episcopium eiusque Cancellariam aedes condecora hoc in casu eiusdem Gubernii cura sit, huiusque conductionis pretium in singulos annos rependatur.

Et licet sit in more positum et Sacrorum canonum institutum, ut quaevis mensa Episcopalis, singulaeque Cathedralium praebendae debeant in bonis stabilibus fundari, nihilominus habita praesentium temporum et peculiarium circumstantiarum ratione, ipsa Apostolica auctoritate indulgemus, ut interea totidem in numeratis pecuniis praestationes congruenter sufficiantur, et ab eo Gubernio, quemadmodum sponsum est, quotannis persolvantur, nimirum pro congrua Episcopi sustentatione quatuor millia et biscentum, ac pro impendiis in Cancellaria Episcopali obeundis sexcenta, et pro Vicario Capitulari tempore illius sedis vacantis millia scutata illius monetae *Pesos* nuncupatae, conservatis, uti opus est, tum pro Episcopi Vicario Generali, tum pro officialibus illius cancellariae iis respective honorariis et stipendiis, quae modo illiusmet Ecclesiasticae Curiae, sicuti perhibetur, iam constitutae Procuratori seu Vicario Generali, nec non Secretario et cancellariae praestari censentur.

Itemque quoad singulas praedicti Capituli praebendas, et earum dotationem, Decanali Dignitati videlicet millia et biscenta, ac unicuique ex quatuor Canonicis nongenta, et cuilibet ex binis Portinariis sexcenta, unicuique vero ex Semiportinariis quingenta, ac Secretariis Capitularibus biscenta supra quadraginta, et cuilibet ex tribus Mansionariis seu Choralibus Cappellanis quingenta, ac uni Gregoriani cantus Directori quingenta, tandem Sacellariis maioribus itidem quingenta scutata ab ipsomet Gubernio, sicuti propositum et sponsum est, annuatim aequalibus scilicet portionibus in singulos menses opportune stabiliendis persolvantur, tertia singularum praebendarum parte in massam quotidianarum distributionum, uti par est in quibuscumque Cathedralibus Capitulis, conversa et statuta, ut eae in singulos dies et horas canonicas, rationali habita proportione, inter praesentes rite impertiantur.

Quum autem congrua dotatio haud praesto sit ad ea ferenda impendia, quae pro novae huius Cathaedralis incolumitate iugiter ornatiusque servanda, nec non pro divini cultus exercitio rite inibi peragendo indesinenter oportuerint, huic officio exoptamus, ut praeter emolumenta, quae aliunde in usum hunc iam irrogata comperiuntur, millia insuper scutata dictae monetae sint quotannis ab eodem Gubernio constituenda et persolvenda.

Demum quoad Seminarium Dioecesanum congrue item dotandum id etiam iuxta ipsius Gubernii propositionem atque sponsionem Apostolica auctoritate mandamus, ut millia et biscenta in gratuitam duodecim Ecclesiasticorum alumnorum educationem,

ac bismillia et quadringenta pro quatuor magistris cathedraticis naviter inibi opera sua perfuncturis, nec non millia scutata dictae monetae in illius honorarium servitium eroganda quotannis ab eodem Gubernio constituantur et exsolvantur.

Quam quidem Paranensem Ecclesiam in Archiepiscopalis De Plata suffraganeam, cum omnibus quibuscumque iuribus, honoribus, praerogativis, gratiis, et indultis, quae pariter ceterae illius Archiepiscopatus Ecclesiae Suffraganeae ac vicissim habere solent atque tueri, dicta Apostolica Auctoritate subiicimus, illiusque Canonicam Taxam pro Litterarum Apostolicarum expeditione, quoties Antistes eidem Cathedrali fuerit praeficiendus, in aureis florenis de Camera triginta tribus cum tertia eiusdem floreni parte statuimus, sicque in libris Camerae Apostolicae Sacrique Collegiis libris inseri et observari iubemus.

Tandem prae nimia huiusce Paranensis Dioecesis amplitudine in melius fortasse aliquando partienda nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti facultatem reservamus circumscribendi hanc novam etiam Dioecesim, quoquo tempore, et modo, prout ratum fuerit in Domino opportunius expedire.

Praesentes vero litteras de subreptionis, aut obreptionis, aut nullitatis, aliove quocumque vitio, seu intentionis Nostrae, aut quolibet alio, quamtumvis iuridico, et substantiali, et substantialissimo, vel inexcogitato defectu, etiam ex eo quod quicumque in praemissis omnibus et singulis interesse habentes, vel habere putantes, seu praetendentes, cuiuscumque qualitatis, gradus, status, conditionis et dignitatis existant, ad id vocati, citati, et auditi non fuerint, ac praemis-

sis omnibus non consenserint, ac causae, propter quas omnia et singula emanaverint, minime, vel minus sufficienter examinatae fuerint, et ex quocumque alio capite, quamtumvis legitimo, pio, privilegiato, ac speciali nota digno impugnari, invalidari, infringi, aut retardari, ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illas oris aperitionem, aut aliud quodcumque iuris, vel facti remedium, etiam ex praetextu laesionis, quantumvis enormis et enormissimae, vel cuiuscumque praeiudicii impetrari, ac etiam motu, scientia, vel potestatis plenitudine paribus per quoscumque Romanos Pontifices successores Nostros quomodolibet contra praemissa concessum acceptari, ac in iudicio et extra illud allegari, deduci aut alias illud, quomodolibet uti non posse impetrari, quin imo omnia et singula, uti praefertur, disposita semper, et perpetuo, firma, valida, et efficacia existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, illaque sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam Consistorialibus, minime comprehendi, nec comprehensa aliquo modo censeri, vel confundi, sed utpote ad maiora Religionis incrementa, et spirituali Christifidelium bonum, et commodum facta semper ab illis excipi, et quoties illa emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restituta, reposita, et plenarie reintegrata ac de novo etiam, sub quacumque posteriori data, per futuros, ac pro tempore existentes Episcopum et Capitulum, ac alios, in quorum favorem eaedem praesentes quomodolibet cedunt, quandocumque eligen-

da, concessa esse, et fore, et ita ab omnibus censeri, sicque et non alias per quoscumque Iudices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, Vice Legatos, et Apostolicae Sedis Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari et definiri debere, et quidquid secus, super his, a quoquam, quavis Auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus. Quocirca memorato Marino Archiepiscopo et Apostolico Delegato per easdem praesentes committimus, et mandamus, ut ipse ad praemissorum omnium exequutionem procedat, opportunas et necessarias ei impertiendo facultates, quibus is ad hoc opus explendum alteram idoneam, probamque personam, in Ecclesiastica Dignitate constitutam, subdelegare queat; ita tamen, ut idem Marinus Archiepiscopus per se, vel ipsam subdelegandam personam valeat cuncta ordinare, statuere, atque etiam definitive, omni appellatione remota, super quavis quaestione, in quam forsan inciderit, decernere quae censuerit vel oportere vel expedire, ut totum hoc negocium ad exoptatum exitum feliciter perducatur.

Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, aliisque Nostris, et Cancellariae Apostolicae regulis, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati dismembrationes perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus Con-

stitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis quibusvis superioribus, et personis in genere, vel in specie, etiam sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac sub quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, et aliis Decretis, etiam Motu, Scientia, et Potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, seu alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et amplissime, ac specialiter et expresse, ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum, hac vice dumtaxat, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, harum quoque serie, derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod dictus Marinus Archiepiscopus, tres infra menses ab expleta praesentium exequutione, diligenter ad hanc Apostolicam Sedem transmittere teneatur authenticum exemplar cuiusvis ferendi decreti exequutorialis, uti insimul in Secretaria Congregationis S. R. Ecclesiae Cardina-

lium Consistorialibus rebus praepositae ad perpetuam rei memoriam et normam conserventur.

Volumus etiam quod praesentium litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio, et extra illud, adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, acceptationis, exequutionis, praefinitionis, erectionis, largitionis, assignationis, concessionis, iussi, attributionis, praecepti, statuti, declarationis, subiectionis, indulti, decreti, mandati, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Apostolorum eius Petri, et Pauli se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Quinquagesimo nono, Idibus Iunii, Pontificatus Nostri anno Tertio Decimo.

VENERABILIBVS FRATRIBVS PATRIARCHIS, PRIMATIBVS, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ALIISQVE LOCORVM ORDINARIIS GRATIAM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTIBVS

PIVS PAPA IX.

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Qui nuper per Italiam erupit contra legitimos Principes seditionis motus in regionibus etiam Pontificiae ditioni finitimis, nonnullas ex Provinciis Nostris, quaedam veluti incendii flamma, pervasit; quae quidem et funesto illo permotae exemplo, et externis actae incitamentis a paterno Nostro regimine sese subduxerunt, et vero etiam paucis adnitentibus id quaerunt, ut italico illi subjiciantur Gubernio, quod per annos hosce postremos Ecclesiae, ac legitimis illius juribus, sacrisque administris se gessit adversum. Dum Nos rebellionis hujusmodi actus et reprobamus, et dolemus, quibus quaedam tantum populi pars turbatis in iisdem provinciis injuste adeo respondet paternis studiis, curisque Nostris, ac dum necessarium esse palam edicimus Sanctae huic Sedi civilem principatum, ut in bonum religionis sacram potestatem sine ullo impedimento exercere possit, quem quidem civilem Principatum extorquere eidem conituntur vaferrimi hostes Ecclesiae Christi, Vobis, in tanto rerum turbine praesentes damus litteras, Venerabiles fratres, ut aliquod dolori Nostro solatium quaeramus. Atque hac occasione Vos etiam

hortamur, ut pro explorata pietate vestra, pro eximio erga Apostolicam Sedem, ejusque libertatem studio id praestandum curetis, quod olim Aaroni supremo Hebraeorum Pontifici praescripsisse legimus Moysem (Num. Cap. XVI) *tolle thuribulum, et hausto igne de altari mitte incensum desuper pergens cito ad populum, ut roges pro eis; iam enim egressa est ira a Domino, et plaga desaevit* ». Itemque Vos hortamur, ut preces fundatis quemadmodum sancti illi fratres, Moyses nimirum, atque Aaron, qui » *proni in faciem dixerunt; fortissime Deus spirituum universae carnis, num aliquibus peccantibus contra omnes ira tua desaeviet*? (Num. Cap. XVI) Ad hoc scilicet, Venerabiles Fratres, praesentes Vobis mittimus litteras, ex quibus non parum solatii percipimus, quippe confidimus, desideriis Vos, curisque Nostris cumulate responsuros. Ceterum palam hoc profitemur, indutos Nos virtute ex alto, quam infirmitati Nostrae immittet fidelium precibus exoratus Deus, quidvis discriminis, quidvis acerbitatis antea perpessuros quam Apostolicum ulla ex parte deseramus officium, ac quidquam admittamus contra juramenti sanctitatem, quo Nos obstrinximus, cum licet immerentes Supremam hanc Apostolorum Principis Sedem, arcem, et propugnaculum Catholicae fidei, Deo sic volente, conscendimus. In pastorali vestro tuendo munere omnia laeta, ac felicia, Venerabiles Fratres, Vobis adprecantes, caelestis auspicem beatitatis Apostolicam benedictionem, Vobis, gregique vestro peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 18 Junii Anno 1859. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE 20 IVNII MDCCCLIX.

VENERABILES FRATRES

Ad gravissimum, quo cum bonis omnibus propter bellum inter catholicas nationes excitatum premimur, dolorem maximus accessit moeror ob luctuosam rerum conversionem ac perturbationem, quae in nonnullis Pontificiae Nostrae ditionis Provinciis nefaria impiorum hominum opera ac sacrilego prorsus ausu nuper evenit. Probe intelligitis, Venerabiles Fratres, Nos dolenter loqui de scelesta sane perduellium contra sacrum legitimumque Nostrum, et huius Sanctae Sedis civilem principatum coniuratione et rebellione, quam vaferrimi homines in eisdem Nostris provinciis commorantes tum clandestinis pravisque coetibus, tum turpissimis consiliis cum finitimarum regionum hominibus initis, tum fraudolentis calumniosisque editis libellis, tum exteris armis comparatis et invectis, tum perversis quibusque aliis fraudibus, et artibus moliri, fovere, et efficere minime reformidarunt. Nec possumus non vehementer dolere, infestam huiusmodi coniurationem primum erupisse in civitate Nostra Bononiensi, quae paternae Nostrae benevolentiae ac liberalitatis ornata beneficiis duos fere ab hinc annos, cum ibi diversati sumus, suam erga Nos et hanc Apostolicam Sedem venerationem ostendere, ac testari haud omi-

serat. Bononiae enim die duodecima huius mensis, postquam Austriacae inopinato discesserunt copiae, nulla interposita mora coniurati homines audacia insignes, omnibus divinis, humanisque proculcatis iuribus, laxatisque improbitatis habenis, haud exhorruerunt tumultuari, atque urbanam cohortem, aliosque armare, cogere, educere, atque Cardinalis Nostri Legati aedes adire, ibique ablatis Pontificiis Insignibus eorum loco rebellionis vexillum attollere et collocare cum summa honestiorum civium indignatione ac fremitu, qui tantum facinus improbare, ac Nobis et Pontificio Nostro Gubernio plaudere haud extimescebant. Hinc ab ipsis perduellibus eidem Cardinali Nostro Legato profectio fuit denunciata, qui pro sui muneris officio tot scelestis ausibus obsistere, ac Nostram, et huius Sanctae Sedis dignitatem et iura asserere ac tueri minime praetermittebat. Atque eo sceleris et impudentiae rebelles devenerunt, ut minime veriti sint gubernium immutare, et Sardiniae Regis Dictaturam petere, et ob hanc causam suos ad eumdem Regem deputatos mittere. Cum igitur Noster Legatus haud posset tantas impedire improbitates, easque diutius ferre et intueri, solemnem tum voce tum scripto edidit protestationem contra omnia quae a factiosis hominibus adversus Nostra et huius Sanctae Sedis iura fuerunt patrata, ac Bononia decedere coactus Ferrariam se contulit.

Quae Bononiae tam nefarie peracta sunt, eadem similibus criminosis modis Ravennae, Perusiae, et alibi flagitiosi homines communi bonorum omnium luctu agere minime dubitarunt, haud timentes posse suos impetus a Pontificiis Nostris copiis reprimi ac

refringi, cum illae numero paucae eorum furori et audaciae resistere minime possent. Quocirca in eisdem civitatibus a perduellibus omnium divinarum, humanarumque legum conculcata auctoritas, et suprema civilis Nostra atque huius Sanctae Sedis oppugnata potestas, et defectionis erecta vexilla, et legitimum Pontificium Gubernium de medio sublatum, et Sardiniae Regis Dictatura petita, et Nostri Delegati publica emissa protestatione ad profectionem vel impulsi, vel coacti, et alia multa rebellionis admissa facinora.

Nemo vero ignorat quo isti civilis Apostolicae Sedis principatus osores semper potissimum spectent, et quid ipsi velint, quid cupiant, quid exoptent. Omnes quidem norunt singulari Divinae Providentiae consilio factum esse, ut in tanta temporalium Principum multitudine et varietate Romana quoque Ecclesia temporalem dominationem nemini prorsus obnoxiam haberet, quo Romanus Pontifex summus totius Ecclesiae Pastor nulli unquam Principi subiectus supremam universi Dominici gregis pascendi, regendique potestatem auctoritatemque ab ipso Christo Domino acceptam per universum, qua late patet, orbem plenissima libertate exercere, ac simul facilius divinam religionem magis in dies propagare, et variis fidelium indigentiis occurrere, et opportuna flagitantibus auxilia ferre, et alia omnia bona peragere posset, quae pro re ac tempore ad maiorem totius christianae reipublicae utilitatem pertinere ipse cognosceret. Infestissimi igitur Romanae Ecclesiae temporalis dominii hostes civilem eiusdem Ecclesiae, Romanique Pontificis principatum caele-

sti quadam rerum dispensatione, et vetusta per tot iam continentia saecula possessione, ac iustissimo quovis alio optimoque iure comparatum, et communi omnium populorum et Principum vel acatholicorum consensione uti sacrum inviolatumque Beati Petri patrimonium semper habitum ac defensum invadere, labefactare, ac destruere connituntur, ut, Romana Ecclesia suo spoliata patrimonio, Apostolicae Sedis, Romanique Pontificis dignitatem maiestatemque deprimant, pessundent, et liberius sanctissimae religioni maxima quaeque damna, ac teterrimum bellum inferant, ipsamque religionem, si fieri unquam posset, funditus evertant. Huc sane semper spectarunt ac spectant nequissima illorum hominum consilia, molitiones et fraudes, qui temporalem Romanae Ecclesiae dominationem convellere exoptant, veluti diuturna ac tristissima experientia omnibus clare aperteque demonstrat.

Quamobrem cum Nos Apostolici Nostri muneris officio, solemnique iuramento adstricti debeamus religionis incolumitati summa vigilantia prospicere, ac iura et possessiones Romanae Ecclesiae omnino integras inviolatasque tueri, et huius Sanctae Sedis libertatem, quae cum universae Ecclesiae utilitate est plane coniuncta, asserere et vindicare, ac proinde ipsius Principatum defendere, quo ad liberam rei sacrae in toto terrarum orbe procurationem exercendam Divina Providentia Romanos Pontifices donavit, illumque integrum et inviolatum Nostris Successoribus transmittere, iccirco non possumus non vehementer damnare, detestari impios nefariosque

perduellium subditorum ausus, conatus, illisque fortiter obsistere.

Itaque postquam per reclamationem Nostri Cardinalis Secretarii Status missam ad omnes Oratores, Ministros et negotiorum Gestores exterarum nationum apud Nos, et hanc S. Sedem nefarios huiusmodi rebellium ausus reprobavimus ac detestati sumus, nunc in amplissimo hoc Vestro Consessu, Venerabiles Fratres, Nostram attollentes vocem, maiori qua possumus animi Nostri contentione, protestamur contra ea omnia, quae perduelles in commemoratis locis agere ausi sunt, et suprema Nostra auctoritate damnamus, reprobamus, rescindimus, abolemus omnes et singulos actus tum Bononiae, tum Ravennae, tum Perusiae, tum alibi ab ipsis perduellibus contra sacrum legitimumque Nostrum, et huius S. Sedis Principatum quovis modo factos et appellatos, et eosdem actus irritos omnino, illegitimos, et sacrilegos esse declaramus, atque decernimus. Insuper in omnium memoriam revocamus maiorem excommunicationem, aliasque ecclesiasticas poenas et censuras a sacris Canonibus, apostolicis Constitutionibus, et Generalium Conciliorum, Tridentini praesertim (Sess. 22 cap. 11, de Reform.) decretis inflictas, et ulla absque declaratione incurrendas ab iis omnibus, qui quovis modo temporalem Romani Pontificis potestatem impetere audeant: in quas proinde eos omnes misere incidisse declaramus qui Bononiae, Ravennae, Perusiae, et alibi civilem Nostram, et huius Sanctae Sedis potestatem, et iurisdictionem, ac Beati Petri patri-

monium opera, consilio, assensu et alia quacumque ratione violare, perturbare, et usurpare ausi sunt.

Dum vero officii Nostri ratione compulsi haec non levi certe animi Nostri dolore declarare, et edicere cogimur, miserrimam tot filiorum caecitatem illacrimantes a clementissimo misericordiarum Patre humiliter enixeque exposcere non desistimus, ut omnipotenti sua virtute efficiat, ut quamprimum optatissimus illucescat dies, quo et ipsos filios resipiscentes, atque ad officium reductos iterum paterno sinu cum gaudio excipere, et omni perturbatione sublata ordinem tranquillitatemque in tota Pontificia Nostra ditione restitutam videre possimus. Hac autem in Deo fiducia suffulti ea quoque spe sustentamur fore, ut Europae Principes, uti antea, ita hoc etiam tempore suam omnem operam in temporali Nostro, sanctaeque huius Sedis principatu tuendo, et integre servando consociatis studiis consiliisque impendant, cum eorum cuiusque vel maxime intersit, Romanum Pontificem plenissima frui libertate, quo Catholicorum conscientiae in eorumdem Principum ditionibus commorantium tranquillitati rite consultum sit. Quae quidem spes augetur, propterea quod Gallicae copiae in Italia degentes, iuxta ea quae Carissimus in Christo Filius Noster Gallorum Imperator declaravit, non modo nihil contra temporalem Nostram et huius S. Sedis dominationem agent, immo vero eamdem tuebuntur atque servabunt.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

In sublimi Principis Apostolorum Cathedra arcano Divinae Providentiae consilio, nullis certe Nostris promeritis collocati, optime noscentes quantum Christianae civilisque reipublicae intersit, ut Clerici ad catholicam religionem strenue tuendam et propagandam, atque ad ecclesiasticum ministerium sancte obeundum, animarumque salutem sedulo procurandam accuratissime instituantur et informentur, iccirco nihil certe antiquius habemus, quam saluberrimum seminariorum opus, tum in hac alma Urbe Nostra, tum ubique locorum omni Pontificiae Nostrae sollicitudinis cura, studioque summopere fovere, provehere atque juvare. Quod quidem seminariorum opus si semper antea, hisce potissimum asperrimis temporibus maxima diligentia et contentione est promovendum, ut Deo auxiliante illorum augeatur numerus, qui ecclesiastico spiritu animati, ac virtutum omnium splendore fulgentes, et salutari, solidaque doctrina imbuti, veluti boni milites Christi Jesu valeant in tempore cum antiquo serpente teterrimo humani generis hoste fortiter depugnare, ac Dominicum agrum diligenter excolere, et errantes ad salutis semitas revocare, et contradicentes arguere. Itaque non mediocri certe jucunditate novimus, a Congregatione Sancti Spiritus et Immaculati Cordis

Mariae plures abhinc annos in hac alma Urbe Nostra Seminarium Gallicum propriis sumptibus, ac nostra etiam ope auxilioque, in aedibus Sanctae Clarae ad Thermas Agrippae in regione nona, vulgo *Pigna*, ea sane mente erectum, ut non solum Clerici ex Galliae Dioecesibus Romam venientes, ac nondum ecclesiasticis disciplinis instituti philosophiam, theologiam tum dogmaticam, tum moralem, ac divinas litteras, ecclesiasticam historiam, jus canonicum, sacrosque ritus, caeremonias, atque orientales linguas ex Romanae Ecclesiae omnium Ecclesiarum matris et magistrae more institutisque condiscant, verum etiam ut juniores praesertim Galliae Sacerdotes, vel Clerici, qui in suis provinciis consuetum studiorum confecere curriculum, in ecclesiasticas disciplinas addiscendas diutius incumbere, ac veram germanamque divinarum, sacrarumque rerum cognitionem et scientiam ex ipso fonte majorem in modum haurire et consequi possint, quo ipsi religionis, pietatisque studio, et vero ecclesiastico spiritu incensi, ac sana, solidaque doctrina instructi in Galliam redeuntes, rei praesertim sacrae usui et ornamento esse, atque auxiliariam propriis sacrorum Antistitibus in vinea Domini excolenda, et sempiterna hominum salute procuranda operam navare queant.

Jam vero, dilecti filii Ignatius Schwindenhammer supremus commemoratae Congregationis Moderator, et Melchior Freyd ejusdem Gallici hic in Urbe Seminarii Rector enixe a nobis efflagitaverunt, ut suprema Nostra auctoritate idem Seminarium, ejusque regulas quas viri integritate, et eruditione praestantes sedulo recognoverunt, approbare et san-

cire velimus. Hinc septuaginta sex venerabiles fratres Galliae sacrorum Antistites suas ad nos dederunt Litteras, quibus idipsum a nobis enixe postularunt. Nos igitur dum amplissimas eisdem Venerabilibus Fratribus, ac dilectis Filiis laudes deferimus, qui hoc facto luculenter ostendunt, ac testantur quo singulari amore, obsequio ac veneratione Romanam prosequantur Ecclesiam, et quam vehementer ipsi cupiant suos Clericos, et Sacerdotes sacris praesertim disciplinis accurate, penitusque imbui et erudiri, illosque in iisdem sacris disciplinis doctoris lauream in hac Urbe consequi, eorumdem Venerabilium Fratrum, ac dilectorum Filiorum precibus votisque quam libentissime annuendum esse censuimus, ea potissimum spe freti fore, ut Deo bene juvante maxima ex hujusmodi Seminario in rem catholicam, et in Galliae praesertim Ecclesias bona redundent. Quamobrem hisce Litteris commemoratum Gallicum Seminarium a praedicta Congregatione Sancti Spiritus et Immaculati Cordis Mariae hic in Urbe fundatum, ejusque regulas, seu leges auctoritate Nostra Apostolica confirmamus, easque diligenter servari praecipimus. Sunt autem eae leges hujusmodi, videlicet:

Hujus Gallici Seminarii Alumni publicas Collegii Romani scholas adire debent, ut philosophicarum ac theologicarum rerum, aliarumque sacrarum disciplinarum scientiam, et orientales linguas addiscant. Ad assequendam vero canonici juris cognitionem frequentare debent scholas Seminarii Romani ad aedes Sancti Apollinaris. Ut autem iidem Alumni majores in studiis progressus facere queant, in eodem Seminario

praeter Rectorem et Procuratorem duo aderunt domestici praeceptores qui cum Alumnis de iis, quae in publicis commemoratis scholis tradita sunt, colloquia singulis diebus habentes, et traditas res evolvant, et difficultates explicent, dirimant, ipsosque Alumnos ad studia cum progressu peragenda diligenter dirigant. Hi domestici Praeceptores illis Alumnis, qui theologicis studiis nondum operam navarunt, sacrae Theologiae elementa sedulo tradent, qua ipsi Alumni possint deinde in Collegii Romani scholis cum maiore progressione eiusdem sacrae Theologiae scientiam addiscere.

Omnes huius Seminarii Alumni vitam communem agent, et subiecti erunt eidem regulae, quam diligenter servare debebunt.

Cum autem omnes qui ecclesiastica obeunt munia, ad eam vitae perfectionem contendant oportet, quae in Ecclesiae ministris omnino requiritur, quorum munus est ceteros ad omnem sanctitatem verbo et exemplo allicere et excitare, iccirco huius Seminarii Alumni haud existiment, se muneri suo ac divinae vocationi, hominumque expectationi satisfecisse, nisi magis divinae quam humanae sapientiae studiis religiose vacaverint, et ea omnia, quae pietatem spectant, quaeque hic observanda proponuntur, prompto alacrique animo adimplere conentur. Quocirca iidem Alumni summo mane, Sancti Spiritus ope implorata, aliisque praescriptis precibus recitatis, horae dimidium in sedula ac profunda caelestium rerum ac sacerdotalium praesertim virtutum et officiorum meditatione transigent, quo eorum mentes in his meditandis divina quadam perfundantur

luce, eorumque spiritus divino quodam alimento veluti percepto, tota die quodammodo nutriatur, et pinguescat. Omnes Alumni, praeter Sacerdotes qui sacris operantur, debebunt quotidie incruento Missae Sacrificio religiosissime interesse, ac tum generali tum peculiari examine propriam conscientiam explorare, ad rerum spiritualium colloquia convenire, et Christum Jesum in Eucharistia latentem humillime ac piissime venerari, et precatoriam sanctissimae et Immaculatae Virginis Mariae coronam, vulgo Rosarium, devote recitare. Singulis vero hebdomadibus omnes Alumni ad Poenitentiae sacramentum accedent, et iuxta proprii conscientiae moderatoris iudicium ea qua par est pietate, animique ardore se Eucharistico pane reficient.

Eiusdem Seminarii Alumni tenentur bis in mense Magistrum pietatis adire, ac singulis Dominicis, aliisque festis diebus adsistere sacris Missarum ac Vesperarum solemnibus, et altaris ministerio inservire quo sacrorum ritus et caeremonias magis magisque calleant.

Nullus in hoc Seminarium Alumnus admitti unquam poterit, nisi a proprio Episcopo fuerit missus, vel eiusdem Episcopi de suis moribus, indole, ac studiis testimonio commendatus.

Huius Gallici Seminarii regimen, procuratio et administratio dilectis filiis Presbyteris commemoratae Congregationis Sancti Spiritus et Immaculati Cordis Mariae perpetuo erit commissa, sub tutela tamen et inspectione Cardinalis in Urbe Vicarii, quem propterea eiusdem Gallici Seminarii Patronum perpetuum in modum esse volumus et constituimus. Quare

si quid aliquando acciderit, quod neque hisce Litteris cautum atque praescriptum sit, vel etiam pro temporum opportunitate commutandum videatur, Seminarii Rector statim eidem Cardinali Patrono denunciet, ut si quid forte ad maius Seminarii bonum procurandum, ipse in Domino melius atque opportunius expedire iudicaverit, auctoritate sua constituat et iubeat.

Idem Gallicum Seminarium ab omnibus parochialibus iuribus plane exemptum esse declaramus atque decernimus.

Omnibus et singulis Seminarii Alumnis Plenariam Indulgentiam concedimus et largimur ab ipsis sacramentali confessione rite expiatis, ac divina Eucharistia refectis lucrandam, tum die, quo idem ingrediuntur Seminarium, tum die, quo ab illo discedunt.

Interim vero haud desistimus fervidas humilesque Deo optimo Maximo adhibere preces, ut in Gallici huius Seminarii Alumnos plena manu gratiarum charismata congerere velit, ac det illis Spiritum sapientiae et intellectus, Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiae et pietatis, quo ipsi digne ambulantes vocatione qua vocati sunt, ac proprii ministerii munia sancte obeuntes, omni cura studioque sub suorum Antistitum ductu divinae nostrae Religionis lucem, dogmata, doctrinam propagare, diffundere, tot errorum tenebras dispellere, et catholicae Ecclesiae causam defendere, ac sempiternam hominum salutem procurare contendant. Nihil autem dubitamus, quin omnes Venerabiles Fratres spectatissimi Galliae sacrorum Antistites pro eximia

ac perspecta eorum pietate, sapientia, ac pastorali sollicitudine pergant quotidie magis sacrarum potissimum disciplinarum studia tueri, fovere, suosque Clericos ad idem Seminarium mittere, atque arctioribus usque fidei, amoris et observantiae vinculis Nobis et huic Petri Cathedrae catholicae unitatis centro firmiter constanterque adhaerere, quemadmodum semper cum summa eorum nominis laude vel maxime gloriati sunt.

Haec omnia Apostolica Nostra auctoritate constituimus, sancimus, decernentes insuper has Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, et eorum causa, quae expressa sunt, hoc, futurisque temporibus plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, ac definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus Apostolicis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque etiam individua mentione ac derogatione dignis contrariis quibuscumque.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrarum Sanctionis, Institutionis, Deputationis, Nominationis, Iussionis, Derogationis, Commissionis, Statuti, Decreti ac Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Quinquagesimo Nono, pridie Idus Iulii, Pontificatus Nostri anno decimoquarto.

MARIUS CARD. MATTEI, *Pro-Datarius.*

Pro D. CARD. MACCHI,

JOANNES BAPTISTA BRANCALEONI CASTELLANI, *Substitutus.*

Visa de Curia. DOMINICUS BRUTI

Loco ✠ Plumbi.

I. Cugnonius.

VENERABILIBVS FRATRIBVS ALEXANDRO ARCHIEPISCOPO FOGARASIENSI, ET ALBO-IVLIENSI, ET EPISCOPIS EIVS SVFFRAGANEIS

PIVS PP. IX.

Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Verbis exprimere vix possumus, Venerabiles Fratres, quantae consolationi Nobis fuerint et vestrae obsequentissimae Litterae die 15. septembris superiore anno datae, et ea quae de Vobis ad Nos detulit Venerabilis Frater Antoninus Archiepiscopus Tarsensis Noster, et hujus Apostolicae Sedis apud Caesaream et Apostolicam Majestatem Nuntius a Nobis eodem superiore anno ad Vos missus. Namque ex iis omnibus magis magisque novimus qua singulari fide, amore, et observantia firmiter constanterque Nobis, et huic Petri Cathedrae adhaerere gloriemini, quae, Domino disponente, super omnes Ecclesiae ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote universorum Christifidelium mater et magistra, et in qua est integra christianae religionis ac perfecta soliditas, et Petrus in suis successoribus semper vivit, et praesidet, ac praestat quaerentibus fidei veritatem, et judicium exercet. Intelleximus quoque majorem in modum, Venerabiles Fratres, quomodo Vobis cordi sit salutarem catholicae Ecclesiae doctrinam omni cura studioque integram inviolatamque tueri defendere, eamque magis in dies propagare, et omnes gravissimi vestri ministerii partes strenue diligenterque implere. Summo quidem gaudio, laetitiaque Nos affecerunt huiusmodi egregii

vestri sensus catholicis Antistitibus plane digni, etiamsi iidem nec novi, nec inexpectati Nobis extiterint. Itaque dum de hisce praeclaris eximiisque vestris sensibus vehementer atque ex animo gratulamur, Venerabiles Fratres, a Vobis maiore, qua possumus, animi Nostri contentione exposcimus, ut pro perspecta vestra religione ac pietate omnem vestram curam, operam, industriam, vigilantiam adhibeatis, quemadmodum pastoralis vestri muneris officium omnino postulat, ut omnes fideles curae vestrae commissi, et eisdem vestris sensibus animentur, et in omnibus rebus veram germanamque catholicae Ecclesiae doctrinam profiteantur. Ne desinatis unquam in id potissimum episcopalem vestram sollicitudinem ac zelum intendere, Venerabiles Fratres, nullisque unquam consiliis et laboribus parcite quo vestrarum Dioecesium fideles catholica doctrina magis in dies eruditi constantissime credant ac teneant quidquid catholica docet Ecclesia, et diligentissime aversentur quidquid ab ipsa reprobatur ac damnatur Ecclesia. Atque inter alia ne omittatis fidelibus vestrae vigilantiae concreditis assidue et accurate tradere, atque inculcare catholicae Ecclesiae de Matrimonii Sacramento, deque indissolubili Matrimonii vinculo doctrinam. Neminem enim Vestrum latet juxta catholicae Ecclesiae doctrinam fidelium matrimonium ratum ante consummationem posse dissolvi per solemnem alterutrius coniugis in aliqua probata Religione professionem, vel per canonicam dispensationem, quae a Romano tantum Pontifice concedi potest, quaeque nonnisi ex gravissimis causis rarissime indulgetur. Atque etiam optime nostis, eamdem Ec-

clesiam iuxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam luculenter docere, matrimonii vinculum propter alterius coniugum adulterium, vel propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a coniuge nunquam posse dissolvi, sed perpetuo firmum, et indissolubile permanere ex notissima inspirati Adae sententia, et Christi Domini oraculo, atque Apostoli verbis, et Ecclesiae traditione, quae omnia Vos apprime scitis. Quae quidem perpetua, atque indissolubilis matrimonialis vinculi firmitas, non ex ecclesiastica disciplina profluens, tanta est in matrimonio consummato, tum ex divino, tum ex naturali iure, ut nullam ob causam ne ab ipso quidem Romano Pontifice dissolvi unquam possit, etiamsi ab alterutro coniugum fides coniugalis adulterio frangatur. Quocirca, Venerabiles Fratres, pro sacerdotali vestra virtute, et episcopali vestro in catholica doctrina tuenda ac propugnanda studio nihil Vobis potius sit, quam studiosissime curare, ut fideles Vobis traditi haec recte addiscant, ac sedulo profiteantur, et servent. Quod si in vestris Dioecesibus aliqui existant, qui perperam arbitrentur, matrimonii vinculum adulterii causa posse dissolvi, omnis a Vobis cura, vigilantia, auctoritas prudenter, constanterque est adhibenda, ut tam perniciosus, et catholiace doctrinae vel maxime contrarius error ex illorum animis radicitus evellatur, et penitus eliminetur. Ac pro vestra sapientia probe intelligitis, Venerabiles Fratres, in tanti momenti re omnes cuiusque generis difficultates, si forte objiciantur, esse omnino in omni patientia et doctrina vincendas, cum

agatur de catholica veritate divinitus revelata, quam omnes catholicae Ecclesiae filii firmiter profiteri, ac servare tenentur. Quare iis omnibus, qui huiusmodi difficultates Vobis forsitan afferre voluerint pro episcopali vestra sollicitudine, zelo, ac scientia catholicae Ecclesiae de hac re doctrinam clare aperteque exponite, explicate, inculcate, ac simul ostendite, difficultates ipsas nullo modo contra catholicam hanc veritatem admitti, et opponi unquam posse. Insuper in illorum memoriam sedulo revocate, eorum maiores cum huius Romanae Ecclesiae unionem sincere amplexi sunt, non solum admisisse quatuor notissima puncta in Concilio Florentino definita, verum etiam declaravisse, se admittere, profiteri, ac credere quae eadem Romana Catholica Ecclesia admittit, profitetur et credit. Nec cessetis unquam, Venerabiles Fratres, omni studio ecclesiasticos vestrarum Dioecesium homines, ac praesertim Parochos monere et exhortari, ut hanc catholicae Ecclesiae de matrimonio doctrinam fidelibus assidue diligenterque explicent, evolvant, et in illorum animis alte defigant. Atque eorumdem ecclesiasticorum hominum zelum magis in dies excitate, inflammate, ut propriae vocationis semper memores, atque rationi, exhortationi, doctrinaeque instantes virtutum omnium exempla christiano populo praebeant, proprii ministerii munia naviter, scienter, sancteque obeant, et maiore usque alacritate, atque industria christianam plebem sanctissimis divinae nostrae religionis praeceptionibus imbuant, erudiant, atque in sanctam catholicam unionem servandam, promovendam, et sempiternam hominum salutem procurandam totis viribus sub vestro ductu incumbant.

Plane non dubitamus, Venerabiles Fratres, quin pro perspecta vestra pietate, ac singulari erga Nos, et hanc Petri Cathedram observantia Nostris hisce monitis quam libentissime ac studiosissime obsequi velitis. Persuasissimum autem Vobis sit, nihil Nobis gratius, nihil optatius unquam fore, quam ea omnia peragere, quae in maiorem vestram ac vestrarum Dioecesium utilitatem cedere posse noverimus. Interim vero haud omittimus in humilitate cordis Nostri assiduas, fervidasque Deo Optimo Maximo adhibere preces, ut in abundantia divinae suae gratiae Vobis semper propitius adsit, quo pergatis unanimes, et idipsum sentientes stare in uno spiritu, et custodire depositum, et loqui quae decent sanam doctrinam, et certare bonum certamen fidei. Atque superni huius praesidii auspicem et certissimum studiosissimae Nostrae in Vos voluntatis pignus Apostolicam Benedictionem Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, et gregibus curae vestrae commissis amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 25. Augusti Anno 1859.

Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto

PIVS PP. IX.

N. B. Haec eadem Epistola scripta fuit ad Basilium Episcopum Magno Varadinensem, ad Alexandrum Episcopum Lugosiensem, et ad Ioannem Episcopum Armenopolitanum. graecocatholicos.

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Aeterni Pastoris vicaria hic in terris procuratio Nobis nullo certe meritorum suffragio, sed ineffabili Divinae Providentiae consilio commissa postulat, ut omnia Nostra consilia et studia in universi Dominici gregis salutem, et Catholicae Ecclesiae utilitatem ubiquè promovendam assidue conferamus. Quocirca Apostolicas Nostras curas, cogitationesque ad ecclesiasticas superioris Rheni provincias omni studio convertimus, ut ibi sanctissima nostra Religio maiora in dies incrementa suscipiat, et quotidie magis prospere feliciterque vigeat, et floreat. Etenim etiamsi recolendae memoriae Praedecessores Nostri, Pius praesertim VII suis Apostolicis Litteris XVII Kalendas Septembris anno millesimo octingentesimo vicesimo primo sub plumbo datis, et incipientibus « *Provida solersque* », ac Leo XII per alias similes Litteras III Idus Aprilis anno millesimo octingentesimo vicesimo septimo editas, quarum initium « *Ad Dominici gregis custodiam* » ecclesiasticis earumdem provinciarum negotiis, ac spirituali illorum fidelium bono accurate prospicere studuerunt, tamen probe cognoscebamus, ob rerum ac temporum vicissitudines alia Nobis suscipienda esse consilia, tum ad maiorem illorum fidelium utilitatem procurandam,

tum ad eas amovendas difficultates, quae ultimis hisce potissimum temporibus exortae fuerunt. Maxima igitur laetitia affecti fuimus, ubi Serenissimus ac Celsissimus Regius Princeps Fridericus Magnus Badarum Dux a Nobis efflagitavit, ut ecclesiastica in Magno suo Ducatu negotia componere vellemus. Itaque eiusdem Regiae Celsitudinis votis, quae Nostra etiam erant diuturna et impensissima vota, alacri libentissimoque animo obsecundantes, omni reiecta mora cum ipso Celsissimo Principe Conventionem ineundam esse censuimus. Atque gravissimo huic sane negotio manum statim admoventes, Dilectum Filium Nostrum Ioannem S. R. E. Presbyterum Cardinalem Brunelli pietatis, doctrinae, ac prudentiae laude conspicuum cum necessariis facultatibus delegimus, ut cum Dilecto Filio Carolo Bruner Consiliario a publicis negotiis illius Magni Ducatus, qui ob hanc causam ab ipso Celsissimo Principe missus fuerat, rem omnem sedulo tractandam curaret. Cum autem idem Cardinalis a Nobis Episcopus Auximanus, et Cingulanus fuisset renunciatus, iccirco in eius locum illico suffecimus Dilectum Filium Nostrum Carolum Augustum S. R. E. Presbyterum Cardinalem de Reisach pietate, doctrina, prudentiaque spectatum, atque opportunas ei quoque instructiones, facultatesque dedimus, ut inchoatam gravissimi huius negotii tractationem diligenter prosequeretur et absolveret cum eodem Carolo Bruner. Sed cum hic supremum diem obierit, a Celsissimo Magno Badensi Duce in eius locum substituti fuerunt Plenipotentiarii Nobilis Vir Baro Christianus Gustavus de Berckheim Minister Plenipotentiarius et

Legatus extraordinarius ad hanc Sanctam Sedem, ac Dilectus Filius Franciscus Carolus Rosshirt in utroque iure Doctor atque a Consiliis supremi Tribunalis iustitiae in Magno Badensi Ducatu, ut cum eodem Dilecto Filio Nostro Cardinali de Reisach susceptum tanti momenti negotium ad exitum perducerent. Et quoniam probe noscebamus qua eximia iustitia, aequitate, excelsique animi magnitudine, et qua propensa in Catholicos sibi subditos voluntate eniteat idem Celsissimus Princeps Magnus Badarum Dux, iccirco firma certaque spe nitebamur fore, ut, Deo auxiliante, tanti momenti res optatum assequeretur exitum. Ac vehementer laetamur, huiusmodi Nostram spem haud inanem fuisse. Namque post diuturnam sedulamque consultationem, veluti rei gravitas postulabat, Conventio ipsa pluribus Articulis distincta, et a VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationis Negotiis ecclesiasticis extraordinariis praepositae examinata, cum eodem Serenissimo ac Celsissimo Regio Principe Friderico Magno Badensi Duce fuit inita, atque ad optatum exitum perducta. Cum autem eiusdem Conventionis Articuli tum a Nostro, tum ab eiusdem Magni Ducis Plenipotentiariis die vicesima octava mensis Iunii huius anni fuerint subscripti, atque a Nobis diligentissime perpensi, eamdem Conventionem suprema Nostra auctoritate confirmandam esse existimavimus, eamque maximo animarum commodo, et catholicae Ecclesiae bono futuram esse, Deo benedicente, confidimus. Huius autem Conventionis tenor est qui sequitur, videlicet.

CONVENTIO

Inter Sanctitatem Suam Pium IX Summum Pontificem, et Regiam Celsitudinem Suam Serenissimam Fridericum Magnum Ducem Badarum.

In nomine Sanctissimae et individuae Trinitatis.

Sanctitas Sua Summus Pontifex Pius IX, et Regia Celsitudo Sua Serenissima Fridericus Magnus Dux Badarum exoptantes negotiis Ecclesiae Catholicae Romanae in Magno Ducatu Badarum prospicere, suos Plenipotentiarios constituerunt, videlicet Sanctitas Sua Emūum Dominum Carolum Augustum S. R. E. Tituli S. Anastasiae Presbyterum Cardinalem de Reisach,

Regia Celsitudo Sua Magnus Dux Badarum Nobilem Virum Dominum Christianum Gustavum liberum Baronem de Berckheim Suum Ministrum Plenipotentiarium apud Sanctam Sedem, et Dominum Franciscum Carolum Rosshirt I. U. Doctorem suum Supremi Tribunalis Consiliarium.

Qui Plenipotentiarii post sibi mutuo tradita legitima et authentica suae Plenipotentiae instrumenta de sequentibus Articulis convenerunt.

Art. I.

Circa provisionem Sedis Archiepiscopalis Friburgensis, Canonicatuum et Praebendarum Cathedralis Ecclesiae ea tantum servabuntur, de quibus cum Sancta Sede conventum est.

Art. II.

Archiepiscopus antequam Ecclesiae suae gubernacula suscipiet, coram Regia Celsitudine fidelitatis Iuramentum emittet sequentibus verbis expressum :

« Ego iuro et promitto ad sancta Dei Evangelia, sicut decet Episcopum, obedientiam et fidelitatem Regiae Celsitudini et Successoribus suis ; iuro item et promitto, me nullam communicationem habiturum, nullique consilio interfuturum, quod tranquillitati publicae noceat, nullamque suspectam unionem neque intra neque extra Magni Ducatus limites conservaturum, atque si publicum aliquod periculum imminere resciverim, me ad illud avertendum nihil omissurum ».

Art. III.

Magni Ducis Gubernium, cum primum temporum ratio permiserit, curabit, ut Archiepiscopatus suam dotem habeat in bonis stabilibus.

Art. IV.

Pro regimine Archidioecesis suae Archiepiscopo omne id exercere liberum erit, quod in vim pastoralis eius ministerii, sive ex declaratione, sive ex dispositione Sacrorum Canonum iuxta praesentem, et a Sancta Sede adprobatam Ecclesiae disciplinam ipsi competit, et praesertim :

1. Beneficia omnia, exceptis iis, quae iuri patronatus legitime adquisito subiacent, conferre;

2. Vicarium suum generalem atque extraordinarios Ordinariatus Consiliarios et Adsessores eligere et nominare, nec non Decanos rurales confirmare;

3. Examina tum pro recipiendis in Seminarium Alumnis, tum pro iis, quibus beneficia animarum curae obnoxia conferenda sunt, praescribere, indicere et dirigere;

4. Clericis sacros Ordines conferre non solum ad titulos a sacris Canonibus adprobatos, sed etiam ad titulum mensae;

5. Ex Sacrorum Canonum praescripto ea omnia ordinare et statuere, quae ad divinum cultum, ad ecclesiasticas functiones, sacrasque caeremonias, quaeque ad ea pertinent religionis exercitia, quibus fidelium pietas magis et magis foveatur et confirmetur;

6. In propria Dioecesi Ordines seu Congregationes religiosas utriusque sexus a Sancta Sede adprobatas constituere, collatis tamen in quolibet casu cum Gubernio consiliis;

7. Convocare et celebrare Synodum tum dioecesanam tum provincialem.

Art. V.

Causas omnes ecclesiasticas, quae fidem, sacramenta, sacras functiones, nec non officia et iura sacro ministerio adnexa respiciunt, Archiepiscopi tribunal ad Canonum normam, et iuxta Tridentina

Decreta iudicat; ac proinde de causis etiam matrimonialibus iudicium feret, remisso tamen ad iudicem saecularem de civilibus matrimonii effectibus iudicio.

Archiepiscopo liberum erit Clericorum moribus invigilare atque in eos, quos aut vitae ratione, aut quomodocumque reprehensione dignos invenerit, poenas ad Sacrorum Canonum normam in foro suo infligere, salvo tamen canonico recursu.

Competit Archiepiscopo in Laicos ecclesiasticarum legum transgressores censuris animadvertere.

Licet de iure patronatus iudex ecclesiasticus cognoscat, consentit tamen Sancta Sedes, ut quando de laicali patronatu agatur, tribunalia saecularia iudicare possint de iuribus et oneribus civilibus cum tali patronatu connexis, nec non de successione quoad eumdem patronatum, seu controversiae agantur inter veros et suppositos patronos, seu inter ecclesiasticos viros, qui ab iisdem patronis designati fuerint.

Temporum ratione habita Sanctitas Sua permittit, ut Clericorum causae mere civiles, ut contractuum, debitorum, haereditatum iudices saeculares cognoscant et definiant.

Item Sancta Sedes consentit, ut lites de civilibus iuribus, vel oneribus Ecclesiarum, beneficiorum, decimarum, nec non de onere construendi aedificia ecclesiastica in foro saeculari decidantur.

Eadem de causa Sancta Sedes haud impedit, quominus causae Clericorum pro criminibus seu delictis, quae poenalibus Magni Ducatus legibus animadvertuntur, ad iudicem laicum deferantur, cui

tamen incumbit, Archiepiscopum ea de re absque mora certiorem reddere. Quod si in Ecclesiasticum virum mortis vel carceris ultra quinquennium duraturi sententia feratur, Archiepiscopo semper acta iudiciaria erunt communicanda, et condemnatum audiendi facultas fiet, ut de poena ecclesiastica eidem infligenda cognoscere possit. Hoc idem, Antistite petente, praestabitur, si minor poena decreta fuerit.

Art. VI.

Archiepiscopi, Cleri et populi mutua cum Sancta Sede communicatio in rebus ecclesiasticis libera erit. Item Archiepiscopus cum clero et populo libere communicabit. Hinc instructiones et ordinationes Archiepiscopi, nec non Synodi dioecesanae, Concilii provincialis et ipsius Sanctae Sedis acta de rebus ecclesiasticis sine praevia inspectione vel adprobatione Gubernii publicabuntur,

Art. VII.

Archiepiscopus ex proprii pastoralis officii munere religiosam catholicae iuventutis tum instructionem tum educationem in omnibus scholis publicis et privatis diriget, et super utraque vigilabit. Proinde statuet, quinam ad religiosam instructionem libri et catechismi adhibendi sint.

In scholis elementariis religiosa instructio a Parochis tradetur, in reliquis scholis nonnisi ab iis,

quibus ad hoc tum auctoritatem tum missionem Archiepiscopus contulerit, nec postea revocaverit.

Art. VIII.

Liberum erit Archiepiscopo erigere Seminarium iuxta formam Concilii Tridentini, in quod adolescentes et pueros informandos admittet, quos pro necessitate et utilitate Dioeceseos suae recipiendos duxerit. Cuius Seminarii ordinatio, doctrina, gubernatio, et administratio Archiepiscopi auctoritati pleno liberoque iure subiecta erunt. Propterea Rectores et Professores seu Magistros Archiepiscopus nominabit, et quotiescumque aut necessarium aut utile ab ipso censebitur, removebit.

Art. IX.

Quamdiu vero Seminarium iuxta formam Tridentini Concilii non fuerit constitutum, Sancta Sedes ob pecularia rerum adiuncta consentit, ut interim theologiae candidati in scholis publicis Universitatis Friburgensis studiis vacent, atque Collegium theologicum seu convictus, qui iam antea existebat, instauretur.

Collegii istius vero regimen et inspectio omnino penes Archiepiscopum erit, qui proinde domesticam disciplinam praescribet, viros ex quibus consilium seu commissio constabit aeconomicae eiusdem Collegii administrationi praeposita, itemque Rectorem, Repetitores et Oeconomum nominabit, atque eos omnes in exercendo munere diriget, ab eoque re-

movebit, si id necessarium esse iudicaverit. Sine ipsius consensu nullus alumnorum admittatur, et qui admissi fuerint ab ipso quovis tempore, si opus fuerit, dimitti poterunt. In hoc Collegium Archiepiscopus admittere poterit, quos ecclesiasticae militiae nomen dare cupientes ipse amplioribus philosophiae studiis in Universitate erudiri voluerit.

Consentit Sancta Sedes, ut Archiepiscopus in huiusmodi sustentando Collegio summam impendere pergat, quam hactenus ex bonis Seminario attributis in Collegium idem erogare consuevit, dummodo ex fundis ecclesiasticis generalibus, aliisque pro re catholica destinatis ea praebeantur, quae hactenus tributa sunt, atque si haec non sufficiant, omne id suppeditetur, quod collatis cum Archiepiscopo consiliis necessarium esse censeatur.

Omnes vero eiusdem Collegii alumni peractis in scholis Universitatis studiis, in Seminarium sic dictum Clericale apud S. Petrum prope Friburgum situm admittendi erunt, ibique manebunt donec presbyteratus ordine fuerint initiati. Quod quidem Seminarium Archiepiscopo pleno liberoque iure subiectum erit, velut aliud ad Concilii Tridentini formam in posterum erigendum, de quo in praecedenti articulo habita mentio est.

Art. X.

Cum autem Gubernium ad rectam catholicae iuventutis institutionem Convictus quosdam iis in locis erigere intendat, in quibus iam publica gymnasia seu lycea pro Catholicis destinata existunt, poterunt

interea et quamdiu Seminaria puerorum desiderantur, inter ceteros illi quoque pueri et adolescentes admitti, qui clero adscribi cupiunt.

Horum autem convictuum statuta et regulae initis Archiepiscopum inter et Gubernium consiliis praescribenda, ac dein, si opus fuerit, mutanda erunt.

Superiores quoque et Repetitores nonnisi initis cum eodem Archiepiscopo consiliis ex viris ecclesiasticis erunt eligendi. Omnes autem alii in iisdem convictibus quovis munere fungentes catholici sint oportent.

Inter alumnos catholici tantum pueri et adolescentes erunt admittendi, praemisso tamen examine, cui Archiepiscopi delegatus assistere debebit. Nemo porro admittatur sine Archiepiscopi consensu, nemo item in Collegio retineatur, quem idem Archiepiscopus removendum esse duxerit.

Magistri omnes, qui in eiusmodi gymnasiis et lyceis docendi munus exercent, ex catholicis viris erunt deligendi. Si vero Archiepiscopus aliquid de Magistris, aliisque cuique Convictui addictis, vel de studiorum ratione, vel de disciplina animadvertendum aut reprehendendum esse duxerit, tunc Gubernium eo quo potuerit modo curabit, ut Archiepiscopi animadversionibus et desideriis satisfiat.

Liberum porro erit Archiepiscopo ordinare et statuere ea omnia, quae ad religiosam alumnorum educationem et instructionem in Convictu spectant, et advigilare, ne in quavis tradenda disciplina quidpiam adsit, quod catholicae religioni morumque honestati adversetur. Proinde eosdem Convictus visi-

tare, ad examina deputatos mittere, atque a Superioribus periodicas relationes exigere poterit.

ART. XI.

Facultas theologica catholica Universitatis Friburgensis quoad munus docendi ecclesiasticum Archiepiscopi regimini et inspectioni suberit. Poterit iccirco Archiepiscopus Professoribus et Magistris docendi auctoritatem et missionem tribuere, eamdemque revocare quando id opportunum censuerit, ab ipsis fidei professionem exigere, eorumque scripta et compendia suo examini subiicere.

ART. XII.

Bona temporalia, quae Ecclesia propria possidet, vel in posterum acquiret, semper et integre conservabuntur; oneribus vero publicis et vectigalibus, nec non legibus Magni Ducatus generalibus aeque ac ceterae proprietates suberunt.

Bona ecclesiastica nomine Ecclesiae sub Archiepiscopi inspectione ab iis erunt administranda, quibus haec administratio aut ex Canonum dispositione, aut ex consuetudine, aut ex privilegio, aut ex fundatione competit; omnes vero administratores rationem Ordinario vel eius deputatis quotannis reddere teneantur, etiamsi illam aliis reddere debeant ex praedictis titulis.

Ob pecularia autem rerum adiuncta, et dummodo publici aerarii sumptibus tum generalibus tum localibus Ecclesiae necessitatibus subveniatur, ea in

conservandis administrandisque ecclesiasticis bonis, iisdem rerum adiunctis perdurantibus, erunt observanda, quae in sequentibus articulis statuuntur.

Art. XIII.

Omnia cuiusque ecclesiasticae fundationis bona nec vendi et permutari, nec in emphyteusim tradi et hypothecae aliisque oneribus subiici, nec ulla transactione alienari, nec ultra novennium locari, neque eorum reditus in alios a fundationum legibus alienos usus converti ullo modo unquam poterunt sine ecclesiasticae potestatis venia.

Consentit autem Sancta Sedes, ut in ecclesiasticis bonis vel alienandis, vel novo oneri subiiciendis, vel in eorumdem bonorum reditibus in alios usus erogandis, Gubernii consensus habeatur.

Art. XIV.

Bona vero quae ad Mensam Archiepiscopalem, et ad illud Canonicorum Collegium, Metropolitanum Templum, et ad Seminarium pertinent, ea ab ipso Archiepiscopo vel ab eodem Canonicorum Collegio iuxta canonicas sanctiones omnino libere erunt administranda, veluti etiam omnes alii fundi, qui vel ex eorumdem bonorum administratione, vel ex Archiepiscopalis Sedis, vel cuiusque Metropolitani Templi beneficii vacatione supererunt, vel ex novis privatorum hominum fundationibus collecti fuerunt, vel in posterum colligi poterunt.

Fundi vero et bona stabilia, quae a Gubernio

pro dote eiusdem Archiepiscopalis Ecclesiae iam attributa sunt, vel in posterum attribuentur, sine Gubernii consensu nec alienari, nec ulli oneri subiici poterunt. Nihil vero obstat, quominus ipsum Gubernium identidem noscere possit, utrum bona ipsa sarta tectaque sint.

Art. XV.

Bona autem, quae Capitula ruralia sic dicta possident libere erunt administranda sub unius tantum Archiepiscopi inspectione.

Art. XVI.

Fundi et bona omnia, quae tum ad Ecclesiarum fabricas, tum ad ecclesiasticas cuiusque loci fundationes pertinent, per collegia ad eorumdem bonorum administrationem destinata, in singulis catholicis communitatibus administrari poterunt eo modo, qui invaluit, dummodo tamen Ecclesiae nomine administrentur, et Parochi aliique Sacerdotes munus, quo in istis collegiis funguntur, ex Archiepiscopi auctoritate et mandato exerceant.

Praeterea ii omnes, qui catholicorum cuiusque loci suffragiis in hoc cooptantur collegium, et ratiocinator ab ipso collegio eligendus tam a Gubernio quam ab Archiepiscopo, vel ab eorum deputatis erunt confirmandi. Eorum vero administratio tum a deputatis ab Archiepiscopo Decanis, tum a publicis Gubernii ministris una simul erit inspicienda.

Art. XVII.

Bona autem sublevandis alicuius regionis necessitatibus attributa a collegiis erunt administranda. Quae collegia constare debebunt ex Catholicis viris pari numero tam a Gubernio, quam ab Archiepiscopo eligendis, et utrique acceptis. Unicuique vero ex hisce collegiis praeesse debebit vir ab ipso collegio deligendus; ratiocinator autem eidem collegio inserviens a Gubernio et ab Archiepiscopo erit adprobandus.

Art. XVIII.

Aliud insuper erit constituendum mixtum consilium seu commissio, quae nomine Ecclesiae sedulo advigilabit administrationi fundorum intercalarium et aliarum generalium ecclesiasticarum fundationum, ac simul supremam curam habebit de administratione omnium in Magno Badensi Ducatu ecclesiasticarum existensium fundationum. Quocirca hoc consilium seu commissio nomine tum Archiepiscopi tum Gubernii a singulis administratoribus accepti et expensi rationes exiget, et opportunum de unaquaque administratione iudicium feret. Quaenam autem fundationes tamquam generales fundationes ecclesiasticae considerandae sint collatis Gubernium inter et Archiepiscopum consiliis erit statuendum.

Art. XIX.

Consilium istud constabit ex catholicis viris pari numero a Gubernio et ab Archiepiscopo electis et

utrique probatis. Quoniam vero huic consilio seu commissioni aliquis catholicus vir praeesse debebit, iccirco tam Gubernium quam Archiepiscopus iure pollebit proponendi eos, quos ad huiusmodi munus obeundum magis idoneos iudicaverit. Atque ille praesidis munere fungetur, qui tam a Gubernio quam ab Archiepiscopo collatis inter se consiliis fuerit electus et nominatus; ac Gubernium hunc ipsum virum constituet praesidem alterius consilii, cui commissum est in Magno Ducatu catholicarum scholarum regimen, ac simul cura demandata de bonis administrandis, quae in eodem Magno Ducatu rei catholicae sunt destinata.

Omnis autem agendi ratio seu methodus, qua hoc mixtum consilium seu commissio in proprio munere exercendo uti debuerit, a Gubernio et ab Archiepiscopo initis inter se consiliis erit praescribenda.

Omnes vero administratores, tum intercalarium fundorum, tum generalis cuiusque ecclesiasticae fundationis, de quibus in Articulo XVIII verba facta sunt, ex catholicis viris erunt eligendi, collatis inter Gubernium et Archiepiscopum consiliis.

Art. XX.

Archiepiscopo porro liberum ius erit cognoscendi ac penitus inspiciendi cuiusque ecclesiasticae fundationis statum, rationem, indolem et onera ac documenta, quae ad quamlibet fundationem pertinent, ut rebus omnibus sedulo perpensis, atque initis cum Gubernio consiliis, possit constitui accurata norma,

qua cuiuslibet fundationis ecclesiasticae administratio erit gerenda, et reditus singulis annis erogandi. Hanc quidem normam prae oculis habere et sequi debebit mixtum consilium seu commissio in proprio fungendo munere atque in examinandis expensi et accepti rationibus. In stabilienda vero rata expensarum portione, quae in qualibet Ecclesia pro cultu divino impendi debeat, praecipua ratio erit habenda petitionum Archiepiscopi, ad quem postea unice pertinet praescribere, quomodo constitutae summae in ipsum divinum cultum tuendum, augendumve debeant erogari. Idem Archiepiscopus cum Gubernio consilia inibit, quoties propter extraordinarias cultus necessitates opportunum existimabit adhibere reditus, qui alicuius ecclesiasticae fundationis expensis supererunt.

Art. XXI.

Beneficia a suis rectoribus ad sacrorum Canonum normam erunt administranda sub inspectione commemoratae mixtae commissionis. Ubi vero beneficia vacaverint, eorumdem bona a Capitulorum ruralium camerariis aut aliis viris, de quibus Archiepiscopus cum Gubernio conveniet administrabuntur, et reditus cuiusque beneficii, qui adimpletis eiusdem oneribus supersunt, fundo intercalari attribuenda erunt, nisi ob peculiaria locorum adiuncta reditus ipsi vel in eiusdem beneficii augmentum, vel in maiorem illius loci Ecclesiae utilitatem aut necessitatem sint erogandi.

Art. XXII.

Archiepiscopus cum omnibus Magni Ducis Magistratibus immediate communicabit.

Art. XXIII.

Edicta et decreta quaecumque, quae cum praesenti Conventione non congruunt, abrogata sunt; quae vero legum dispositiones eidem Conventioni adversantur mutabuntur.

Art. XXIV.

Si quae in posterum super iis, quae conventa sunt, supervenerit difficultas, Sanctitas Sua et Regia Celsitudo invicem conferent ad rem amice componendam.

Ratificationes praesentis Conventionis mutuo tradentur Romae duorum mensium spatio, aut citius, si fieri poterit.

In quorum fidem praedicti Plenipotentiarii huic Conventioni subscripserunt, illamque suo quisque sigillo obsignaverunt.

Datum Romae die vicesima octava Iunii anno reparatae salutis millesimo octingentesimo quinquagesimo nono.

Carolus Augustus Card. de Reisach - Christianus Gustavus liber Baro de Berckheim - Franciscus Carolus Rosshirt.

Itaque cum huiusmodi conventionis pacta et concordata in omnibus et singulis punctis, clausulis, ar-

ticulis et conditionibus tum a Nobis tum a Serenissimo Principe Federico Magno Badarum Duce fuerint approbata, confirmata et ratificata, et cum ipse Celsissimus Princeps enixe efflagitaverit, ut pro firmiori eorum subsistentia, robur Apostolicae firmitatis adiiceremus, ac solemniorem auctoritatem et decretum interponeremus, Nos in Domino plane confidentes fore, ut pro sua misericordia has Nostras curas et studia ad componendas in Magno Badarum Ducatu ecclesiasticas res intenta uberrimis divinae suae gratiae donis prosequi dignetur, ex certa scientia, et matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine supradictas Conventiones, capitula, pacta concordata et concessiones tenore praesentium approbamus, ratificamus, et acceptamus, illisque Apostolici muniminis, et firmitatis robur atque efficaciam adiungimus, omniaque in iis contenta, et promissa sincere, et inviolabiliter ex Nostra et Sanctae Sedis parte adimpletum et servatum iri tam Nostro quam Successorum Nostrorum nomine promittimus ac spondemus.

Maiori autem qua possumus contentione etiam atque etiam monemus, et hortamur tum Venerabilem Fratrem in eodem Magno Ducatu Archiepiscopum, tum alios omnes Catholicos seu ecclesiasticos seu laicos viros in illo Magno Ducatu degentes, ut unusquisque pro sua parte omnia praemissa, et pacta ad maiorem Dei gloriam, christiani nominis decus accurate servent, ac summo studio eorum omnes curas, cogitationesque semper in id conferant, ut catholicae doctrinae puritas, ac divini cultus nitor,

et ecclesiasticae disciplinae splendor, et Ecclesiae legum observantia, morumque probitas, honestas, et christianae pietatis ac virtutis amor, et opera quotidie magis refulgeant.

Decernentes easdem praesentes Litteras nullo unquam tempore de subreptionis et obreptionis, aut nullitatis vitio vel intentionis Nostrae, aut alio quocumque, quamvis magno, aut inexcogitato defectu notari, aut impugnari posse, sed semper firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et inviolabiliter observari debere, quousque conditiones et pacta in Tractatu expressa serventur. Non obstantibus Apostolicis et in Synodalibus, Provincialibus et Universalibus Conciliis editis generalibus Constitutionibus et Ordinationibus, ac Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, praesertim de iure quaesito non tollendo, nec non quarumcumque Ecclesiarum, Capitulorum, aliorumque Piorum Locorum fundationibus, etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis privilegiis quoque, indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Quibus omnibus et singulis illorum tenores pro expressis, et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus.

Insuper, quia difficile foret praesentes Litteras ad singula, in quibus de eis fides facienda fuerit, loca deferri, eadem Apostolica Auctoritate decernimus et mandamus, ut earum transumptis etiam impressis,

manu tamen publici Notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, plena ubique fides adhibeatur, perinde ac si praesentes Litterae forent exhibitae vel ostensae. Et insuper irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae concessionis, adprobationis, ratificationis, acceptationis, promissionis, sponsionis, monitionis, hortationis, decreti, derogationis, statuti, mandati, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Quinquagesimo Nono, Decimo Kalendas Octobris Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

Marius Card. Mattei Pro-Datarius —— V. Card. Macchi.

Visa de Curia Dominicus Bruti.

Loco ✠ Plumbi

J. Cugnonius.

ALLOCUTIO HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE 26 SEPTEMBRIS MDCCCLIX.

VENERABILES FRATRES

Maximo animi Nostri dolore in Allocutione ad Vos die vicesimo proximi mensis Iunii habita, Venerabiles Fratres, lamentati sumus ea omnia, quae ab huius Apostolicae Sedis hostibus tum Bononiae, tum Ravennae tum alibi contra civilem legitimumque Nostrum, et eiusdem Sedis principatum patrata sunt. Insuper eadem Allocutione illos omnes in ecclesiasticas censuras et poenas a Sacris Canonibus inflictas incidisse declaravimus, et omnes eorum actus nullos et irritos esse decrevimus.

Ea porro spe sustentabamur fore, ut rebelles isti filii Nostris hisce vocibus excitati ac permoti ad officium redire vellent, cum omnes praesertim noscant quanta mansuetudine ac lenitate, vel ab ipso supremi Nostri Pontificatus initio semper usi simus, et quanta alacritate studioque inter gravissimas temporum difficultates numquam intermiserimus curas omnes cogitationesque ad temporariam quoque Nostrorum populorum utilitatem tranquillitatemque promovendam convertere. Sed Nostra haec spes prorsus evanuit. Etenim ipsi externis potissimum consiliis, instigationibus et omnibus cuiusque generis auxiliis freti, atque iccirco audentiores facti nihil inausum nihilque intentatum reli-

querunt, ut omnes Aemiliae provincias Pontificiae Nostrae ditioni subiectas perturbarent, easque a civili Nostro et huius Sanctae Sedis principatu distraherent. Hinc in iisdem provinciis, rebellionis ac defectionis erecto vexillo, et Pontificio sublato Gubernio primum Subalpini Regni Dictatores constituti fuerunt, qui postea Commissarii extraordinarii dicti, ac deinde Gubernatores generales appellati, quique Supremi Nostri Principatus iura sibi temere arrogantes a publicis obeundis muneribus illos amoverunt, quos ob spectatam erga legitimum Principem fidem cum pravis eorum consiliis minime consentire suspicabantur. Non dubitarunt autem huiusmodi homines in ecclesiasticam quoque invadere potestatem cum novas de Nosocomiis, Orphanotrophiis aliisque Piis Legatis, Locis, et Institutis leges ediderint. Neque timuerunt aliquos ecclesiasticos viros vexare, eosque vel expellere, vel etiam in carcerem coniicere. Apertissimo vero in hanc Apostolicam Sedem odio perciti minime reformidarunt die sexta huius mensis conventum Bononiae agere ab ipsis nationalem Aemiliae populorum appellatum, atque in illo promulgare decretum falsis criminationibus et praetextis refertum, quo populorum unanimitatem mendaciter asserentes, contra Romanae Ecclesiae iura declararunt, se nolle amplius Pontificio civili Gubernio subesse. Atque insequenti die declararunt item, veluti in more nunc est, se velle Sardiniae Regis ditioni et imperio adhaerere.

Hos inter lamentabiles ausus non desinunt factionis moderatores omnem eorum artem in corrumpendis populorum moribus impendere per libros prae-

sertim atque ephemerides tum Bononiae, tum alibi editas, quibus fovetur quidlibet audendi licentia, et Christi hic in terris Vicarius iniuriis laceratur, ac religionis pietatisque exercitationes ludibrio habentur, precesque ad Immaculatam Sanctissimamque Dei Genitricem Virginem Mariam colendam, eiusque potentissimum patrocinium implorandum adhibitae irridentur. In scenicis vero spectaculis publica morum honestas, pudor virtusque offenditur, et personae Deo sacrae communi omnium contemptioni et irrisioni exponuntur.

Haec autem ab illis aguntur, qui se catholicos esse, et supremam Romani Pontificis spiritualem potestatem auctoritatemque colere ac venerari affirmant. Omnes profecto vident, quam fallax sit huiusmodi declaratio : ipsi namque talia agentes cum illis omnibus conspirant, qui teterrimum adversus Romanum Pontificem et catholicam Ecclesiam bellum gerunt, quique omnia conantur, ut, si fieri unquam posset, divina nostra religio, eiusque salutaris doctrina ex omnium animis evellatur et extirpetur.

Quamobrem Vos praesertim, Venerabiles Fratres, qui Nostrorum laborum et molestiarum estis participes, vel facile intelligitis quo in moerore versemur, et quo una cum Vobis bonisque omnibus luctu et indignatione afficiamur.

In tanta autem acerbitate hoc solatio utimur, quod Aemiliae provinciarum populi ex parte longe maxima dolentes huiusmodi molitiones, atque ab illis summopere abhorrentes suam erga legitimum Principem fidem servent, ac civili Nostrae et huius

Sanctae Sedis dominationi constanter adhaereant; et quod universus earumdem provinciarum Clerus summis certe laudibus dignus nihil antiquius habuit, quam in hoc rerum motu et perturbatione sui officii partes sedulo explere, ac luculenter ostendere qua singulari fide et observantia Nos et hanc Apostolicam Sedem prosequatur, asperrima quaeque contemnens ac despiciens pericula.

Iam vero cum Nos gravissimi officii Nostri ratione, solemnique iuramento adstricti debeamus sanctissimae nostrae Religionis causam impavide propugnare, et iura possessionesque Romanae Ecclesiae ab omni violatione fortiter tueri, civilemque Nostrum et huius Apostolicae Sedis principatum constanter defendere, illumque Nostris Successoribus, veluti Beati Petri patrimonium, integrum transmittere, haud possumus quin iterum Apostolicam Nostram attollamus vocem, ut universus praesertim catholicus orbis, atque in primis omnes Venerabiles Fratres Sacrorum Antistites, a quibus inter maximas angustias tot eximia et illustria immobilis eorum erga Nos et hanc Sanctam Sedem, ac Beati Petri patrimonium fidei, amoris studiique testimonia cum summa animi Nostri consolatione accepimus, cognoscant quam vehementer a Nobis improbentur, quae eiusmodi homines in Aemiliae provincis Pontificiae Nostrae ditionis patrare ausi sunt. Itaque in hoc amplissimo vestro consessu tum commemoratos, tum alios omnes quoscumque rebellium actus contra ecclesiasticam potestatem et immunitatem, et contra supremam Nostram huiusque Sanctae Sedis civilem dominationem, principatum, potestatem

iurisdictionemque, quovis nomine actus ipsi appellentur, omnino reprobamus, illosque plane irritos et nullos esse decernimus.

Nemo autem ignorat, eos omnes, qui in praedictis provinciis suam operam, consilium, assensum memoratis actibus praestiterunt, vel alia quavis ratione illis faverunt, incidisse in ecclesiasticas censuras et poenas, quas in praedicta Nostra Allocutione commemoravimus.

Ceterum, Venerabiles Fratres, adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut divini auxilii ope solatium et fortitudinem in rebus tam adversis assequamur: nec desistamus divitem in misericordia Deum assiduis fervidisque precibus humiliter enixeque orare et obsecrare, ut omnipotenti sua virtute omnes aberrantes, quorum forsitan aliqui misere decepti nesciunt quid faciunt, ad meliora consilia, atque ad iustitiae, religionis salutisque semitas reducat.

VENERABILIBVS FRATRIBVS PATRIARCHIS, PRIMATIBVS, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ALIISQVE LOCORVM ORDINARIIS GRATIAM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTIBVS

PIVS PAPA IX.

Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Nullis certe verbis explicare possumus, Venerabiles Fratres, quanto solatio, quantaeque laetitiae Nobis fuerit inter maximas Nostras amaritudines singularis ac mira vestra, et fidelium, qui Vobis commissi sunt, erga Nos et hanc Apostolicam Sedem fides, pietas et observantia, atque egregius sane in eiusdem Sedis iuribus tuendis, et iustitiae causa defendenda consensus, alacritas, studium et constantia. Etenim ubi primum ex Nostris Encyclicis Litteris die 18 Junii superiori anno ad Vos datis, ac deinde ex binis Nostris Consistorialibus Allocutionibus cum summo animi vestri dolore cognovistis gravissima damna, quibus sacrae civilesque res in Italia affligebantur, atque intellexistis nefarios rebellionis motus et ausus contra legitimos eiusdem Italiae Principes, ac sacrum legitimumque Nostrum et huius S. Sedis principatum, Vos Nostris votis curisque statim obsecundantes, nulla interiecta mora, publicas in vestris Dioecesibus preces omni studio indicere properastis. Hinc non solum obsequentissimis aeque ac amantissimis

vestris Litteris ad Nos datis, verum etiam tum pastoralibus Epistolis, tum aliis religiosis doctisque scriptis in vulgus editis episcopalem vestram vocem cum insigni vestri ordinis ac nominis laude attollentes, ac sanctissimae nostrae religionis iustitiaeque causam strenue propugnantes, vehementer detestati estis sacrilega ausa contra civilem Romanae Ecclesiae principatum admissa. Atque ipsum principatum constanter tuentes, profiteri, et docere gloriati estis, eumdem singulari divinae illius omnia regentis ac moderantis providentiae consilio datum fuisse Romano Pontifici, ut ipse nulli civili potestati unquam subiectus supremum Apostolici ministerii munus sibi ab ipso Christo Domino divinitus commissum plenissima libertate, ac sine ullo impedimento in universum orbem exerceat. Atque Nobis carissimi catholicae Ecclesiae filii vestris imbuti doctrinis, vestroque eximio exemplo excitati eosdem sensus Nobis testari summopere certarunt et certant. Namque ex omnibus totius catholici orbis regionibus innumerabiles paene accepimus tum ecclesiasticorum tum laicorum hominum cuiusque dignitatis, ordinis, gradus et conditionis Litteras etiam a centenis catholicorum millibus subscriptas, quibus ipsi filialem suam erga Nos, et hanc Petri Cathedram devotionem ac venerationem luculenter confirmant, et rebellionem, aususque in nonnullis Nostris Provinciis admissos vehementer detestantes, Beati Petri patrimonium omnino integrum inviolatumque servandum, atque ab omni iniuria defendendum esse contendunt; ex quibus insuper non pauci id ipsum, vulgatis apposite scriptis, docte sa-

pienterque asseruere. Quae praeclarae vestrae, ac fidelium significationes, omni certe laude ac praedicatione decorandae, et aureis notis in catholicae Ecclesiae fastis inscribendae ita Nos commoverunt, ut non potuerimus non laete exclamare « *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur Nos in omni tribulatione nostra.* » Nihil enim Nobis inter gravissimas, quibus premimur, angustias gratius, nihil iucundius, nihilque optatius esse poterat quam intueri quo concordissimo atque admirabili studio Vos omnes, Venerabiles Fratres, ad huius S. Sedis iura tutanda animati et incensi estis, et qua egregia voluntate fideles curae vestrae traditi in idipsum conspirant. Ac per Vos ipsi vel facile cogitatione assequi potestis quam vehementer paterna Nostra in vos, atque in ipsos catholicos benevolentia merito atque optimo iure in dies augeatur.

Dum vero tam mirificum vestrum, et fidelium erga Nos et hanc Sanctam Sedem studium et amor Nostrum lenibat dolorem, nova aliunde tristitiae accessit causa. Itaque has Vobis scribimus Litteras, ut in tanti momenti re animi Nostri sensus Vobis in primis denuo notissimi sint. Nuper quemadmodum plures ex Vobis iam noverint, per Parisienses ephemerides, quibus titulus « Moniteur » vulgata fuit Gallorum Imperatoris Epistola, qua Nostris respondit Litteris, quibus Imperialem Maiestatem Suam omni studio rogavimus, ut validissimo suo patrocinio in Parisiensi Congressu integram et inviolabilem temporalem Nostram et huius Sanctae Sedis

ditionem tueri, illamque a nefaria rebellione vindicare vellet. Hac sua Epistola summus Imperator commemorans quoddam suum consilium paulo ante Nobis propositum de rebellibus Pontificiae Nostrae ditionis provinciis Nobis suadet, ut earumdem provinciarum possessioni renuntiare velimus, cum ei videatur hoc tantum modo praesenti rerum perturbationi posse mederi.

Quisque vestrum, Venerabiles Fratres, optime intelligit, Nos gravissimi officii Nostri memores haud potuisse silere cum huiusmodi epistolam accepimus. Hinc, nulla interposita mora, eidem Imperatori rescribere properavimus, Apostolica animi Nostri libertate clare aperteque declarantes, nullo plane modo Nos posse eius annuere consilio, propterea quod *insuperabiles praeseferat difficultates, ratione habita Nostrae et huius Sanctae Sedis dignitatis, Nostrique sacri characteris, atque eiusdem Sedis iurium, quae non ad alicuius regalis familiae successionem, sed ad omnes catholicos pertinent*, ac simul professi sumus, *non posse per Nos cedi quod Nostrum non est, ac plane a Nobis intelligi, victoriam, quae Aemiliae perduellibus concedi vellet, stimulo futuram indigenis, exterisque aliarum provinciarum perturbatoribus ad eadem patranda, cum cernerent prosperam fortunam quae rebellibus contingeret.* Atque inter alia eidem Imperatori manifestavimus, *non posse Nos commemoratas Pontificiae Nostrae ditionis in Aemilia provincias abdicare, quin solemnia, quibus obstricti sumus, iuramenta violemus, quin querelas motusque in reliquis Nostris provinciis excitemus, quin catholicis omnibus iniuriam*

inferamus, quin denique infirmemus iura non solum Italiae Principum, qui suis dominiis iniuste spoliati fuerunt, verum etiam omnium totius christiani orbis Principum, qui indifferenter videre nequirent perniciosissima quaedam induci principia. Neque praetermisimus animadvertere, *Maiestatem Suam haud ignorare per quos homines, quibusque pecuniis, ac praesidiis recentes rebellionis ausus Bononiae, Ravennae et in aliis civitatibus excitati ac peracti fuerint, dum longe maxima populorum pars motibus illis, quos minime opinabatur, veluti attonita maneret, et ad illos sequendos se nullo modo propensam ostendit.* Et quoniam Serenissimus Imperator illas Provincias a Nobis abdicandas esse censebat ob rebellionis motus ibi identidem excitatos, opportune respondimus, huiusmodi argumentum, utpote nimis probans, nihil valere: quandoquidem non dissimiles motus tum in Europae regionibus, tum alibi persaepe evenerunt; et nemo non videt legitimum exinde capi non posse argumentum ad civiles ditiones imminuendas. Atque haud omisimus eidem Imperatori exponere, diversam plane fuisse a postremis suis Litteris primam suam Epistolam ante Italicum bellum ad Nos datam, quae Nobis consolationem, non afflictionem attulit. Cum autem ex quibusdam imperialis epistolae per commemoratas ephemerides editae verbis timendum Nobis esse censuerimus, ne praedictae Nostrae in Aemilia provinciae iam essent considerandae veluti a Pontificia Nostra ditione distractae, iccirco Maiestatem Suam Ecclesiae nomine rogavimus, ut etiam proprii ipsius Maiestatis Suae boni utilitatisque intuitu efficeret,

ut huiusmodi Noster timor plane evanesceret. Ac paterna illa caritate, qua sempiternae omnium saluti prospicere debemus, in Ipsius mentem revocavimus, ab omnibus districtam aliquando rationem ante tribunal Christi esse reddendam, et severissimum iudicium subeundum, ac propterea cuique enixe curandum ut misericordiae potius quam iustitiae effectus experiatur.

Haec praesertim inter alia summo Gallorum Imperatori respondimus, quae Vobis, Venerabiles Fratres, significanda esse omnino existimavimus, ut Vos in primis, et universus catholicus orbis magis magisque agnoscat, Nos, Deo auxiliante, pro gravissimi officii Nostri debito omnia impavide conari, nihilque intentatum relinquere ut religionis, ac iustitiae causam fortiter propugnemus, et civilem Romanae Ecclesiae principatum, eiusque temporales possessiones ac iura, quae ad universum catholicum orbem pertinent, integra, et inviolata constanter tueamur et servemus, nec non iustae aliorum Principum causae prospiciamus. Ac divino Illius auxilio freti qui dixit *in mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum* (Ioan. c. 16. v. 33.), *et beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam* (Matth. c. 5. v. 10.), parati sumus illustria Praedecessorum Nostrorum vestigia persequi, exempla aemulari, et aspera quaeque et acerba perpeti, ac vel ipsam animam ponere, antequam Dei, Ecclesiae, ac iustitiae causam ullo modo deseramus. Sed vel facile coniicere potestis, Venerabiles Fratres, quam acerbo conficiamur dolore, videntes quo teterrimo sane bello sanctissima nostra religio maximo cum animarum detrimento vexetur, quibusque maximis turbinibus

Ecclesia, et haec Sancta Sedes iactentur. Atque etiam facile intelligitis quam vehementer angamur probe noscentes quantum sit animarum discrimen in illis perturbatis Nostris provinciis, ubi pestiferis praesertim scriptis in vulgus editis pietas, religio, fides, morumque honestas in dies miserrime labefactatur. Vos igitur, Venerabiles Fratres, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati estis, quique tanta fide, constantia, ac virtute ad religionis, Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis causam propugnandam exarsistis, pergite maiore animo studioque eamdem causam defendere, ac fideles curae vestrae concreditos quotidie magis inflammate, ut sub vestro ductu omnem eorum operam, studia, consilia in catholicae Ecclesiae et huius Sanctae Sedis defensione, atque in tuendo civili eiusdem Sedis principatu, Beatique Petri patrimonio, cuius tutela ad omnes catholicos pertinet, impendere nunquam desinant. Atque illud praesertim a Vobis etiam atque etiam exposcimus, Venerabiles Fratres, ut una Nobiscum fervidissimas Deo Optimo Maximo preces sine intermissione cum fidelibus curae vestrae commissis adhibere velitis, ut imperet ventis et mari, ac praesentissimo suo auxilio adsit Nobis, adsit Ecclesiae suae, atque exurgat et iudicet causam suam, utque caelesti sua gratia omnes Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis hostes propitius illustrare, eosque omnipotenti sua virtute ad veritatis, iustitiae, salutisque semitas reducere dignetur. Et quo facilius Deus exoratus inclinet aurem suam ad Nostras, vestras, omniumque fidelium preces, petamus in primis, Venerabi-

les Fratres, suffragia Immaculatae Sanctissimaeque Dei Genitricis Virginis Mariae, quae amantissima nostrum omnium est mater et spes fidissima, ac praesens Ecclesiae tutela et columen, et cuius patrocinio nihil apud Deum validius. Imploremus quoque suffragia tum Beatissimi Apostolorum Principis, quem Christus Dominus Ecclesiae suae petram constituit, adversus quam portae inferi praevalere nunquam poterunt, tum coapostoli eius Pauli, omniumque Sanctorum Caelitum, qui cum Christo regnant in caelis. Nihil dubitamus, Venerabiles Fratres, quin pro eximia vestra religione ac sacerdotali zelo, quo summopere praestatis, Nostris hisce votis postulationibusque studiosissime obsequi velitis. Atque interim flagrantissimae Nostrae in Vos caritatis pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam et cum omnis verae felicitatis voto coniunctam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus cuiusque Vestrum vigilantiae commissis peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 19 Ianuarii Anno 1860.

Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

PIUS PP. IX.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Cum Catholica Ecclesia a Christo Domino fundata et instituta, ad sempiternam hominum salutem curandam, perfectae societatis formam vi divinae suae institutionis obtinuerit, ea proinde libertate pollere debet, ut in sacro suo ministerio obeundo nulli civili potestati subiaceat. Et quoniam ad libere, ut par erat, agendum iis indigebat praesidiis quae temporum conditioni ac necessitati congruerent, iccirco singulari prorsus divinae providentiae consilio factum est, ut cum Romanum corruit Imperium et in plura fuit regna divisum, Romanus Pontifex, quem Christus totius Ecclesiae suae caput centrumque constituit, civilem assequeretur principatum. Quo sane a Deo ipso sapientissime consultum est, ut in tanta temporalium Principum multitudine ac varietate Summus Pontifex illa frueretur politica libertate, quae tantopere necessaria est ad spiritualem suam potestatem, auctoritatem et iurisdictionem toto orbe absque ullo impedimento exercendam. Atque ita plane decebat, ne catholico orbi ulla oriretur occasio dubitandi, impulsu fortasse civilium potestatum, vel partium studio duci quandoque posse in universali procuratione gerenda Sedem illam, ad quam *propter potiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire.*

Facile autem intelligitur quemadmodum eiusmodi Romanae Ecclesiae Principatus, licet suapte natura temporalem rem sapiat, spiritualem tamen induat indolem vi sacrae, quam habet, destinationis, et arctissimi illius vinculi quo cum maximis Rei Christianae rationibus coniungitur. Quod tamen nil impedit quominus ea omnia, quae ad temporalem quoque populorum felicitatem conducunt, perfici queant, quemadmodum gesti a Romanis Pontificibus per tot saecula civilis regiminis historia luculentissime testatur.

Cum porro ad Ecclesiae bonum et utilitatem respiciat Principatus de quo loquimur, mirum non est quod Ecclesiae ipsius hostes persaepe illum convellere et labefactare multiplici insidiarum et conatuum genere contenderint : in quo tamen nefaria illorum molimina, Deo Ecclesiam suam iugiter adiuvante, in irritum serius ocius ceciderunt. Iam vero novit universus orbis quomodo luctuosis hisce temporibus infestissimi Catholicae Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis osores *abominabiles facti in studiis suis, ac loquentes in hypocrisi mendacium* hanc ipsam Sedem proculcatis divinis humanisque iuribus, civili, quo potitur, Principatu spoliare nequiter adnitantur, idque assequi studeant non manifesta quidem, uti alias, aggressione, armorumque vi, sed falsis aeque ac perniciosis principiis callide inductis, ac popularibus motibus malitiose excitatis. Neque enim erubescunt nefandam populis suadere rebellionem contra legitimos principes, quae ab Apostolo clare aperteque damnatur ita docente: *Omnis*

anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt. (*) Dum vero pessimi istiusmodi veteratores temporalem Ecclesiae dominationem aggrediuntur, eiusque venerandam auctoritatem despiciunt, eo impudentiae deveniunt, ut suam in Ecclesiam ipsam reverentiam et obsequium palam iactare non desinant. Atque illud vel maxime dolendum, quod tam prava agendi ratione sese polluerit non nemo etiam ex iis, qui, uti Catholicae Ecclesiae filii, in ipsius tutelam atque praesidium impendere debent auctoritatem, qua in subiectos sibi populos potiuntur.

In subdolis ac perversis, quas lamentamur, machinationibus praecipuam habet partem Subalpinum Gubernium, a quo pridem omnes norunt quanta et quam deploranda eo in Regno damna ac detrimenta Ecclesiae eiusque iuribus, sacrisque Ministris fuerint inlata, de quibus in Consistoriali potissimum Allocutione die XXII Ianuarii MDCCCLV habita vehementer doluimus. Post despectas hactenus Nostras ea de re iustissimas reclamationes Gubernium ipsum eo temeritatis modo progressum est, ut ab irroganda universali Ecclesiae iniuria minime abstinuerit, civilem impetens Principatum, quo Deus hanc B. Petri Sedem instructam voluit ad apostolici ministerii libertatem, uti animadvertimus, tuendam atque servandam. Primum sane ex manifestis aggressionis

(*) S. Paul. Ep. ad Rom. c. XIII. v. 1 et seq.

indiciis prodiit quum in Parisiensi Conventu, anno 1856 acto, ex parte eiusdem Subalpini Gubernii inter hostiles nonnullas expositiones speciosa quaedam ratio proposita fuit ad civile Romani Pontificis dominium infirmandum, et ad Ipsius Sanctaeque huius Sedis auctoritatem imminuendam. Ubi vero superiore anno Italicum exarsit bellum inter Austriae Imperatorem, et foederatos invicem Imperatorem Galliarum ac Sardiniae Regem, nihil fraudis nihil sceleris praetermissum est, ut Pontificiae Nostrae Ditionis populi ad nefariam defectionem modis omnibus impellerentur. Hinc instigatores missi, pecunia largiter effusa, arma suppeditata, incitamenta pravis scriptis et ephemeridibus admota, et omne fraudum genus adhibitum vel ab illis, qui eiusdem Gubernii legatione Romae fungentes, nulla habita gentium iuris honestatisque ratione, proprio munere perperam abutebantur ad tenebricosas molitiones in Pontificii Nostri Gubernii perniciem agendas.

Oborta deinde in nonnullis Ditionis Nostrae Provinciis, quae dudum occulte comparata fuerat, seditione, illico per fautores Regia Dictatura proclamata est, statimque a Subalpino Gubernio Commissarii adlecti, qui, alio etiam nomine postea appellati, provincias illas regendas sumerent. Dum haec agerentur, Nos gravissimi officii Nostri memores non praetermisimus binis Nostris Allocutionibus die XX Iunii et XXVI Septembris superiore anno habitis de violato civili huiusce S. Sedis principatu altissime conqueri, simulque violatores serio monere de censuris ac poenis per canonicas sanctiones inflictis, in quas ipsi proinde misere inciderant. Exi-

stimandum porro erat, patratae violationis auctores per iteratas Nostras monitiones ac querelas ab iniquo proposito destituros; praesertim cum universi Catholici Orbis sacrorum Antistites, et fideles cuiusque ordinis, dignitatis, et conditionis eorum curae commissi suas nostris expostulationibus adiungentes unanimi alacritate Nobiscum huius Apostolicae Sedis, et universalis Ecclesiae iustitiaeque causam propugnandam susceperint, cum optime intelligerent, quantopere civilis, de quo agitur, principatus ad liberam supremi Pontificatus iurisdictionem intersit. Verum (horrescentes dicimus!) Subalpinum Gubernium non solum Nostra monita, querelas, et ecclesiasticas poenas contempsit, sed etiam in sua persistens improbitate, populari suffragio pecuniis, minis, terrore aliisque callidis artibus contra omne ius extorto, minime dubitavit commemoratas Nostras Provincias invadere, occupare, et in suam potestatem dominationemque redigere. Verba quidem desunt ad tantum improbandum facinus, in quo plura et maxima habentur facinora. Grave namque admittitur sacrilegium, quo una simul aliena iura contra naturalem divinamque legem usurpantur, omnis iustitiae ratio subvertitur, et cuiusque civilis Principatus ac totius humanae Societatis fundamenta penitus evertuntur.

Cum igitur ex una parte non sine maximo animi Nostri dolore intelligamus, irritas futuras novas expostulationes apud eos qui *velut aspides surdae obturantes aures suas* nihil hucusque monitis ac questubus Nostris commoti sunt; ex altera vero parte intime sentiamus quid a Nobis in tanta rerum ini-

quitate omnino postulet Ecclesiae huiusque Apostolicae Sedis ac totius Catholici Orbis causa, improborum hominum opera tam vehementer oppugnata, iccirco cavendum Nobis est ne diutius cunctando gravissimi officii Nostri muneri deesse videamur. Eo nempe adducta res est ut illustribus Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes suprema illa auctoritate utamur, qua cum solvere, tum etiam ligare Nobis divinitus datum est; ut nimirum debita in sontes adhibeatur severitas, eaque salutari ceteris exemplo sit.

Itaque post Divini Spiritus lumen privatis publicisque precibus imploratum, post adhibitum selectae VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregationis consilium, auctoritate Omnipotentis Dei et Ss: Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra denuo declaramus, eos omnes, qui nefariam in praedictis Pontificiae Nostrae Ditionis Provinciis rebellionem et earum usurpationem, occupationem, invasionem, et alia huiusmodi, de quibus in memoratis Nostris Allocutionibus die XX Iunii et XXVI Septembris superioris anni conquesti sumus, vel eorum aliqua perpetrarunt, itemque ipsorum mandantes, fautores, adiutores, consiliarios, adhaerentes, vel alios quoscumque praedictarum rerum exequutionem quolibet praetextu et quovis modo procurantes, vel per se ipsos exequentes, Maiorem Excommunicationem, aliasque censuras ac poenas ecclesiasticas a Ss. Canonibus, Apostolicis Constitutionibus, et Generalium Conciliorum, Tridentini praesertim (Sess. XX. Cap. XI de reform.) Decretis inflictas incurrisse; et si opus est, de novo excommunicamus, et anathematiza-

mus, item declarantes, ipsos omnium et quorumcumque privilegiorum, gratiarum, et indultorum sibi a Nobis, seu Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, quomodolibet concessorum amissionis poenas eo ipso pariter incurrisse; nec a censuris huiusmodi a quoquam, nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentia in easdem censuras eo ipso quo convaluerint) absolvi ac liberari posse; ac insuper inhabiles et incapaces esse qui absolutionis beneficium consequantur, donec omnia quomodolibet attentata publice retractaverint, revocaverint, cassaverint, et aboleverint, ac omnia in pristinum statum plenarie et cum effectu redintegraverint, vel alias debitam et condignam Ecclesiae, ac Nobis, et huic Sanctae Sedi satisfactionem in praemissis praestiterint. Iccirco illos omnes, etiam specialissima mentione dignos, nec non illorum successores in officiis a retractatione, revocatione, cassatione et abolitione omnium ut supra attentatorum per se ipsos facienda, vel alias debita et condigna Ecclesiae, ac Nobis, et dictae S. Sedi satisfactione realiter et cum effectu in eisdem praemissis exhibenda, praesentium Litterarum, seu alio quocumque praetextu, minime liberos et exemptos, sed semper ad haec obligatos fore et esse, ut absolutionis beneficium obtinere valeant, earumdem tenore praesentium decernimus et pariter declaramus.

Dum autem hanc muneris Nostri partem, tristi Nos urgente necessitate, moerentes implemus, minime obliviscimur, Nosmetipsos Illius hic in terris vicariam operam agere, qui *non vult mortem pec-*

catoris, sed ut convertatur et vivat, quique in mundum *venit quaerere, et salvum facere quod perierat.* Quapropter in humilitate cordis Nostri ferventissimis precibus Ipsius misericordiam sine intermissione imploramus et exposcimus, ut eos omnes, in quos ecclesiasticarum poenarum severitatem adhibere coacti sumus, divinae suae gratiae lumine propitius illustret, atque omnipotenti sua virtute de perditionis via ad salutis tramitem reducat.

Decernentes, praesentes Litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praefati, et alii quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, et dignitatis existant, seu alias specifica et individua mentione et expressione digni illis non cousenserint, sed ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanaverint, sufficienter adductae, verificatae, et iustificatae non fuerint, aut ex alia qualibet causa, colore, praetextu, et capite, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, ac alio quocumque defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, et emanato, quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu iuvari ullo modo posse; sed ipsas praesentes Litteras semper firmas, validas, et efficaces

existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari: sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Sedis praedictae Nuncios , aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes, et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, et definiri debere ; ac irritum et inane , si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis , et quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ac usibus, et stylis etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, et Litteris Apostolicis praedictis, aliisque quibuslibet Personis, etiam quacumque ecclesiastica vel mundana dignitate fulgentibus, et alias quomodolibet qualificatis, et specialem expressionem requirentibus sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis , aliisque efficacioribus , efficacissimis , et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, et consistorialiter, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis ac plu-

ries iteratis et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquista forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plenc et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus.

Cum autem eaedem praesentes Litterae ubique, ac praesertim in locis, in quibus maxime opus esset, nequeant tute publicari, uti notorie constat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiae Lateranensis, et Basilicae Principis Apostolorum, nec non Cancellariae Apostolicae, Curiaeque Generalis in Monte Citatorio, et in Acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent.

Volumus autem ut earumdem Litterarum Transumptis, seu Exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius Personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gen-

tium tam in iudicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVI Martii Anno MDCCCLX.

Pontificatus Nostri Anno Decimo Quarto.
Lo✠co sigilli

PIVS PP. IX.

Anno a Nativitate Domini MDCCCLX. Indict. III. die vero 29 Martii Pontificatus SSmi in Christo Patris et Domini Nostri Domini PII divina providentia PAPAE NONI Anno XIV. praesentes Litterae Apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranensis et Vaticanae, Cancellariae Apostolicae, ac Magnae Curiae Innocentianae atque in Acie Campi Florae per me Aloisium Serafini Apost. Curs.

Philippus Ossani *Magist· Curs.*

DISMEMBRATIO AC DEIN ERECTIO CATHEDRALIS ECCLESIAE BAROLENSIS AEQUE PRINCIPALITER UNIENDAE ALII CATHEDRALI ECCLESIAE TRANENSI

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORVM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Imperscrutabili Dei Optimi Maximi consilio vix ad Catholicae Ecclesiae gubernacula capessenda humilitas Nostra evecta fuit, munus sane amplitudine gravissimum, molestiis refertum, periculisque, nostra praesertim aetate, plenissimum, quantum in Nobis oneris atque laboris impositum esset perspeximus, assidue e specula Domini in universum terrarum orbem oculos convertimus, nihilque praetermisimus, ut omni contentione et nisu boni pastoris officio ubique fungamur.

Intelleximus siquidem, quod ad gravissima componenda dissidia inter unam Sanctae Mariae Maioris alteramque Nazarenam nuncupatas saeculares Ecclesias et insignes Collegiatas Civitatis Baroli Tranensis Dioecesis fel. rec. Pius PP. Septimus Praedecessor Noster usque ab Anno millesimo octingentesimo vigesimo primo opportunum duxerit Nazarenam Collegiatam supprimere, illamque perpetuo alteri Collegiatae Sanctae Mariae Maioris coniungere nova Barolensi Episcopali sede erecta; quod quidem gratissimum accidit omnibus et ab utriusque Siciliae Rege verbo et re maxime commendatum. Verum quamvis anno insequenti in Apostolicis Litteris provisionis Tranensis Ecclesiae favore Venerabilis Fra-

tris Caietani de Franci iussu eiusdem Pontificis apposita fuerit reservatio novam quandocumque illius Archidioecesis ineundi dismembrationem, peracta tamen Anno tantummodo millesimo octingentesimo vigesimo octavo Collegiatarum Nazarenae et Sanctae Mariae Maioris Baroli perpetua unione auctoritate Leonis XII Antecessoris etiam Nostri sanctae memoriae suis Apostolicis Litteris sub plumbo eodem anno datis, quae incipiunt « Inter multa onera» plurimae undequaque ortae sunt difficultates, quibus impediebatur ne sapientissimorum Pontificum consilium, piissimi Regis vota et Barolensium efflagitationes felicem suum sortirentur effectum. Rerum tandem angustiis et temporum adversitatibus feliciter superatis, Barolenses Cives et perinsigne Sanctae Mariae Maioris Capitulum per dilectos filios Canonicos Rogerum del Carmine et Carmelum Antonium Italia Romam missos iterum a Nobis flagitaverunt, ut tandem aliquando superius memoratam Ecclesiam Barolensem ad Cathedralis fastigium attolleremus, quod quidem pari tempore a Nobis postulabat carissimus in Christo filius Noster Franciscus secundus utriusque Siciliae Rex illustris per dilectum Filium Equitem Torquatum Iacobum de Martino eius apud hanc Sanctam Sedem Apostolicam Negotiorum gestorem.

Baroli enim Civitas praeter probatam fidem in Apostolicam Sedem constantemque suo legitimo Principi obedientiam Civitas est in Neapolitano Regno multis praeclarisque distincta nominibus, ad Adriaci Maris litus portum habet frequentatum, turritis moeniis circumscribitur, incolarum quotidie magis increbre-

scentium copia advenarumque frequentia spectabilis, civium religione nobilitate et opulentia, domorum elegantia viarumque commoditate praestans, territorium quoque habet satis amplum valdeque frugiferum. Tria insuper recenset Nosocomia, munificum Orphanotrophium, nonnullas Ecclesias et publica Oratoria, plura virorum Coenobia, mulierum Monasteria, nec non duodecim pias Laicorum fraternitates, tres Collegiatas, quarum prior et insignis illa Sanctae Mariae Maioris, quae Parochialis et ceterarum Matrix, praeclaram quoque exhibet formam opportunamque amplitudinem; gaudet insuper splendida sacrae supellectilis copia, ad solemnia quoque pontificalia obeunda, ac perinsigni Canonicorum et Beneficiariorum Capitulo aliisque Ecclesiasticis viris doctrina et pietate probatis divino servitio et sacri ministerii officio sedulo mancipatis. Singula denique ita comparata sunt concinneque disposita, ut eadem Sanctae Mariae Maioris Ecclesia apta et opportuna omnino haberi queat, quae cathedralitatis incrementum digne obtinere tuerique valeat.

Nos igitur hisce omnibus mature perpensis, supradictorum Praedecessorum Nostrorum Pii Septimi et Leonis Duodecimi vestigiis inhaerentes benigno animo superius laudati utriusque Siciliae Regis preces excipientes, nec non Barolensium Civium bono, honori, utilitatique providere cupientes, ac quorumcumque interesse habentium, vel quomodolibet habere praesumentium consensui de plenitudine potestatis Apostolicae supplentes omnesque et singulos, quibus hae litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, si quibus quomodolibet innodati

existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ad Maiorem Dei Omnipotentis gloriam et Catholicae fidei incrementum Motu proprio, deque simili Apostolicae potestatis plenitudine ex nunc prout ex tunc, videlicet cum primum Tranensem Metropolitanam Ecclesiam ex hodierni Archiepiscopi persona vacare contigerit, Barolensem Civitatem una cum eius civili territorio, ac cum omnibus et singulis incolis quibusque Ecclesiis, sive Collegiatis, sive non, Oratoriis, Ecclesiasticis Beneficiis, Confraternitatibus, piisque Institutis, Monasteriis, Coenobiis quibuscumque, aliis annexis et iuxta solitum concomitantibus accessoriis ab Ecclesiastica Curia Tranensi eiusque Archidioecesi Apostolica Auctoritate perpetuo dismembramus et separamus, ita ut nova et distincta conflетur Dioecesis. Honore autem titulo et Dignitate Archiepiscopali Baroli Civitatem decoramus fruituram deinceps omnibus praeeminentiis, indultis, gratiis, honoribus, favoribus, privilegiis, et quibuscumque ceteris, quibus finitimae aliae Civitates Archiepiscopales communi iure utuntur, fruuntur, et gaudent, et Collegiata Sanctae Mariae Maioris una cum suo Capitulo penitus suppressa, unaque cum suis insigniis, privilegiis, praerogativis, quibus utpote Collegiata usque adhuc fruebatur, utebatur, gaudebat non solum tamquam Collegium, sed tamquam singuli seu Dignitarii seu Canonici penitusque canonice extincta, eamdem Ecclesiam ad Archiepiscopalis Cathedralis titulum dignitatemque erigimus; ibique Sedes, Cathedra et Dignitas Archiepiscopalis instituatur pro suo Antistite qui Civitati, Ecclesiae, Populo, Cleroque universae Dioe-

cesis perpetuo seduloque praesit, synodum convocet, omniaque iura, officia et munia ad Sacri Concilii Tridentini tramites in Domino exercere queat et valeat una cum suo infradicendo Capitulo Archiepiscopali cumque sua respectiva mensa, arca, sigillo Curia, et Cancellaria consuetisque cum omnibus et singulis respective Pontificalibus, Archiepiscopalibus Insigniis, gratiis, favoribus, praerogativis, praeeminentiis, itemque cum omnibus iuribus realibus et personalibus et mixtis, cum ceteris demum quibusque, utpote alii in Regia Siciliarum citra Pharum ditione Antistites gaudent atque fruuntur, dummodo speciali ex indulto vel oneroso titulo acquisita, aut attributa minime fuerint, Apostolica Auctoritate praefata nunc pro tunc noviter et perpetim extollimus atque erigimus. Interea tamen temporis nefas cuicumque esto quidquam de hodierno Barolensis Ecclesiae statu deque bonis, rebus, praebendis, fundis, privilegiis, beneficiis, consuetudinibus, et ceteris quibuscumque ad Sanctae Mariae Maioris praesertim Capitulum utcumque pertinentibus immutare.

Cum vero opportune contingat superesse adhuc Baroli archiepiscopale Palatium Ecclesiae Nazarenae anterius illuc suppressae, illud pro novo Baroli Archiepiscopo, ut aliquibus anni mensibus incolet, eiusque Vicario Generali et Ecclesiastica Curia et Cancellaria perpetuo similiter constituimus, praecipiendo ut a Tranensi Cancellaria prudenti Archiepiscopi arbitrio Barolensi Ecclesiasticae Cancellariae huiusmodi tradantur omnia et singula scripta, libri, documenta, aliaque ad posteram quamcumque opportunitatem quae ad novum Dioecesanum Barolense territorium spectabunt.

Ex massa insuper Capitulari Ecclesiae Archiepiscopalis Sanctae Mariae Maioris quolibet mense Ducata triginta sex illius monetae desumantur, quorum viginti sex Vicario Generali Archiepiscopali, et alia decem pro quibuslibet Cancellariae expensis obeundis rependantur.

Collatis autem consiliis cum carissimo Filio Nostro Francisco Secundo utriusque Siciliae Rege iam superius recordato, mandamus ad decennium suspendi collationem quatuor hodie vacantium Praebendarum Canonicalium in eodem Sanctae Mariae Maioris Capitulo, eorumque fructus ab Archiepiscopo Ordinario interim recipi, eiusque cura ad multiplicum poni, donec Mensae suppressi Archiepiscopatus Nazareni aequa compensatio fiat amissionis locationum et manutentionis Palatii (alias eiusdem Archiepiscopatus) modo Barolensi Archiepiscopo attributi, eiusque Vicario et Cancellariae, nec non pro sublevanda Capitulari massa Sanctae Mariae Maioris ab expensis quas Vicario et Cancellariae eadem in ducatis triginta sex, uti diximus, rependere debet.

Quoniam vero statutum a Nobis est hanc novam Barolensem Ecclesiam Archiepiscopalem Tranensi Archiepiscopo concreditum iri, sic eamdem ab initio Tranensi Ecclesiae Metropolitanae aeque principaliter Apostolica Auctoritate coniungimus atque unimus, ita quod eaedem Ecclesiae sic invicem unitae suberunt ordinariae jurisdictioni, regimini, atque administrationi unius Archiepiscopi, qui proinde Tranensis, Nazarenus, Barolensis perpetuo nominabitur atque inscribetur, mandantes ut singuli earumdem invicem unitarum Ecclesiarum successores Antistites Archiepiscopalem pos-

sessionem canonicam in Tranensi atque Barolensi Ecclesiis accipere teneantur pro sua conscientia et prudenti arbitrio, minus diutiusque quolibet anni tempore in alterutra ex praefatis Archiepiscopalibus Ecclesiis et Dioecesibus degant atque resideant, utrobique pro suo libitu et opportunitate sacra Olea conficiant, sacram visitationem inchoent atque expleant, synodum convocent,omnes demum quoslibet Archiepiscopales actus seu functiones (quamquam utrique antedictae Dioecesi communes) edicere vel celebrare queant.

Ut autem Barolensis Ecclesia ad Archiepiscopalem Dignitatem sic evecta suum habeat novum insigniusque Capitulum Archiepiscopale Sanctae Mariae Majoris Barolensis nuncupandum, hinc idem Capitulum constabit ex quatuor dignitatibus,quarum prima erit Archipresbyter, altera Archidiaconus, tertia Primicerius et quarta Thesaurarius, nec non viginti Canonicatibus, inter quos bini specialiter destinentur juxta sacri Concilii Tridentini decretum et Apostolicas litteras sub Plumbo a Praedecessore Nostro Benedicto Decimotertio datas, quae incipiunt « Pastoralis Officii» pro Theologali nempe unus, alter vero pro Poenitentiarii muneribus obeundis cum congruis honoribus et oneribus ceterisque adnexis, cum annuali insuper augmento pro singulis eorum Canonicalibus Praebendis Ducatorum vigintiquatuor illius monetae a Capitulari Massa rependendis. Cui quidem Capitulo Cathedrali sic constituto duodecim Beneficiarii certo stabilique modo adjungentur. Confirmantes nunc pro tunc omnia et singula actualia bona in dotationem Archiepiscopalis huiuscemodi Capituli

sive noviter perpetuoque constituentes, ex quorum annuis redditibus fidelissime administratis massa communis coacervetur in singulas illiusmet Capituli Praebendas Dignitariorum et Canonicorum eodem fere ac antea modo normali continuo impertienda atque dividenda. Ex hac autem massa praeleventur in singulos menses ducata viginti sex pro Vicarii Generalis emolumento, ducata decem pro necessariis ejus Cancellariae impendiis,nec non quotannis Ducata quadraginta illius monetae pro magis congrua praebenda uniuscuiusque ex duodecim supra memoratis Beneficiariis. Quae quidem annua ducata quadraginta viritim lucranda seu percipienda sunt eodem prorsus modo ac ratione, uti hactenus pro illis adhibetur, addita insuper lege ne quis eorum praesumat valeatque umquam de ipsis Ecclesiae et Capituli bonis eiusque massa capitulari quidquam amplius ex quovis titulo ullatenus requirere, sibique vindicare.

Huiusmodi vero Capituli Archiepiscopalis Sanctae Mariae Majoris Baroli Dignitatibus, Canonicis et Beneficiariis pro ea, quae interest, gravitate atque ornamento Apostolica Nostra Auctoritate perpetuo et in enarratum solummodo finem eadem dumtaxat et non alia concedimus omnia et singula privilegia, insignia, honores, quibus modo Dignitarii et Canonici et Beneficiarii Tranensis Metropolitani Capituli utuntur fruuntur et gaudent; Archipresbytero insuper primae Capituli S. Mariae Maioris Baroli Dignitati et Archidiacono itidem primae Tranensis Metropolitani Capituli Dignitati praeter vestes violaceas praelatitias jam a Nobis approbatas usum quoque sacrorum Pontificalium benigne eodem prorsus modo concedimus

juxta praescriptum ab Apostolicis Litteris sub Plumbo a Praedecessore Nostro Pio PP. Septimo latis Anno millesimo octingentesimo vigesimo tertio, quarto Nonas Iulias, quae incipiunt «Decet Romanos Pontifices». Quod quidem Barolense Sanctae Mariae Majoris Capitulum, ubi noviter erectum fuerit, iisdem omnino fruetur muneribus et iuribus, quae de communi iure ad alia Archiepiscopalia hujusmodi Capitula ac praesertim Tranense, pertinere solent.

Cum autem hoc Sanctae Mariae Majoris Capitulum satis sit numerosum, facultatem illi impertimur quemadmodum in more positum probatumque reperitur, ut licite probeque possit in binas fere aequales partes divisum alternis hebdomadis chorale servitium praestare, atque nihilominus ii singuli canonice absentes suarum praebendarum fructus recipere, non secus ac choralibus functionibus quaque vacationis hujusmodi hebdomada interfuissent. Ad memoriam perennandam primaevae Nazarenae Ecclesiae in Palestina jamdudum ex impietate Paganorum eversae, eiusque Archiepiscopi et Capituli Barolum confugientium, simulque ad magis magisque fovendam, augendam, excitandamque devotionem et reverentiam piamque contemplationem super alma Nazarena domo in qua Beatissima Virgo Maria fuit ab Angelo salutata, et Verbum Caro factum est pro totius mundi salute, benigne potestatem tribuimus, ut singuli tam Dignitarii quam Canonici non Dignitarii in choralibus aliisque Ecclesiae Barolensis functionibus (capitulariter tantum incedentes) gestent e collo pendentem sericam violacei coloris cordulam, ex qua Crux aurata pendeat juxta datam normam,

siquidem in eius anterioris partis medio globulus extabit referens almam Nazarenam Domum ab Angelis asportatam cum hac inscriptione in parte eius posteriore = Pius IX P. M. Ordini Canonicorum Eccl. Cathedr. Barolen. Anno Christi MDCCCLX. Quod quidem religionis ornamentum comune esse volumus Abati pro tempore Ecclesiae Nazarenae ejusdem Baroli, qui propterea illud solummodo in propria Ecclesia Nazarena gestabit, et quotiescumque cum Capitulo Cathedralis Sanctae Mariae Majoris in Ecclesiasticis functionibus unietur, ejusque Crucis inscriptio in posteriori parte erit = Pius IX P. M. Abati Nazareno Anno Chr. MDCCCLX.

Singulari autem benevolentia et amore Cathedrale Capitulum Tranense prosequi cupientes, singulis ejusdem Capituli Canonicis seu Dignitariis, sive non facultatem facimus eamdem Crucem auratam parique in omnibus tempore ac modo ferendi, hoc tantummodo habito discrimine, quod in anterioris partis medio extare debeat imago Sanctissimae Virginis Mariae in Coelum receptae, et in posteriori ejusdem parte inscriptio = Pius IX P. M. Ordini Canonicorum Eccl. Cathedr. Tranen. Anno Chr. MDCCCLX.

Ad onera autem missarum quod pertinet vel piis Legatis iniuncta, inhaerentia atque adhaesura ipsi novae Cathedrali Archiepiscopali Sanctae Mariae Majoris Baroli ejusque universo Capitulo, vel eidem alia quavis ex causa et titulo incumbentia ipsamet omnia et singula rationali modo dividenda erunt inter singulos Canonicos, tam Dignitarios, quam non Dignitarios, nec non inter Beneficiatos, uti constitue-

tur prudenti iudicio ab Apostolico Nostrarum Litterarum Exequutore mox designando. Capitulum tamen ipsum, juxta Sacrorum Canonum praescriptiones, peculiarem sibi massam constituet ex tertia Praebendarum parte pro quotidianis distributionibus invicem percipiendis, addita praedicto Exequutori Nostro mox delegando facultate definiendi, utrum admitti atque adhiberi queant punctaturae in absentes, quibus modo hodiernae Sanctae Mariae Majoris Capitulum utitur, vel novae pro quotidianis distributionibus sint efformandae atque statuendae, firma tamen remanente pia dispositione Canonici Queralt quoad fundum vulgo Locone. Eidem insuper Archiepiscopali Capitulo Sanctae Mariae Maioris Baroli facultatem impertimur pro chorali servitio inibi praestando pro certo regimine atque disciplina, nec non pro rerum quarumcumque Capitularium fideli atque accurata administratione nunc pro tunc, aut reformandi, aut nova sibi conficiendi Statuta Capitularia, Ordinationes atque Decreta, quae tamen Apostolicis Constitutionibus, et praesertim Sacrosanctae Tridentinae Synodo sint consentanea, quaeque vim legis habere minime queant, nisi prius ab Archiepiscopo Ordinario accurate perpendantur atque probentur.

Cum vero haec omnia a Nobis statuta realem plenumque effectum habitura non sint, nisi postquam praedicta Sedes Tranensis quomodocumque vacaverit, ideo singulari favore Capitulum istud prosequi cupientes nunc pro tunc decernimus, ut qui eo tempore in Ecclesia Sanctae Mariae Majoris comperiantur probeque constituti sint Canonici dignitarii et non dignitarii, tum etiam Beneficiarii ipsi absque ulla om-

nino nova Bullarum vel aliorum quorumcumque actorum expeditione suas easdem viritim Praebendas retinere valeant, statuentes ratumque habentes, quod in novo huiusmodi Cathedralitatis Archiepiscopalis statu ex quatuor futuris subinde dignitatibus prior post Pontificalem nominanda sit Archipresbyteratus, altera Archidiaconatus, tertia Primiceriatus, quarta denique Thesaurariatus. Et quoniam saepius memoratum Sanctae Mariae Maioris Cathedrale Capitulum non solum ex recensitis quatuor dignitatibus constabit, sed aliis viginti Canonicis praeter duodecim Beneficiarios; ideo si tunc temporis alterutri comperiantur praefinito numero plures, hoc in casu ipsi permaneant quidem sive Canonici sive Beneficiarii sint, verumtamen cum primum alterutrae Praebendae vacaverint, tot ipso facto per se suppressae habeantur et sint sive Canonicales sive Beneficiales, quot necessariae fuerint ad praefinitum totius Capituli Archiepiscopalis numerum adamussim conficiendum, cui quidem Capitulo concedimus quoque facultatem atque ius, cum primum Tranensis Archiepiscopalis Ecclesia vacaverit, illico Capitularem Vicarium Ecclesiae Archiepiscopalis Baroli sibi in Domino eligendi, iis omnibus servatis, quae hoc super negotio a Sacris Canonibus constituta sunt atque mandata.

In singulis autem successivis vacationibus Praebendarum hujus novi Capituli Archiepiscopalis reservata Nobis atque Successoribus Nostris in hac Sancta Apostolica Sede primae post Pontificalem dignitatis seu Archipresbyteratus collatione Ordinario Archiepiscopo pro tempore facultatem indulgemus tres digniores Ecclesiasticos viros ex universo Clero

Barolensi laudato utriusque Siciliae Regi eiusque legitimis successoribus praesentandi, ut ex iis tribus unum nominet qui ab eodem Archiepiscopo vel per se vel per alium in Ecclesiastica dignitate constitutum ab eodem subdelegandum Canonicam institutionem recipiat, quoad vero cetera Beneficia, eadem juxta solitum conferantur nihilque innovetur.

Singulari autem benevolentia atque favore prosequi cupientes superius memoratum utriusque Siciliae Regem ejusque legitimos in Imperio Successores benigne eis conferimus jus nominandi seu praesentandi etiam ad novam insimul Barolensem Ecclesiam Archiepiscopalem Sanctae Mariae Majoris in posteris quibusque vacationibus idoneum spectatumque virum, qui eidem unitae Barolensi Ecclesiae praesit Apostolica Nostra Auctoritate, palliumque a Nobis vel a Successoribus Nostris in Consistorio de more instantissime postulet, servatis ceteroquin servandis, exceptisque casibus vacationum Sanctae huic Sedi Apostolicae speciatim ex sacro jure tributis, pro certo enim habemus superius recordatum utriusque Siciliae Regem pro ea, qua pollet pietate et virtute, illos semper esse Episcopos nominaturum qui Dominico gregi regendo aptiores esse dignoscentur.

Rebus ita compositis, ut dissidiorum quaecumque offendicula praecaveantur, omniaque in Dei benedictione procedant, mandamus, ut eas inter minores Baroli Ecclesias omnia in pulchritudine pacis gerantur et penitus stabiles firmaeque remaneant perpetuo illae omnes ac singulae qualescumque subjectiones et obligationes, quae duae praesertim alterae Collegiatae Ecclesiae et Capitula Sancti Jacobi et Sancti Sepulchri usque adhuc praestiterunt.

Jugiter quoque mandamus, ut sàrta tectaque semper habeantur, quae jampridem adsignata atque constabilita fuerunt pro ipsius Archiepiscopalis Ecclesiae fabrica et sacrario, cuncta videlicet bona et redditus quicumque, sive etiam praestationes et cujusvis speciei emolumenta pro ipsius incolumitate servanda, verum etiam pro impendiis, quae tam pro sacra omnigena supellectili, quam pro divino cultu inibi exercendo vel necessaria vel decentiora esse videbuntur. Quaequidem dotatio, si desit, congrue constabiliatur, si vero jam habeatur neque tamen sufficiens ad praefato susus esse censeatur, istius, meliori quo fieri poterit modo, ad necessitatem usque augeatur.

Praeterea cum propter incommodas circumstantias aliaque momenta, quae nunc aliqua animadversione digna videntur, penes novam hanc Archiepiscopalem Ecclesiam Barolensem ex Sacrorum Canonum praescriptione haberi non possit Seminarium, praecipimus ut interea temporis, et donec seminarium rite instituatur adolescentes in sortem Domini vocati ab Ordinario Antistite in Tranensi Seminario recipiantur iisdem prorsus modis atque gratiis seu favoribus aeque ac ad ipsam Tranensem Dioecesim sub uno eodemque Pastore Archiepiscopo pertinerent, usque dum Municipium Barolensis Civitatis suis sumptibus idoneum Seminarium, quemadmodum oportet, comparaverit, illudque congruis bonis perpetuaque fundatione dotaverit.

Quae quidem omnia superius statuta ut rite feliciterque ad optatum finem in superius tamen eventum expressum perduci valeant, Venerabilem Fratrem Petrum Giannelli Archiepiscopum

Sardiensem in partibus infidelium et Apostolicum Nostrum apud regiam utriusque Siciliae aulam Nuntium eligimus et deputamus in harum Apostolicarum litterarum Exequutorem, eique necessarias et opportunas facultates tribuimus aliam probam dignamque personam in Ecclesiastica dignitate constitutam huiusmodi exequutioni subdelegandi, qui quidem Petrus Archiepiscopus sive subdelegata persona omnia superius disposita disquirere, ordinare, disponere, statuere, atque adeo super quacumque quaestione, si in actu exequutionis hujusmodi forsan inciderit, definire, atque quacumque appellatione remota decernere libere valeat, quae quomodocumque oportuerit ad totum hoc negotium recte et prudenter perficiendum, iubendo insuper ut intra tres menses ab harum litterarum exequutione nunc pro tunc uti superius peragenda ad hanc Apostolicam Sedem in forma authentica singulorum Actorum exemplar fideliter transmittat, in Tabulario Nostrae Congregationis rebus Consistorialibus praepositae de more et ad posteram quamlibet opportunitatem servandum.

Praesentes quoque Litteras et in eis contenta quaecumque, etiamsi quilibet alii ad id interesse habentes vel habere praetendentes vocati et auditi non fuerint ac praemissis non consenserint eorum consensui, quatenus opus sit, de Apostolicae potestatis plenitudine supplentes, nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae vel aliquo alio etiam substantiali defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas semper validas et efficaces exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et ob-

tinere, atque ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari, sicque, et non alias, per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice Legatos, dictaeque Sedis Nuncios iudicari et definiri debere, et si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane volumus atque decernimus.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostris, et Cancellariae Apostolicae regulis de jure quaesito non tollendo, et de gratiis non concedendis ad instar, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati dismembrationes perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis aliisque etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Universalibusque Conciliis editis specialibus vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, dictarumque Metropolitanarum Tranensis et Sanctae Mariae Majoris Ecclesiarum etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis et indultis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda foret, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime, specialiter, et expresse, pro hac vice dumtaxat, harum quoque serie, derogamus ceterisque etiam speciali mentione dignis contrariis quibuscumque.

Volumus praeterea ut harum Litterarum Nostrarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, dismembrationis, suppressionis, erectionis, constitutionis, assignationis, unionis, institutionis, concessionis, attributionis, indulti, mandati, praecepti, deputationis, decreti, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo, undecimo Kalendas Maii, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XIII IVLII MDCCCLX.

VENERABILES FRATRES

Omnibus notum planeque perspectum est, Venerabiles Fratres, acerbissimum bellum contra catholicam Ecclesiam calamitosis hisce temporibus a tenebrarum filiis excitatum. Siquidem ipsi diabolica prorsus malitia animati « dicentes malum bonum, » et bonum malum, ac ponentes tenebras lucem et » lucem tenebras » (1) pravis quibusque molitionibus eamdem Ecclesiam, eiusque salutarem doctrinam, si fieri unquam posset, funditus evertere, omnesque christianae fidei virtutisque, et ipsius naturalis legis, iustitiae, honestatis, probitatisque sensus exstinguere, et radicitus extirpare conantur. Nemo autem ignorat quam infelix et omnino luctuosus nunc sit in Italia sanctissimae nostrae religionis status nefaria eorumdem hominum conspiratione et opere, qui ambulantes secundum desideria sua in impietatibus, et alienati a via Dei religionem ipsam, sacraque omnia oppugnare ac prosternere contendunt. Itaque incredibili animi Nostri dolore deplorare cogimur nova et semper gravissima vulnera, quae ab iniustis legitimae potestatis in Italia usurpatoribus Apostolicae Nostrae

(1) Is. 5. 20.

auctoritati, catholicae Ecclesiae, eiusque sacris ministris, rebus ac iuribus quotidie illata sunt et inferuntur. In variis enim Italiae regionibus Subalpinae ditioni iniuste subiectis publicae institutae sunt scholae, in quibus cum maximo animarum detrimento erronea quaevis, falsa ac depravata doctrina catholicae Ecclesiae omnino adversa palam publiceque traditur, et ipsa oppugnatur Ecclesia. Omnes autem norunt innumera fere opuscula, ephemerides et scripta tum in Italia, tum alibi ex satanae officinis ad exitium et perniciem emissa, ac turpissimis, abominandisque imaginibus edita, quibus implacabiles isti religionis hostes, ac peritissimi scelerum et fraudum artifices sacrosancta ipsius religionis mysteria, praecepta, ac veneranda Ecclesiae instituta, eiusque leges ac censuras contemnere, irridere, omniumque animos corrumpere, et a cultu catholico avellere, ac dissolutam vivendi licentiam, et abnormem usquequaque impietatem fovere, inducere, ac sacros Ministros, et Christi hic in terris Vicarium omnibus iniuriis, calumniis, conviciisque proscindere, et legitimae cuiusque potestatis imperium labefactare, ac tum Ecclesiae, tum civilis societatis excidium procurare adnituntur.

Atque hi lucis et veritatis osores minime dubitant violentas, sacrilegasque eorum manus sacris Ecclesiae Ministris et patrimonio injicere. Postquam enim Subalpinum Gubernium Parmensis et Placentini Ducatus dominium usurpavit, die decimanona proximi mensis Aprilis Monachos Ordinis S. Benedicti in Parmensi S. Ioannis Evangelistae Coenobio commorantes inique expulit, omniaque illorum bona sibi vindicavit. Decreto autem die decima praeteriti

mensis Maii edito Clericorum Placentiae Seminarium claudendum praescripsit, ut Placentinum ulcisceretur Episcopum, qui merito se abstinuit a sacris peragendis caeremoniis, quae a civili praecipiebantur potestate. Ac deinde idem vigilantissimus Episcopus fuit comprehensus, atque a sua Dioecesi abreptus, et Augustam Taurinorum deductus, ac tum carcere, tum pecunia damnatus; quas poenas etiam subiere ipsius Episcopi Vicarius Generalis, et nonnulli Placentini Canonici. Atque eadem de causa tum in usurpatis Nostris Aemiliae provinciis, tum in aliis locis iniustae Subalpinae dominationi potissimum subditis plures egregii Venerabiles Fratres Episcopi, et ecclesiastici Viri, ac Religiosarum Familiarum Alumni per summam iniuriam vehementer vexati, ac durissimae inquisitioni obnoxii, quorum non pauci etiam deprehensi, et vel in exilium exacti, vel in vincula coniecti. Hinc Pro-Vicarius Bononiensis de sui Cardinalis Archiepiscopi eo ipso tempore, quo animam agebat, latere divulsus, et in carcerem missus, ac deinde tum pecunia, tum carcere multatus. Ubi vero clarissimus ille Archiepiscopus ex hac vita migravit Archiepiscopatus Bononiensis bona eiusdem Gubernii admnistrationi statim subiecta fuerunt. Hinc ab ipso Gubernio Venerabilis Frater pientissimus Faventiae Episcopus primum militari custodia in suis aedibus septus, propterea quod gravi conflictatus morbo in carcerem contrudi minime potuerit, ac postea carcere et pecunia damnatus. Hinc spectatissimi vestri Collegae Dilecti Filii Nostri S. R. E. Cardinales Archiepiscopus Pisanus militari manu comprehensus, a suo grege avulsus, et Augustam Taurinorum tra-

auctoritati, catholicae Ecclesiae, eiusque sacris ministris, rebus ac iuribus quotidie illata sunt et inferuntur. In variis enim Italiae regionibus Subalpinae ditioni iniuste subiectis publicae institutae sunt scholae, in quibus cum maximo animarum detrimento erronea quaevis, falsa ac depravata doctrina catholicae Ecclesiae omnino adversa palam publiceque traditur, et ipsa oppugnatur Ecclesia. Omnes autem norunt innumera fere opuscula, ephemerides et scripta tum in Italia, tum alibi ex satanae officinis ad exitium et perniciem emissa, ac turpissimis, abominandisque imaginibus edita, quibus implacabiles isti religionis hostes, ac peritissimi scelerum et fraudum artifices sacrosancta ipsius religionis mysteria, praecepta, ac veneranda Ecclesiae instituta, eiusque leges ac censuras contemnere, irridere, omniumque animos corrumpere, et a cultu catholico avellere, ac dissolutam vivendi licentiam, et abnormem usquequaque impietatem fovere, inducere, ac sacros Ministros, et Christi hic in terris Vicarium omnibus iniuriis, calumniis, conviciisque proscindere, et legitimae cuiusque potestatis imperium labefactare, ac tum Ecclesiae, tum civilis societatis excidium procurare adnituntur.

Atque hi lucis et veritatis osores minime dubitant violentas, sacrilegasque eorum manus sacris Ecclesiae Ministris et patrimonio injicere. Postquam enim Subalpinum Gubernium Parmensis et Placentini Ducatus dominium usurpavit, die decimanona proximi mensis Aprilis Monachos Ordinis S. Benedicti in Parmensi S. Ioannis Evangelistae Coenobio commorantes inique expulit, omniaque illorum bona sibi vindicavit. Decreto autem die decima praeteriti

mensis Maii edito Clericorum Placentiae Seminarium claudendum praescripsit, ut Placentinum ulcisceretur Episcopum, qui merito se abstinuit a sacris peragendis caeremoniis, quae a civili praecipiebantur potestate. Ac deinde idem vigilantissimus Episcopus fuit comprehensus, atque a sua Dioecesi abreptus, et Augustam Taurinorum deductus, ac tum carcere, tum pecunia damnatus; quas poenas etiam subiere ipsius Episcopi Vicarius Generalis, et nonnulli Placentini Canonici. Atque eadem de causa tum in usurpatis Nostris Aemiliae provinciis, tum in aliis locis iniustae Subalpinae dominationi potissimum subditis plures egregii Venerabiles Fratres Episcopi, et ecclesiastici Viri, ac Religiosarum Familiarum Alumni per summam iniuriam vehementer vexati, ac durissimae inquisitioni obnoxii, quorum non pauci etiam deprehensi, et vel in exilium exacti, vel in vincula coniecti. Hinc Pro-Vicarius Bononiensis de sui Cardinalis Archiepiscopi eo ipso tempore, quo animam agebat, latere divulsus, et in carcerem missus, ac deinde tum pecunia, tum carcere multatus. Ubi vero clarissimus ille Archiepiscopus ex hac vita migravit Archiepiscopatus Bononiensis bona eiusdem Gubernii admnistrationi statim subiecta fuerunt. Hinc ab ipso Gubernio Venerabilis Frater pientissimus Faventiae Episcopus primum militari custodia in suis aedibus septus, propterea quod gravi conflictatus morbo in carcerem contrudi minime potuerit, ac postea carcere et pecunia damnatus. Hinc spectatissimi vestri Collegae Dilecti Filii Nostri S. R. E. Cardinales Archiepiscopus Pisanus militari manu comprehensus, a suo grege avulsus, et Augustam Taurinorum tra-

ductus, et Forocorneliensis Antistes suis in aedibus militari custodia detentus, ac Ferrariensium Archiepiscopus variis modis exagitatus.

Nota vero sunt gravissima damna, quae in Sicilia perditorum hominum opera, legitimi Principis regno perturbato, religio, eiusque ministri nuper perpessi sunt. Etenim inter alia duo Religiosi Ordines de re christiana optime meriti fuere sublati, eorumque Alumni exulare coacti. Ac vel maxime dolendum, Venerabiles Fratres, quod ibi nonnulli ex Clero reperti fuerint, qui nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum, minime erubuerunt cum summo bonorum omnium scandalo et fremitu suam operam Ecclesiae et omnis iustitiae inimicis praestare, illisque favere. In usurpatis autem Nostris provinciis plures Dioeceses cum maximo fidelium discrimine sunt suis orbatae pastoribus, cum hi, ob adiectas ab illegitima potestate conditiones, illas attingere minime possint. Atque id inter alia manifestissime ostendit quo potissimum ii homines spectent, qui nequissimis et sacrilegis ausibus civilem Romani Pontificis, et huius Apostolicae Sedis principatum usurpare ac diruere exoptant, ut scilicet civili eiusdem Pontificis et Sedis potestate et maiestate depressa et eversa, catholicam Ecclesiam facilius oppugnare queant. Omittimus vero tot alia id genus ausa recensere, quibus Ecclesiam, sacrosque Ministros isti homines tantopere affligunt, divexant, dum perfida sane nequitia omnium libertatem dolosis fraudulentisque modis ubique praedicare et extollere non cessant.

Quae quidem omnia gravia facinora cum summa

bonorum omnium indignatione ac luctu peracta quantam Ecclesiae, quantam Nobis, et Apostolicae Nostrae auctoritati, et huic Sanctae Sedi, Vestroque Ordini, et Episcopali dignitati, universoque Clero iniuriam, violentiam, et contumeliam afferant, optime intelligitis, Venerabiles Fratres.

In tanta vero acerbitate non levi afficimur gaudio, cum videamus qua insigni sane fide, patientia et constantia commemorati tum Dilecti Filii Nostri S. R. E. Cardinales, tum Venerabiles Fratres Sacrorum Antistites summa cum eorum nominis laude omnes aerumnas, calamitatesque sine ulla iusta causa sibi illatas tolerare, et Ecclesiae iustitiaeque causam strenue defendere glorientur, et cum simul noscamus qua firmitate, paucis exceptis, Italiae Clerus omni commendatione dignus, suae vocationis et officii memor illustribus suorum Antistitum vestigiis insistat, omnesque perferat molestias, vexationes, suoque munere egregie fungatur.

Dum autem intimo moerore conficimur, Apostolici Nostri muneris probe memores nunquam desistemus divino auxilio suffulti Ecclesiae causam Nobis ab Christo Domino divinitus commissam omni studio, totisque viribus impavide propugnare. Quamobrem in hoc amplissimo Vestro consessu, et coram universo catholico orbe Nostram attollentes vocem tam tristia, et nunquam satis deploranda facta omnino reprobamus, damnamus, ac maiore, qua possumus, animi Nostri contentione ecclesiasticam immunitatem violatam, Cardinalitiam et Episcopalem Dignitatem despectam, ecclesiasticum ordinem afflictum, et omnia Ecclesiae, atque huius Aposto-

licae Sedis iura proculcata etiam atque etiam reclamare nunquam desinemus.

Verum in hac tanta temporum rerumque conversione, in hac tanta Ecclesiae oppugnatione, omniumque divinorum, humanorumque iurium conculcatione, et Sacerdotii contemptu non concidamus animo, Venerabiles Fratres. Caelum enim et terra transibunt, verba autem promissionesque Domini non praeteribunt, ac, veluti apprime nostis, florentissima imperia, regna, nationes, urbes et regiones dissipari, deleri et corruere possunt, sed Ecclesia a Christo Domino fundata, et omnipotenti Eius virtute continenter sustentata et illustrata nullo unquam modo convelli et labefactari potest, et persecutionibus non vincitur, non imminuitur, sed augetur, novisque semper ac splendidioribus exornatur triumphis. « Hoc enim Ecclesiae proprium est, ut tunc » vincat cum laeditur, tunc intelligatur cum argui- » tur, tunc obtineat cum deseritur » (1).

Ne intermittamus autem in omni fide, spe, et humilitate cordis dies noctesque ardentiori usque studio misericordiarum Deum orare et obsecrare, ut per merita Unigeniti Filii Sui Domini Nostri Jesu Christi velit omnium praevaricantium propitius misereri, eosque caelesti sua gratia perfundere, illustrare, atque ad se convertere, reducere, utque, omnibus profligatis erroribus, omnibusque amotis iniquitatibus, divina sua religio, eiusque salutaris doctrina, quae ad temporalem quoque regnorum populorumque felicitatem et tranquillitatem tantopere

(1) S. Hilar. de Trinit. lib. 7. c. 4.

conducit, quotidie magis ubique terrarum vigeat, floreat ac dominetur.

Atque hic sermonem Nostrum ad omnes Venerabiles Fratres totius catholici orbis Sacrorum Antistites intimo cordis affectu convertentes, ipsis, et fidelibus eorum curae traditis iterum vel maxime gratulamur de eximia eorum erga Nos, et hanc Petri Cathedram fide, amore et observantia, ac simul gratissimi animi Nostri sensus iisdem Venerabilibus Fratribus et fidelibus palam publiceque profitemur ob mira sane studia, quibus Nostras angustias modis omnibus sublevare non desinunt. Nihil vero dubitamus, quin iidem Venerabiles Fratres pro egregia, qua maxime praestant, religione, pietate ac sacerdotali zelo pergant maiore usque alacritate et opera una cum fidelibus sibi commissis Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis causam constanter defendere, ac ferventissimis suis, suorumque fidelium precibus adire cum fiducia una Nobiscum ad thronum gratiae, ac potentissimum Immaculatae Sanctissimaeque Dei Genetricis Virginis Mariae patrocinium implorare, ut, tam magna tamque turbulenta tempestate depulsa, et Catholica Ecclesia optatissimam assequatur pacem, ac sua ubique libertate fruatur, et omnes a veritatis ac iustitiae via aberrantes redeant ad cor, et convertantur ad Deum, ac declinantes a malo, et facientes bonum incedant per semitas Domini.

VENERABILIBUS FRATRIBUS PAULO PETRO PATRIARCHAE ANTIOCHENO MARONITARUM, ET ALIIS SEPTEM IN EIUS PATRIARCHATU EPISCOPIS.

PIUS PAPA IX.

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ex vestris moerore plenis litteris die vicesima sexta vertentis mensis ad Nos perlatis, non sine gravi animi Nostri cura, molestiaque, atrocissimas fidelium clades accepimus per istas regiones a teterrimis christiani nominis hostibus editas, quarum quidem tristissimum nuntium publicae etiam litterae postremis hisce diebus attulerunt. Enimvero ad ceteras, quibus conficimur, acerbitates, quidam veluti accessit doloris cumulus, dum animo reputaremus, coenobia, templa incendio deleta, pagos integros ferro, flammisque vastatos, sacras quasque res nefarie direptas, innumeram cuiusque aetatis, conditionis, sexus multitudinem partim atrociter caesam, partim fuga, et latebris ab imminenti nece se proripere quaeritantem; dum menti obversaretur Nostrae assiduum vitae periculum, cui propositi vos estis, ceterique sacri Antistites ob nativam infidelium istorum feritatem, quae hoc maxime tempore ex toties per ephemerides evulgata Mahumedani Imperii divisione procul dubio recruduit, unde tam subitus

ad christianae gentis internecionem furor exarsit. At vero illud est miserrimum, planeque dolendum, quod aetate hac nostra plus deferatur studii, et vero etiam auxilii turbulentissimis seditionum auctoribus, quam christianis populis sub Turcarum, aliorumque barbarorum iugo gementibus, pro quibus a durissima servitute vindicandis gravissima bella per superiores aetates Europa suscepit. Atque adeo, in publico cuiusdam nationis consilio laudes, plaususque a nonnullis tributi illi homini sunt, qui rem sacram, et publicam contra ius, fasque subvertere ubique contendit.

Scilicet ita cogitari, atque agi perverse solet, dum reiicitur, ac reprobatur Catholica religio, quae una dux est, et magistra veritatis, quae mederi una potest aegrae societatis vulneribus, eamdem fatiscentem, ac prope collabentem fulcire, ac sustinere. Optandum sane est, ut ii, quibus maxime pertinet, noscant aliquando, nullum ab Ecclesia Dei conflari periculum humanae societati, verum ab hostibus Ecclesiae ipsius, qui si favore, si auctoritate, opibusque iuventur, contra fautores ipsos suos convertere arma solent ad sacram, civilemque potestatem funditus subruendam.

Iamvero de Christianorum per istas regiones conditione, meliora profecto, Venerabiles Fratres, Deo bene iuvante confidimus; quippe quod generosa Galliarum natio, eiusque Gubernium munitissimam instruit classem istas ad oras mittendam; quemadmodum aliae pariter nationes armatas naves miserunt ad tuendos suae gentis homines, eosque a belluarum quasi faucibus extorquendos. Quod sane prae-

clarum studium pro paterna, qua urgemur, sollicitudine, cohortatione Nostra curavimus excitandum: neque dubitamus, quin ad communis vestrae salutis defensionem, ac securitatem inflammetur. Ceterum persuasum habeatis in partem Nos venire doloris vestri ob funestissimos, qui vos nuper perculerunt, casus, ac dum aliquam pecuniae summam pro angustis, in quibus versamur, rebus ad vos mittere properamus, ut aliquod nimirum per Nos afferatur tantis infortuniis levamen, obsecramus, atque obtestamur misericordiarum Patrem, ut ab excelso solio gloriae Suae respicere istam velit dominici gregis partem, tantaque afflictam calamitate bonus, propitiusque reficiat, ac recreet. Faxit immortalis Deus, cuius in manu corda regum sunt, ut excitentur potentissimi christiani principes ad reprimendos infidelium conatus, ne in perniciem, excidiumque christiani nominis debacchentur, atque insolescant. Utinam aliquando intelligant iidem principes, quam grave immineat, ac prope extremum societati universae discrimen, nisi opes, viresque coniungant suas ab cohibendam hic pariter in Europa perditorum audaciam, impetumque frangendum, qui novo quodam incensi furore id moliuntur, id agunt, ut omnem religionis sensum in animis extinguant, divina quaeque, et humana iura pessumdent, et sublato quolibet iusti, atque iniusti discrimine, societatem hominum quoddam quasi septum efficiant furentium belluarum. Verum in hac tanta civilium rerum conversione, in hoc tanto novorum turbinum metu ea Nos sustentat cogitatio, quod ubicumque terrarum positi fideles fervidas, assiduasque attollunt

preces ad thronum gratiae, quibus exoratus clementissimus Deus optatam, cum Ei placuerit, faciet tranquillitatem; sic ut de felici, faustoque communium votorum exitu gratulemur, ac supremo Moderatori rerum omnium, sospitatori, et vindici Ecclesiae suae debitas pro tanto beneficio gratias persolvamus. Hac Nos spe recreati, vobis, gregique vestro, Venerabiles Fratres, Apostolicam benedictionem tamquam omen meliorum rerum, et sempiternae pignus beatitatis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 29 Iulii anno MDCCCLX. Pontificatus Nostri XV.

VENERABILI FRATRI VINCENTIO ARCHIEPISCOPO NISIBENO
PRAEPOSITO SACRORVM SEV CAPPELLANO MAIORI
IN PONTIFICIIS NOSTRIS COPIIS

PIVS PP. IX.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Intimo moerore conficimur videntes asperrima sane christianae reipublicae tempora, et gravissima damna , quae Nobis, et huic Apostolicae Sedi teterrimi catholicae Ecclesiae, eiusdemque Sedis et civilis societatis hostes impie nefarieque intulerunt, et magis in dies inferre conantur. In summis vero Nostris angustiis non levi solatio afficimur, cum conspiciamus quanta alacritate quantoque studio quamplurimi ex variis christiani orbis regionibus viri ac iuvenes generis etiam nobilitate conspicui ad Pontificiam Nostram ditionem quotidie concurrant, ut Nostris copiis adscripti, atque sub Summo earum Duce clarissimo ac strenuissimo viro militantes, Nostram, et huius Apostolicae Sedis, et catholicae Ecclesiae causam fortiter et animose tueantur ac defendant. Nos quidem nunquam desistimus in humilitate cordis Nostri ferventissimas ad Deum effundere preces , ut omnibus optatissimam christianam pacem largiri velit. Sed impii homines, quibus Altissimus ad omnium castiganda peccata nunc utitur , ut illos postea in die furoris sui disperdat et puniat, conculcantes legem Dei, et blasphemantes eloquium Sancti Israel, acerbissimum contra Ecclesiam, et hanc Apo-

stolicam Sedem bellum gerere non desinunt. Siquidem ipsi satanae spiritu abrepti, Italiae populis ad rebellionem excitatis, legitimisque Principibus per summam iniustitiam expulsis, rebusque omnibus divinis et humanis perturbatis, in Pontificiam Nostram ditionem iam superiore anno aliquot provinciis iniustissimo ac sacrilego prorsus ausu spoliatam irruere, et reliquas ipsius ditionis provincias agitare, invadere et usurpare moliuntur. Atque id ea iniquissima mente efficere volunt, ut scilicet, civili Nostro et huius Sanctae Sedis principatu funditus everso, catholicam Ecclesiam, eiusque supremum Pontificatum, si fieri unquam posset, destruere valeant, quemadmodum tot nefandis scriptis et abominandis factis clare aperteque declarare non reformidant.

In tanta igitur perditorum hominum perversitate atque in tam tristi rerum conditione, durissimaque necessitate, etiamsi de Ecclesiae triumpho nihil plane sit dubitandum, tamen cum incredibili animi Nostri dolore noscimus, Nostrum exercitum, eiusque ductores et milites egregie animatos debere et gravissima adire pericula, ac luctari et congredi cum audacissimis hostibus, ac peritissimis scelerum fraudumque architectis. Quocirca eumdem Nostrum exercitum pro Ecclesiae, et huius Apostolicae Sedis caussa strenue dimicantem spiritualibus quoque praesidiis quam libentissime muniendum et corroborandum esse censuimus. Hanc itaque ad Te, Venerabilis Frater, epistolam scribimus, qua Tibi, ac omnibus et singulis eiusdem Nostri exercitus ecclesiasticis viris a Sacris, seu *Cappellanis*, facultatem facimus impertiendi Auctoritate Nostra Apostolica plenariam in

articulo mortis indulgentiam omnibus et singulis ipsius exercitus ductoribus et militibus in actu sacramentalis confessionis. Insuper eadem Auctoritate Nostra concedimus, ut ipsi ductores et milites, quoties in extremo vitae discrimine constituti praesentem Sacri Ministri opem habere minime potuerint, eamdem plenariam indulgentiam consequantur invocantes ore, si potuerint, sin minus corde potentissima ac dulcissima Iesu et Mariae nomina. Persuasissimum quidem Nobis est, Ecclesiae, iustitiaeque causam de suis hostibus gloriosam, uti semper, relaturam esse victoriam. Iustus enim et misericors Deus vel tot impiorum hominum millia ad salutis semitas, quemadmodum ab Ipso assiduis impensissimisque precibus exposcimus, reducere dignabitur, vel hos novos Sennacherib percutiet, conteret et exterminabit in indignatione furoris sui. Atque haec Nostra persuasio et fiducia nititur tum in communibus totius Ecclesiae precibus, quae in odorem suavitatis sicut incensum quotidie adscendunt ad Thronum gratiae, tum in eximia religione, virtute, sapientia, consilio tot pientissimorum Christi Iesu cultorum, et amantissimorum catholicae Ecclesiae, et huius Apostolicae Sedis filiorum, qui eiusdem Ecclesiae et Sedis iura modis omnibus studiosissime defendere gloriantur, tum in mira eorumdem filiorum pietate, qui suis opibus maximas Nostras et huius Sanctae Sedis angustias sublevare non intermittunt. Nihil vero dubitamus, quin huiusmodi ferventissmae eorumdem fidelium precationes, et egregia omnique laude digna eorum studia, ac religiosissimae largitiones et subsidia constanter perdurent, donec clementissimo mi-

sericordiarum Patri placuerit imperare ventis et mari, ac tam horribilem depellere tempestatem, et optatissimam Ecclesiae suae pacem, tranquillitatemque concedere. Exercituum vero Deus, in cuius manu victoria plena consistit, quique David ad rebellem expugnandum Goliam mirabiles tribuit vires, Iudamque Machabaeum de feritate gentium fecit triumphare, caelesti sua pietate Summo Nostrarum copiarum Duci, aliisque omnibus illarum ductoribus ac militibus gratiam, virtutemque concedat dimicandi ad propriam et sanctae Dei Ecclesiae, et huius Apostolicae Sedis defensionem, atque ad confusionem inimicorum Crucis Christi et catholicae fidei ac religionis. Habes, Venerabilis Frater, quae Tibi significanda esse existimavimus; et caelestium omnium munerum auspicem, et praecipuae Nostrae benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem ex imo corde profectam Tibi ipsi, Venerabilis Frater, ac Summo Nostri exercitus Duci, et omnibus ac singulis eiusdem exercitus ductoribus et militibus peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 10 Septembris Anno 1860.

Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

PIVS PP. IX.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONCISTORIO SECRETO DIE XXVIII SEPTEMBRIS MDCCCLX.

VENERABILES FRATRES

Novos, et ante hunc diem inauditos ausus a Subalpino Gubernio contra Nos, hanc Apostolicam Sedem, et Catholicam Ecclesiam admissos denuo cum incredibili animi Nostri dolore vel moerore potius deplorare ac detestari cogimur, Venerabiles Fratres. Ipsum, uti nostis, Gubernium victoria abutens, quam bellicosae magnaeque nationis opibus adiutum ex funestissimo bello reportavit, suum per Italiam regnum contra omnia divina et humana iura extendens, populis ad rebellionem excitatis, legitimisque Principibus ex propria dominatione per summam iniustitiam expulsis, aliquot Pontificiae Nostrae in Aemilia ditionis provincias iniustissimo ac prorsus sacrilego ausu invasit et usurpavit. Dum autem universus Catholicus Orbis justissimis gravissimisque Nostris respondens querelis contra hanc impiam usurpationem vehementer clamare non desinit, idem Gubernium alias huius Sanctae Sedis provincias in Piceno, Umbria, et Patrimonio sitas sibi vindicare constituit. At cum videret, earum provinciarum populos omni perfrui tranquillitate, eosque Nobis fideliter adhaerere, nec posse pecuniis largiter profusis, aliisque improbis adhibitis dolis a legitimo Nostro, et huius

Sanctae Sedis civili imperio alienari ac divelli, iccirco in ipsas provincias immisit tum perditorum hominum manum, qui turbas seditionemque ibi excitarent, tum ingentem suum exercitum, qui easdem provincias hostili impetu armorumque vi subiiceret.

Optime nostis, Venerabiles Fratres, impudentes litteras a Subalpinio Gubernio ad suum tuendum latrocinium Nostro Cardinali a publicis negotiis scriptas, quibus haud erubuit nuntiare, se suis copiis in mandatis dedisse, ut commemoratas Nostras provincias occuparent, nisi dimitterentur exteri homines adscripti parvo Nostro exercitui, qui ceteroquin ad Pontificiae ditionis, eiusque populorum tranquillitatem servandam fuerat instructus. Nec ignoratis, a Subalpinis copiis easdem provincias ipso fere tempore fuisse occupatas, quo illae litterae accipiebantur. Equidem nemo non potest non magnopere commoveri, et summa affici indignatione reputans mendaces criminationes, variasque calumnias et contumelias, quibus idem Gubernium haud pudet huiusmodi suam hostilem impiamque contra civilem Romanae Ecclesiae principatum aggressionem tegere, Nostrumque Gubernium impetere. Ecquis enim non summopere miretur audiens, Nostrum reprehendi Gubernium, propterea quod Nostro exercitui externi homines fuerint adscripti, cum omnes noscant nulli legitimo Gubernio denegari unquam posse ius cooptandi in suas copias exteros homines? Quod quidem ius potiori quadam ratione ad Nostrum et huius Sanctae Sedis Gubernium pertinet, cum Romanus Pontifex, veluti communis omnium catholicorum pater, non possit non libentissime eos omnes catholicos

excipere, qui religionis studio impulsi velint in Pontificiis copiis militare, et ad Ecclesiae defensionem concurrere. Atque hic animadvertendum existimamus, huiusmodi catholicorum exterorum concursum fuisse praesertim excitatum illorum improbitate, qui civilem huius Sanctae Sedis principatum aggressi sunt. Nemo enim ignorat qua indignatione, et quo luctu universus catholicus orbis fuerit commotus ubi novit tam impiam, tamque iniustam civili huius Apostolicae Sedis dominio aggressionem fuisse illatam. Ex quo porro factum est, ut quamplurimi ex variis christiani orbis regionibus fideles sua sponte et summa alacritate ad Pontificiam Nostram ditionem convolaverint, suumque nomen Nostrae militiae dederint, quo Nostra, huius Sanctae Sedis, et Ecclesiae iura strenue defenderent. Singulari autem malignitate Subalpinum Gubernium Nostris militibus mercenarii notam per summam calumniam inurere minime veretur, cum non pauci ex indigenis exterisque Nostris militibus nobili genere nati, et illustrium familiarum nomine conspicui, ac religionis amore unice excitati, sine ullo emolumento in Nostris copiis militare voluerint, Neque latet Subalpinum Gubernium qua fide et integritate Noster exercitus praestet, cum eidem Gubernio perspectum sit, irritas fuisse omnes dolosas artes adhibitas ut Nostri milites corrumperentur. Nihil vero est cur immoremur in refellenda feritatis accusatione Nostris copiis improbe illata, cum nullum plane argumentum obtrectatores valeant adducere; quin potius huiusmodi criminatio in ipsos iure converti possit, quemadmodum vulgatae Subal-

pini exercitus Ducum truculentae proclamationes manifestissime ostendunt.

Hic autem animadvertere praestat, Nostro Gubernio minime suspicandum fuisse de huiusmodi hostili invasione, cum ipsi asseveratum esset Subalpinas copias prope territorium Nostrum accessisse, non quidem invadendi animo, immo vero ut inde perturbatorum turmas arcerent. Hinc summus Nostrarum copiarum Dux ne cogitare quidem poterat, sibi cum Subalpino exercitu esse pugnandum. Verum ubi, rebus praeter omnem expectationem perperam immutatis, agnovit hostilem irruptionem ab illo exercitu factam qui sane pugnantium numero armorumque vi maxime praevalebat, providum suscepit consilium se Anconam utpote arce munitam recipiendi, ne Nostri milites tam facili mortis periculo exponerentur. Cum autem ingruentibus hostium copiis in itinere interciperetur, manus conserere coactus est, ut sibi militibusque suis viam aperiret.

Ceterum dum meritas debitasque laudes tribuimus commemorato Nostrarum copiarum Duci, ac illarum ductoribus et militibus, qui inexpectata hostili irruptione lacessiti pro Dei, Ecclesiae, huius Apostolicae Sedis, ac iustitiae causa fortiter, viribus licet longe imparibus, dimicarunt, vix lacrimas continere possumus noscentes quot strenui milites, ac lectissimi praesertim juvenes in hac iniusta et crudeli invasione occubuerint, qui religioso sane nobilique animo ad civilem Romanae Ecclesiae principatum tuendum advolarunt. Nos insuper summopere commovet luctus, qui in illorum familias re-

dundat. Utinam eisdem familiis fletum Nostris verbis abstergere possemus! Confidimus vero non levi ipsis solatio et consolationi futuram honorificentissimam mentionem, quam de extinctis suis liberis et propinquis merito facimus ob splendidum sane eximiae eorum erga Nos, et hanc Sanctam Sedem fidei, pietatis et amoris exemplum, quod christiano orbi cum immortali eorum nominis laude exhibuerunt. Atque in eam profecto spem erigimur fore, ut ii omnes, qui gloriosam pro Ecclesiae causa mortem obierunt, illam sempiternam assequantur pacem et beatitatem, quam a Deo Optimo Maximo apprecati sumus, et apprecari nunquam omittemus. Quo loco debitis quoque laudibus prosequimur dilectos Filios Praesides provinciarum, praesertim Urbino - Pisaurensis, et Spoletanae, qui in hac tristissima temporum vicissitudine suo munere sedulo constanterque perfuncti sunt.

Iam vero, Venerabiles Fratres, quis ferre unquam poterit insignem impudentiam et hypocrisim, qua nequissimi invasores in suis programmatibus asserere non dubitant, se Nostras aliasque Italiae adire provincias, ut ibi moralis ordinis principia restituant? Atque id ab iis temere affirmatur, qui acerrimum Catholicae Ecclesiae, eiusque Ministris, ac rebus iamdiu bellum inferentes, et ecclesiasticas leges censurasque plane despicientes ausi sunt spectatissimos tum S. R. E. Cardinales, tum Episcopos, tum probatissimos utriusque cleri Viros in vincula coniicere, Religiosas Familias e propriis Coenobiis expellere, Ecclesiae bona diripere, et civilem huius Sanctae Sedis principatum vastare. Scilicet moralis ordinis

principia ab iis restituentur, qui publicas cuiusque falsae doctrinae scholas, et meretricias etiam domos constituunt, quique abominandis scriptis et scenicis spectaculis pudorem, pudicitiam, honestatem, virtutem offendere, eliminare, et sacrosancta divinae nostrae religionis mysteria, sacramenta, praecepta, et instituta, sacrosque ministros, ritus, caeremonias irridere, contemnere, omnemque iustitiae rationem de medio tollere, ac tum religionis tum civilis societatis fundamenta labefactare et evertere connituntur!

In hac igitur tam iniusta, tam hostili et horrenda civilis Nostri et huius Sanctae Sedis principatus aggressione et occupatione a Subalpino Rege eiusque Gubernio contra omnes iustitiae leges et universale gentium ius peracta, Nostri officii probe memores in hoc amplissimo Vestro consessu, et coram universo Catholico Orbe Nostram vocem denuo vehementer attollimus, ac omnes nefarios sacrilegosque eiusdem Regis et Gubernii ausus reprobamus, penitusque damnamus, omnesque actus plane nullos et irritos declaramus, decernimus, ac civilis, quo Romana pollet Ecclesia, principatus integritatem, eiusque iura, quae ad omnes catholicos pertinent, etiam atque etiam reclamamus, et reclamare nunquam desistemus.

Verum dissimulare non possumus, Venerabiles Fratres, summa Nos opprimi amaritudine, cum in tam scelesta et nunquam satis exsecranda aggressione alieni auxilii opem, variis exortis difficultatibus, adhuc desideremus. Equidem notissimae Vobis sunt iteratae declarationes Nobis factae ab uno ex

potentissimis Europae Principibus. Attamen dum illarum iamdiu expectamus effectum, non possumus non vehementer angi ac perturbari cum inspiciamus nefandae usurpationis auctores fautoresque audacter insolenterque in nefario suo proposito persistere ac progredi, tamquam certo confidentes neminem sibi reapse adversari.

Haec autem perversitas eo devenit, ut hostilibus Subalpini exercitus copiis ad moenia fere huius almae Nostrae urbis immissis, quaecumque fuerit implicata communicatio, publicae privataeque rationes in discrimen adductae, commeatus intercepti, et, quod gravissimum est, Summus totius Ecclesiae Pontifex in molestam redactus difficultatem Ecclesiae ipsius negotiis, prout res postulat, consulendi, propterea quod maxime coarctetur via cum variis orbis partibus communicandi. Quamobrem in tantis Nostris angustiis, tantoque rerum discrimine, vel facile intelligitis, Venerabiles Fratres, Nos tristi necessitate eo iam ferme impelli, ut vel inviti cogitare debeamus de opportuno suscipiendo consilio ad Nostram dignitatem tuendam.

Interim abstinere non possumus, quin praeter alia deploremus funestum ac perniciosum principium, quod vocant de *non Interventu*, a quibusdam Guberniis haud ita pridem, ceteris tolerantibus, proclamatum, et adhibitum etiam cum de iniusta alicuius Gubernii contra aliud aggressione agatur: ita ut quaedam veluti impunitas ac licentia impetendi ac diripiendi aliena iura, proprietates, ac ditiones ipsas contra divinas humanasque leges sanciri videatur; quemadmodum luctuosa hac tempestate cer-

nimus evenire. Et mirandum profecto, quod uni Subalpino Gubernio impune liceat eiusmodi principium despicere ac violare, cum videamus ipsum hostilibus suis copiis, universa Europa inspectante, in alienas ditiones irrumpere, legitimosque ex illis Principes exturbare : ex quo perniciosa consequitur absurditas, alienum nempe interventum dumtaxat admitti ad rebellionem suscitandam atque fovendam.

Hinc autem opportuna Nobis oritur occasio excitandi omnes Europae Principes, ut pro spectata ipsorum consilii gravitate et sapientia serio perpendant quae quantaque mala in detestabili, quem lamentamur, eventu cumulentur. Agitur enim de immani violatione, quae contra universale gentium ius nequiter est patrata, quaeque nisi omnino coerceatur, nulla deinceps legitimi cuiusque iuris firmitas ac securitas poterit consistere. Agitur de rebellionis principio, cui Subalpinum Gubernium turpiter inservit, et ex quo pronum est intelligere, quantum cuicumque Gubernio discrimen in dies comparetur, et quanta in universam civilem societatem redundet pernicies, cum ita fatali *Communismo* aditus aperiatur. Agitur de violatis solemnibus Conventionibus, quae, uti aliorum in Europa Principatuum, ita etiam civilis Pontificiae Ditionis integritatem sartam tectamque servari omnino postulant. Agitur de violenta direptione illius principatus, qui singulari divinae providentiae consilio Romano Pontifici datus est ad Apostolicum suum Ministerium in universam Ecclesiam plenissima libertate exercendum. Quae profecto libertas summae omnibus Principibus

curae esse debet, ut Pontifex ipse nullius civilis potestatis impulsui subiaceat, atque ita spirituali pariter catholicorum in eorumdem Principum dominiis degentium tranquillitati cautum sit.

Itaque omnibus Supremis Principibus persuasum esse debet, Nostram cum Ipsorum causa plane esse coniunctam, eosque suum Nobis auxilium afferentes Nostrorum aeque ac suorum iurium incolumitati esse prospecturos. Maxima proinde cum fiducia ipsos hortamur et obsecramus, ut opem Nobis, pro sua quisque conditione et opportunitate, velint impendere. Non dubitamus autem, quin catholici praesertim Principes ac Populi omnem eorum curam et operam studiosissime conferant, ut pro communi eorum officio universi Dominici Gregis Patrem, et Pastorem parricidialibus degeneris filii armis oppugnatum modis omnibus adiuvare, tueri, et defendere properent atque festinent.

Cum autem apprime sciatis, Venerabiles Fratres, omnem spem Nostram in Deo esse collocandam; qui adiutor et refugium est nostrum in tribulationibus nostris, quique vulnerat et medetur, percutit et sanat, mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit; iccirco in omni fide, et humilitate cordis nostri assiduas ferventissimasque ad Ipsum, adhibito in primis efficacissimo Immaculatae Sanctissimaeque Deiparae Virginis Mariae patrocinio, ac suffragio Beatorum Petri et Pauli, preces effundere non intermittamus, ut faciens potentiam in brachio suo inimicorum suorum superbiam elidat, et expugnet impugnantes nos, omnesque Ecclesiae

suae sanctae hostes humiliet et conterat; atque omnipotenti suae gratiae virtute efficiat, ut omnium praevaricantium corda resipiscant, deque optatissima illorum conversione sancta mater Ecclesia quam primum laetetur.

PIUS PAPA NONUS

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Cum sicut accepimus in hac Urbe Nostra pia utriusque sexus Christifidelium Sodalitas sub titulo S. Petri Apostolorum Principis, nuper erecta sit, quae id habet propositum ut precibus et operibus, hoc praesertim difficillimo tempore Apostolicam Sedem adjuvare satagat; Nos ut Sodalitas hujusmodi majora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei Misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus Auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam Sodalitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, Plenariam, nec non iisdem nunc et pro tempore existentibus dictae Sodalitatis Confratribus et Consororibus, etiam vere poenitentibus et confessis, ac Sacra Communione refectis, qui quamlibet Ecclesiam publicam tribus diebus festis, nempe Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum, item Cathedrae S. Petri Apostoli qua primum Romae sedit, ac tandem S. Petri ad Vincula a primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi, singulis annis, devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino conce-

dimus. Insuper omnibus utriusque sexus Christifidelibus dictae Sodalitati adscriptis, qui quolibet die corde saltem contrito Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, ac Trisagium, nec non Symbolum Apostolorum devote recitaverint, septem annos totidemque quadragenas ; pro quolibet vero opere, quod peregerint tercentum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus; quas omnes et singulas Indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam Animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum Suffragii applicari posse etiam in Domino impertimur. In contrarium facien. non obstant. quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscrptis , et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXXI Octobris MDCCCLX. Pontificatus Nostri anno XV.

Loco Sigilli.

G. Card. De Genga

PIUS PAPA NONUS

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Cum sicut accepimus in hac Urbe Nostra pia utriusque sexus Christifidelium Sodalitas sub titulo S. Petri Apostolorum Principis, nuper erecta sit, quae id habet propositum ut precibus et operibus, hoc praesertim difficillimo tempore Apostolicam Sedem adjuvare satagat; Nos ut Sodalitas hujusmodi majora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei Misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus Auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam Sodalitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, Plenariam, nec non iisdem nunc et pro tempore existentibus dictae Sodalitatis Confratribus et Consororibus, etiam vere poenitentibus et confessis, ac Sacra Communione refectis, qui quamlibet Ecclesiam publicam tribus diebus festis, nempe Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum, item Cathedrae S. Petri Apostoli qua primum Romae sedit, ac tandem S. Petri ad Vincula a primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi, singulis annis, devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino conce-

dimus. Insuper omnibus utriusque sexus Christifidelibus dictae Sodalitati adscriptis, qui quolibet die corde saltem contrito Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, ac Trisagium, nec non Symbolum Apostolorum devote recitaverint, septem annos totidemque quadragenas ; pro quolibet vero opere, quod peregerint tercentum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus; quas omnes et singulas Indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam Animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum Suffragii applicari posse etiam in Domino impertimur. In contrarium facien. non obstant. quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscrptis , et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXXI Octobris MDCCCLX. Pontificatus Nostri anno XV.

Loco Sigilli.

G. Card. De Genga

PIUS PAPA NONUS

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quae ad fovendum Religionis studium, atque, erga hanc Apostolicam Sedem pietatem ac fidem excitandam conducere videantur, ea impertiri libenti animo solemus. Jam vero nuper in Alma Urbe Nostra pia utriusque sexus Sodalitas erecta est sub titulo ac patrocinio S. Petri Apostolorum Principis, quae id habet propositum ut Sanctam Sedem hoc praesertim difficillimo tempore, tum precibus tum operibus, adjutandam curet, ejusdemque piae Sodalitatis nomine preces Nobis sunt exhibitae, ut illam in primariam Sodalitatem, sive in Archisodalitatem erigen velimus cum facultatibus ejusdem finis atque instituti Sodalitates ubique existentes aggregandi, eisdemque Indulgentias quibus ex concessione Apostolica ipsa gaudeat, communicandi. Nos igitur sperantes ex eadem Sodalitate uberes pietatis fructus in bonum Religionis fore percipiendos, porrectis hujusmodi precibus adnuendum existimavimus. Itaque hisce Litteris Auctoritate Nostra Apostolica memoratam utriusque sexus Sodalitatem, sub titulo ac patrocinio B. Petri Apostolorum Principis in Urbe erectam in Archisodalitatem erigimus et instituimus, ejusdemque Sodalitatis in Archisodalitatem sic erectae primoribus, seu officialibus facultatem elargimur alias ejusdem Instituti Sodalitates ubicumque, de consensu tamen Ordinariorum, existentes sibi aggregandi, eisque omnes et singulas

Indulgentias, poenarumque relaxationes, tam plenarias quam partiales, quibus ipsa directe ab hac Apostolica Sede ditata sit, communicandi. Hoc concedimus atque indulgemus contrariis speciali licet, atque individua mentione dignis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IV Novembris anno MDCCCLX. Pontificatus Nostri anno XV.

Loco Sigilli.

G. Card. De Genga

STATUTO

DELL'ARCHICONFRATERNITA DI S. PIETRO APOSTOLO ERETTA IN ROMA

I tempi che corrono sono così calamitosi che di giorno in giorno va crescendo sempre più la guerra accanita mossa dai tristi alla chiesa , e molti son quelli che avversano disgraziatamente la religione e le opere sante da essa prescritte.

Per contraporre un argine salutare al torrente devastatore , e per raffermare vieppiù il gran numero dei buoni nei loro pietosi intendimcnti, il S. Padre con i Brevi del 31 ottobre e 4 novembre 1860 degnossi di erigere in Archiconfraternita sotto il patrocinio e titolo di S. Pietro una Pia Società il cui fine principale è di attendere alla preghiera ed al disimpegno di opere di carità cristiana, giacchè *in hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* ».

La preghiera poi deve nel caso avere per fine il domandare dal Signore, che infonda ognor più a' suoi Ministri la forza occorrente ed i lumi necessari non solo per combattere lo spirito d' incredulità e d'indifferentismo, ma anche per istruire i popoli a mezzo della parola e dell' esempio. Con la preghiera inoltre devesi invocare che la fede si estenda là ove non esiste, e fiorisca e si consolidi là dove i cuori non ne comprendono le sublimi bellezze o ne disprezzano le massime. Con essa infine

deve implorarsi che Iddio protegga la S. Sede centro della fede cattolica, e che co' supremi consigli e con la destra onnipotente sostenga il suo Vicario qui in terra, affinchè con pazienza e con vigore possa egli camminar sicuro fra le onde burrascose, da cui ora più che mai è agitata e percossa la mistica nave di Pietro.

Fra le opere poi di carità non deve certamente trasandarsi quella che mira a render libera la Chiesa ed indipendente il suo Capo, cui la perversità degli uomini tolse la quasi totalità del dominio temporale, affine di rendergli più difficile il governare come conviensi il gregge di Gesù Cristo. Egli è perciò che a raggiungere quest' altro scopo, tutti coloro i quali vorranno formar parte della Pia Unione non ometteranno al certo, per quanto è ad essi permesso dalla rispettiva condizione sociale ed in quella misura che a ciascuno suggerisce la propria pietà, di seguire l'esempio di quella numerosa schiera di generosi fedeli, che, convinti della verità suindicata, si affrettarono a sovvenire il loro Padre comune.

E affinchè l' Arciconfraternita sunnominata abbia norme stabili e fisse si è redatto il seguente Statuto.

TITOLO I.

Dei doveri dell'Arciconfraternita.

I. Le preghiere, cui Sua Santità il regnante Sommo Pontefice, co' Brevi summenzionati annetteva le indulgenze in essi specificate, sono la recita di un *Pater*, *Ave*, *Gloria* e *Credo* ogni giorno, con

che si ottengono sette anni ed altrettante quarantene d'indulgenza, purchè si recitino con cuore contrito, e divotamente; Indulgenza Plenaria è concessa a tutti gli ascritti alla Società in ciascuno dei tre giorni della Cattedra di S. Pietro in Roma (18 gennaio), di S. Pietro e S. Paolo (29 giugno), e di S. Pietro ad vincula (1 agosto), purchè in detti giorni i fedeli ascritti alla Società confessati e comunicati, visitino divotamente qualche pubblica chiesa dai primi vesperi precedenti alla festa stessa, pregando secondo la intenzione del S. Padre, espressa nel Breve, cioè per la concordia de' Principi Cristiani, la estirpazione dell'eresie, e la esaltazione di Santa Chiesa. Per ogni opera buona diretta al fine della Società stessa il Santo Padre accorda 300 giorni d'Indulgenza.

2. Tutte queste Indulgenze sono applicabili per modo di suffragio anche ai defonti.

3. Alla Società può essere ascritto qualunque fedele d'ambo i sessi senza distinzione di classi; esso è pur libero di ritirarsi qualunque volta il voglia, nulla essendovi di obbligatorio in questa Società.

4. Alle suespresse opere di pietà non andrà disgiunta l'altra pia opera di sopperire ai bisogni straordinarii della S. Sede per via di oblazioni mensili, in quella misura, che a ciascuno degli offerenti inspirerà la propria divozione. L' Arciconfraternita avrà cura di deputare nelle rispettive Parrocchie i Raccoglitori di siffatte pie oblazioni, delle quali si terrà conto in apposito registro, sicchè possano annualmente farsi note al pubblico le somme che saranno per risultare, con quelle ulteriori indicazioni

che si ravvisassero opportune. Tra le pie offerte verranno equivalentemente ammessi i doni in oggetti, che a taluno degli offerenti piacesse di preferire alle elemosine pecuniarie.

5. Ogni fedele per essere ascritto alla Società deve manifestarne il desiderio in Roma ad alcuno dei Raccoglitori delle Parrocchie, o ad alcuno dei Membri del Consiglio che dirige l'Arciconfraternita. I Raccoglitori e i Membri del Consiglio dovranno di mese in mese nella riunione generale presentare l'elenco dei nuovi Ascritti col loro domicilio ed oblazioni.

6. Se qualcheduno fuori di Roma volesse in via di eccezione direttamente ascriversi all'Archiconfraternita Romana, il Consiglio potrà ammetterlo

È permesso ad ogni oblatore occultare il suo nome nella stampa o in qualunque altra pubblicazione. È necessario però che prenda un breve motto, o un pseudonimo dopo il quale sia indicata la sua offerta.

7. Oltre la preghiera e l'offerta sarà assai commendevole che gli Ascritti, i quali son versati nello scrivere, seguendo l'esempio di tanti illustri scrittori, procurino sostenere i diritti della S. Sede. I padri di famiglia faranno gran bene nello inspirare ai loro figli speciale devozione, rispetto ed attaccamento alla medesima S. Sede.

TITOLO II.

Del Governo dell'Arciconfraternita.

1. La Società è sotto l'autorità e direzione dell'Eminentissimo Sig. Cardinal Vicario.

2. La Società medesima è diretta da un Consiglio composto d'un Presidente, Vice-Presidente, e otto Consiglieri. Il Consiglio è assistito da un Segretario e Vice-Segretario. Il Consiglio ripartisce tra i suoi membri gli affari che riguardano la Società.

3. Il Presidente e gli altri Officiali e Consiglieri dureranno nel loro officio per un triennio; e perciò gli attuali rimarranno per un triennio nel loro officio. Dove alcuno di loro voglia ritirarsi dovrà significarlo al Consiglio, ed aspettare di essere surrogato dal Consiglio stesso fino al compimento del triennio.

4. Il Consiglio si adunerà quand'occorre, ma non meno di una volta al mese. Lo convoca e vi presiede il Presidente; in sua mancanza od impedimento il Vice-Presidente.

Tutti gli affari, tranne quelli che non soffrissero ritardo, sono discussi e decisi dal Consiglio a maggioranza di voti. I voti saranno sempre pubblici e verbali fuorchè se si tratti di nomina o sostituzione a qualche officio. Il Presidente ha doppio voto in caso di parità.

6. Tutti gli atti sono sottoscritti dal Presidente e dal Segretario.

7. Saranno ammesse al Consiglio probe e specchiate persone da potersi scegliere tanto tra gli Ec-

clesiastici, che tra i laici; e le cariche di Presidente, Vice-Presidente e Tesoriere potranno sempre essere conferite ai laici, se così piacerà agli elettori.

8. L'Adunanza composta del Presidente, degli altri Officiali, dei Consiglieri, e di 12 Raccoglitori i più anziani per ammissione nell'Arciconfraternita allo scadere del triennio delle cariche, procederà alle nuove elezioni per voti segreti. Gli eletti saran quelli che avranno la maggioranza assoluta dei suffragii. Il Presidente, Vice-Presidente, Tesoriere generale e Segretario generale dovranno esser confermati dall'Eminentissimo Cardinal Vicario.

9. In ogni Parrocchia di Roma si costituiranno uno o più Raccoglitori che terranno due libri, uno delle offerte, l' altro dei confratelli e consorelle iscritte, indicando in quest'ultimo il denaro mensile che si propongono offerire e i pagamenti eseguiti.

10. I membri del Consiglio sono di pieno diritto anche Raccoglitori.

11. È proibita rigorosamente ogni questua a domicilio ed anche ogni insistente domanda fattasi in qualsiasi modo. Il Raccoglitore che se ne rendesse colpevole potrà anche esser privato del suo officio.

12. Non si rifiutano offerte da Corpi morali, ma si preferiscono di gran lunga le offerte individuali e nominali, essendo che il merito dell'offerente sta non solo nel dare, ma nel nominarsi, attestando esso con ciò apertamente e pubblicamente la sua divozione alla S. Causa del Pontificato.

13. I Raccoglitori ad ogni richiesta rilasceranno ricevuta del denaro consegnato, indicandone lo scopo.

14. Ogni mese il Presidente nel giorno fissato di

accordo col Consiglio convoca, presiede e dirige l'adunanza dei Raccoglitori, nella quale ognuno di loro rende conto delle somme introitate, che nei giorni immediatamente susseguenti deposita verso ricevuta nelle mani del Tesoriere.

15. Le somme sono rimesse al Tesoro Pontificio, e la fede di deposito di questo è consegnata al Sommo Pontefice di mese in mese da una Deputazione composta sempre del Tesoriere generale e alternativamente del Presidente e Vice-Presidente, quindi d'un Consigliere per turno e di due Raccoglitori estratti a sorte.

16. Dove, come speriamo, Dio accordi incremento e protezione a questa Arciconfraternita, ogni anno possibilmente nel mese di giugno in prossimità alla Festa de' gloriosi Apostoli SS. Pietro e Paolo, si terrà una solenne pubblica adunanza nella quale si farà conoscere il preciso stato delle oblazioni raccolte, e di quanto concerne la pia Società.

17. Ogni adunanza sia del Consiglio, sia generale sarà aperta e chiusa colle preghiere stabilite.

18. Nessuna pubblicazione può farsi intorno alle cose della Società se non col consenso del Consiglio.

19. Sebbene gli atti di pietà non sia mestieri farli in comune per ottener le Indulgenze, pure sarà libero al Presidente di proporre al Consiglio quelle funzioni od adunanze religiose, od altri atti di pietà, che secondo le circostanze esso credesse di fare in comune, quante volte vi concorra il permesso dell'Ordinario.

TITOLO III.

sulle aggregazioni.

1. Questa Arciconfraternita ha il privilegio di aggregare le altre Confraternite aventi lo stesso scopo; secondo il Breve Apostolico del 4 novembre 1860.

2. I fedeli fuori di Roma che desiderassero ascriversi all'Arciconfraternita possono formare col permesso e sotto la direzione e giurisdizione de' loro Ordinarii in ogni diocesi di tutt' il mondo una Confraternita o Pia Unione tendenti allo scopo stesso sotto il titolo di S. Pietro. È in piena libertà degli Ordinarii dare qualunque ordine e forma alle loro Confraternite, ma per un utile uniformità è desiderabile, che si conformino alla nostra Romana che l'aggregherà a sè, rendendole con ciò stesso partecipi di tutti i suoi beni spirituali, secondo il privilegio contenuto nel Breve del dì 4 Novembre 1860, ma lasciandole in tutto la propria direzione e governo, salva l'autorità dell'Ordinario a forma dei Sacri Canoni e delle Costituzioni Apostoliche.

DECRETUM

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum S.R.E. cardinalium Negociis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, suprascripta Statuta Archisodalitatis sub titulo, et patrocinio S. Petri Apostolorum Principis in hac Alma Urbe erectae, praesentis Decreti tenore approbat, atque confirmat.

Datum Romae ex Secreteria Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium sub die 19. *Aprilis* 1861.

N. Card. Paracciani Clarelli Praef.

A. Archiepiscopus Philippen. Secretarius.

L. S.

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Arbiter, ac moderator rerum omnium Deus fortiter suaviterque disponens omnia non sine mirabili Providentiae suae effecit consilio, ut Apostolica Sedes civili potiretur ditione; nimirum ut qui in eadem Sede consisterent Beatissimi Petri Apostolorum Principis Successores, quique universam moderari Ecclesiam pro suo officio ac munere deberent, et fidei morumque praecepta ex illa tamquam religionis arce cunctis late gentibus promulgare nulli subessent civili imperio, ac divini sui ministerii partes in hominum salutem liberrime expediteque exequerentur. Id probe intelligentes callidissimi hostes Catholici nominis civilem Sanctae Sedis principatum tum perfidiosis artibus, tum aperta etiam vi oppugnare instituerunt, eo scilicet animo, ut faciliorem sibi viam sternerent ad catholicam religionem funditus, si fieri possit, evertendam. Quae ubi primum patefacta sunt nefaria consilia, incredibile quoddam ad tuenda Sanctae Sedis jura omnium quaquaversus Catholicorum studium exarsit; neque enim inferioris tantum conditionis homines, sed nobilissimi etiam generis viri spretis omnibus sive incommodis, sive periculis laeti alacresque undique advolarunt militiae Nostrae nomen daturi, ut a Pontificiae ditionis finibus hostilem aggressionem, furoremque propulsarent. Noster porro brevi tempore a clarissimi nominis duce com-

paratus exercitus licet numero exiguus, sic tamen erat animo ad officium suum tuendum paratissimus, ut ipse subalpinus hostis, qui longe superiori pollens copiarum numero provinciis Nostris imminebat, easdemque propositam veluti praedam avidissime inhiabat, rem sibi minime putaret bene ac feliciter successuram, nisi contra jus, fasque qualibet belli denunciatione praetermissa provincias ipsas subita incursione adoriretur. Atqui in repentino illo ingruentium turmarum impetu luculenter probarunt catholici milites, quid in hominum animis vera fides ac religio possit; commisso namque certamine sic animose ac fortiter dimicarunt, ut cruentam plane reliquerint hosti victoriam, et potius obruti multitudine dicendi sint, quam virtute, et pugnandi gloria superati. Quod quidem illustre facinus, ut ad omnem posteritatem propagetur aereum numisma argento obductum cudi mandavimus, quod in adversa parte in memoriam Martyrii Apostolorum principis Crucem inversam praeferat, circa quam sinuatus in orbem serpens expressus sit tamquam symbolum aeternitatis una cum inscriptione - *Pro Petri Sede Pio IX Pont. Max., Anno XV.* - in aversa autem parte inscripta haec verba exhibeat - *Victoria quae vincit mundum fides nostra.* - Jamvero Nostris ut militibus probatae fidelitatis praemium tribuamus eisdem concedimus, ut memoratum numisma aereum argento obductum sinistro pectoris latere gestare queant, quod taenia serica coloribus albo, flavo, rubroque distincta appensum sit. Qui vero eosdem inter milites in tuendis Sanctae Sedis juribus singulari virtute praestiterint facultatem ipsis impertimur, ut

ejusdem formae numisma auro tamen affabre cusum, et encausto variatum sinistro item pectoris latere, ac taenia serica iisdem distincta coloribus appensum deferre possint. Nunc vero ad illorum omnium virtutem solemni praeconio honestandam, qui Nostrum et Romanae Ecclesiae civilem principatum ab injusta aggressione armis tutati sunt, eorumque praesertim qui strenue pugnantes gloriosa morte occubuerunt, praeclare ipsos de Apostolica Sede deque Ecclesia Catholica, praeclare de societate hominum universa, quae sine juris fideique observantia stare nequit, palam edicimus meruisse; in quo quidem verus honor vera et propria certandi laus immortalitate digna continetur. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Novembris MDCCCLX. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

G. Card. De Genga

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XVII DECEMBRIS MDCCCLX.

VENERABILES FRATRES

Multis gravibusque vel ab ipso sui exordio iactata procellis Ecclesia miserrima hac nostra aetate tot tantisque hostium aggressionibus petita est, ut conceptum iampridem ab ipsis odium omnisque furoris maturitas in Nostri Pontificatus tempus erupisse videatur. Neque vero persequamur singula necesse est, venerabiles Fratres, quae haud ita longo annorum intervallo acerba et gravia contigerunt, quorum memoria Nostrum aeque Vestrumque animum non levi moerore perfundat. Illud vero dissimulare non possumus, pro arcano Dei iudicio nullum adhuc fuisse impositum tam multis calamitatibus modum; novas quippe dolemus ingruere tum ex fautoribus perversae doctrinae, quae a funestissimae Reformationis principiis orta publici veluti iuris robur alicubi obtinuit, tum ex impiorum hominum pravitate qui Catholicae Ecclesiae se filios praedicant, appellandi vero sunt filii tenebrarum, tum denique ex ethnicorum furore qui per Orientis regiones in caedem exitiumque fidelium vehementius efferbuit.

Et sane maxime est deplorandum, in quampluribus Europae partibus de Ecclesiae potestate ac iuribus perniciosissimos errores invaluisse: hinc adhibitum assidue studium ad vim omnem abiudicandam

initis cum Apostolica Sede de re sacra conventionibus, hinc omnis impensa cura, ut ne conventiones aliae contrahantur in posterum ad componenda Ecclesiae negotia, utque iis componendis moderandisque civilis dumtaxat accedat auctoritas. Quod quidem non sine gravi animi Nostri molestia experti nuper sumus, Venerabiles Fratres. Pro Apostolici enim muneris officio ad relevandas in Magno Badarum Ducatu Catholicae Ecclesiae res, et extinguenda illic exorta cum civili potestate dissidia, superiore, ut scitis, anno cum Celsissimo illo Duce conventionem inivimus quae quum rata fuisset habita, et vero etiam in vulgus emissa, eiusdem executionem, ut par erat, praestolabamur. Verumtamen, refragante huic rei publico illius Ditionis Consilio, a Magno Duce decretum fuit editum, quo conventioni vis omnis adimitur, in eiusque locum rogata lex est Ecclesiae libertati vel maxime adversa. Id porro ex falsa protestantium doctrina derivatum intelligimus, qui autumant Ecclesiam in civili Imperio quoddam veluti Collegium existere, nullisque proinde pollere iuribus, praeter ea quae concessa illi sint atque attributa a civili potestate. Id autem quantopere abhorreat a veritate ecquis non intelligat? Ecclesia namque ut vera et perfecta societas a divino auctore suo fuit instituta, quae nullis circumscripta regionum finibus, nulli etiam civili subdatur imperio, suamque potestatem ac iura ubique terrarum in hominum salutem libere exerceat. Nec sane aliter indicant solemnia illa Christi Domini ad Apostolos verba: « Data est mihi omnis pote-
» stas in caelo et in terra, ite docete omnes gen-
» tes..... docentes eas servare omnia quaecumque

» mandavi vobis ». Quibus excitati vocibus Evangelii praecones Apostoli, repugnantibus et regibus et principibus, nullisque seu minis seu suppliciis deterriti demandatum sibi ministerium alacriter sunt executi. Nos itaque de salutaribus Ecclesiae iuribus tutandis vehementer solliciti, vix dum cogitari atque agi audivimus de eadem conventione infirmanda Nostras continuo Magno Duci dedimus litteras ad malum hoc avertendum, atque adeo per Cardinalem publicis negotiis praepositum apud Gubernium illud instandum curavimus, ut debitae executioni conventio mandaretur. Sed enim quum impensa omnia studia curaeque in irritum cesserint, quod Nostri officii est, abrogatam contra omnes iustitiae regulas sine alterius partis consensu solemnem conventionem Vestro in coetu, Venerabiles Fratres, palam conquerimur, et Catholicae Ecclesiae Sanctaeque Sedis iura violata pessumdata vehementiori quo possumus studio reclamamus. Quae Nostrae expostulationes ut ad Badense Gubernium transmittantur mandavimus, simulque declaretur Archiepiscopo Friburgensi agendi ratio tantis in difficultatibus adhibenda; cuius praeclari Antistitis eiusque etiam Cleri commendare satis non possumus in Ecclesiae libertate tuenda constantiam, a qua nunquam ipsos vel in summo rerum discrimine discessuros plane confidimus.

Iam vero quum ob turbatas iterum in Magno Badarum Ducatu sacras res, expositamque illic novis iactationibus Ecclesiam doleremus, alia Nobis accessit molestiae causa ex nequissimo libello nuper Parisiis edito, in quem tam multa prorsus a veritate aliena, tam multa etiam absurda atque inter se pugnantia

auctor congessit, ut respuendus potius atque aspernandus, quam refutandus videatur. Illud tamen non est ferendum, quod eo audaciae atque impietatis devenerit, ut posteaquam sacrum civilemque Ecclesiae Romanae principatum impetere non sit veritus, peculiarem quamdam novique generis sibi fingat Ecclesiam in Galliarum Imperio ex illius sententia excitandam, quae ab auctoritate Romani Pontificis subducta sit planeque divisa. Id porro quid est aliud quam distrahere ac proscindere Catholicae Ecclesiae unitatem? De qua quidem necessaria unitate ita Christus Dominus ad Patrem : « Non pro eis rogo tantum, » sed pro eis etiam, qui credituri sunt per verbum » eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater » in me es et ego in te ». Atqui huius unitatis vis et ratio omnino postulat, ut tamquam membra cum capite, sic universi per orbem fideles cum Romano Pontifice, qui Christi in terris Vicarius est, coniungantur et coalescant. Quamobrem ad Praedecessorem Nostrum sanctae memoriae Damasum scribebat Ecclesiae doctor Hieronymus « Beatitudini tuae hoc est Petri Cathedrae communione consocior, supra illam » Petram aedificatam Ecclesiam scio, quicumque ex- » tra hanc domum agnum comederit profanus est ». Quantam vero memorati libelli auctor infert iniuriam perillustri Galliarum genti, utpote quam Catholicae unitatis retinentissimam schismaticis putat erroribus posse implicari ! Quanta illius temeritas est, quod ab obsequio ac fide erga Apostolicam Sedem abstrahendum fore confidat Clerum illum et spectatissimos praesertim Antistites, qui praedecessores inter suos Irenaeum recenseant Lugdunensis Ecclesiae Pasto-

rem praeclara ista scribentem « Ad Romanam Eccle-
» siam propter potiorem principalitatem necesse est
» omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt
» undique fideles »: qui nullo fracti metu, nullo retardati periculo, tum voce tum scriptis Nostra Sanctaeque Sedis iura vindicare certaverint, Nobisque exhibere nunquam intermiserint certissima devotionis argumenta! Quorum Nos, aliorumque per orbem Antistitum dum meritis ornamus praeconiis pastoralem curam, vigilantiam, firmitatem, ipsos licet sponte sua incensos erectosque ad Catholicae fidei defensionem, hortari tamen atque excitare pro hac temporum iniquitate non praetermittimus, ut quo validiores quotidie hostiles impetus fiant, eo firmiori animo sustinendos ac frangendos curent, atque adeo commissos suae curae fideles de fallaciis insidiisque admonere non desinant, quibus avellere ipsos a Matris Ecclesiae gremio vaferrimi homines connitantur. Iam vero ex damnando illo libello quaenam tandem sint auctoris et ceterorum omnium consilia, qui civilem Sanctae Sedi principatum extorquere conantur, detracta veluti larva manifeste deprehendimus. Scilicet nihil aliud intendunt ac moliuntur, quam ut sanctissimae Religionis fundamenta subvertant. Id sane per provincias a civili Nostra dominatione iniuste subreptas, id per reliquas Italiae regiones perfidissimis quibusque artibus studiose curari et videmus et ingemiscimus. Huc spectant disseminatae quaquaversus perversae sacrorum librorum interpretationes ad fidem corrumpendam, diffusa ad contaminandos iuventutis mores turpissimorum libellorum colluvies, invecta quocumque effraenis vivendi licentia, despecta

proculcata Ecclesiae potestas, sacra immunitas violata, subducta ab auctoritate et vigilantia Episcoporum publica iuventutis institutio, omnisque doctrinae morumque disciplina, praepositi docendo homines de religione prave sentientes, evulgatum in Umbria decretum de cunctis ferme religiosis familiis e claustro exturbandis, de extinguendis Collegiatis Capitulis, delendisque simplicibus cuiusvis generis Beneficiis, piisque Sodalitiis eorumque bonis per summam iniuriam occupandis; huc spectant coniecti in vincula ecclesiastici viri, ipsique sacri Antistites, quos inter Venerabilis Frater Archiepiscopus Urbinas nuper septus armis in custodiam traditus, et Cardinalitia etiam dignitate fulgens Venerabilis Frater Firmanus Antistes per vim abreptus a Sede sua, alioque relegatus, et ab omni commissi gregis curatione prohibitus, ac plures etiam Antistites et Sacerdotes e Regno Neapolitano vel in carcerem missi, vel ad fugam coacti; huc spectant (nec sine acerbissimo doloris sensu memoramus) patefacta per nonnullas Italiae civitates protestantibus templa, et publicae etiam scholae institutae, ubi in perniciem Catholicae Religionis quaelibet impune tradatur doctrinae perversitas; denique promulgatum in Umbria decretum, quo matrimonium nuncupatum ab Apostolo magnum Sacramentum peculiaribus civilibus disciplinis illigatur, ac ferme subtrahitur ab Ecclesiae potestate, eo fortasse consilio ut postea civilibus dumtaxat subdatur legibus, eaque ratione, quod Deus avertat, legalis invehatur concubinatus cum extremo animarum detrimento. Atque hic, uti Apostolici Nostri muneris ratio postulat, quidquid contra Ecclesiae iura et patrimonium, contra religio-

sas personas earumque bona actum huc usque est, vel peragatur in posterum, damnamus, reprobamus, ac nullius vis et roboris, ac prorsus irritum palam edicimus. Quanta vero ubique sit rerum omnium tum publicarum tum privatarum perturbatio, quantus in Europa motus, quantis dissidiis flagret Italia ecquis non videat, ac Nobiscum non maxime doleat? Tam multa tamque gravia rei sacrae et civili inflicta vulnera considerantes exclamare cogimur cum Propheta «infecta est terra ab » habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mu» taverunt ius, dissipaverunt foedus sempiternum». Haec autem malorum congeries ab iis maxime repetenda, qui ut suam per Italiae fines ditionem extendant humana quaeque iura ac divina audacter pervertunt, qui publicae se felicitatis auctores iactant ac praedicant, quocumque tamen pervaserint, ibidem saevissimae veluti tempestates impressa relinquunt furoris excidiique vestigia. Utinam aliquando redeant insipientes ad cor, nimirum intelligant, Religione sublata, nullum humanae societati superesse praesidium tum ad stabilitatem tum ad quietem; utinam sibi aliquando persuadeant unam esse Catholicam Religionem veritatis magistram, virtutum omnium altricem, in qua civitatum, regnorum incolumitas salusque nitatur: meminerint aliquando, Apostolicam hanc Sedem nedum adversatam unquam fuisse verae ac solidae populorum felicitati, quin etiam quovis tempore de universo hominum genere fuisse egregie promeritam; per illam namque traductae ad humanitatem barbarae gentes, veraeque religionis praeceptis institutae, sedati bellorum tumultus, provectae modis omnibus bonae artes ac

disciplinae , calamitosis aegrisque recreandis publica charitatis excitata domicilia, asserta promulgata et principibus et populis vel in maximis perturbationibus iustitiae atque honestatis principia. Haec atque alia quamplura per Apostolicam Sedem in bonum humanae societatis provide sapienterque peracta, multis eximiisque testata monumentis, ad omnis praedicationem temporis celebrabit historia.

Sed iam paternum animum Nostrum ad se revocat plurimis afflicta malis per Orientem Ecclesia, quae tamen cruentis martyrum palmis nobilitari ornarique non desinit. Loquimur nempe, Venerabiles Fratres, de regno Choreae, de Sinensium Imperio regnisque finitimis, ubi neque atrocissimis cruciatibus nec dirissimo quovis mortis genere debilitata aut victa est Christianorum in fide constantia : loquimur de Conchinchinae, ac Tonchini regionibus, in quibus ad extinctionem prorsus christiani nominis acerbissime recruduit ethnicorum immanitas. Quid enim memorabimus collegia, coenobia, templa, publicas privatasque aedes vel solo eversas, vel flammis absumptas? Quid Christifideles referemus cuiusque aetatis, conditionis , ordinis partim saevissime exagitatos, nudatosque rebus omnibus hac illac errantes vitam trahere coactos quovis supplicio acerbiorem, partim in carcerem detrusos, omnique tormentorum genere excruciatos ? qui tamen in ferendis pro Christo suppliciis ac morte obeunda veterum Ecclesiae Martyrum fortitudinem retulerunt. Neque minus Nos tangit ac movet miserrima Christianorum per Syriam conditio, qui licet a crudelissimae caedis perpessione quieverint, assiduo turbantur metu nè

compressus tantisper militaribus Europae copiis infidelium impetus in rapinas iterum caedesque furentius erumpat. Illorum Nos relevandis infortuniis, sin minus paternis desideriis parem, aliquam tamen pro angustis Nostris rebus pecuniae partem transmittendam curavimus, quam offerre Nobis nunquam intermisit pia Catholicarum gentium liberalitas. Quarum etiam non sine laude commemoratum volumus egregium charitatis exemplum in recreandis subsidiorum largitate afflictis per Syriam fidelibus; atque adeo maximopere laetamur, nunquam languescere in Ecclesia virtutem illam, quam divinus Reparator praecipuum esse signum voluit Christianae Religionis.

Hic, quem hactenus exposuimus, sacrarum rerum publicarum status, deplorandus quidem ac luctuosus, Nos vehementer angit atque perturbat, et gravi etiam moerore complet, Venerabiles Fratres; Vosque in partem vocatos procurationis Nostrae, in partem etiam doloris venire non dubitamus. Sed tamen non concidamus animo, atque iteratis quotidie precibus levemus oculos nostros in montem, unde in tantis rerum asperitatibus opportunum expectemus auxilium. Aderit Ecclesiae suae Deus, aderit humilitati Nostrae, Eiusque Nos virtute roboratos ab officio et constantia Apostolici Ministerii nullus plane periculi metus, nulla deterrebit adversitas. Innocens christianorum sanguis, quo perfusa Orientalis terra est, in odorem suavitatis ascendat ad Dominum, illoque salutari velut sacrificio placatus gravissimas, quibus premimur, quaeque impendent, calamitates propitius avertat; atque accedente Sanctissimae Genitricis Dei

ab origine immaculatae patrocinio, et beatissimis Apostolis Petro et Paulo suffragantibus, concedat Ecclesiae suae de acerbissimis inimicis referre victoriam. Exsurgat aliquando in iudicium Deus, hostesque sui nominis Religionis excidium anhelantes, multa et nefaria in Ecclesiam molientes in fortitudine brachii sui disperdat et conterat, vel, quod potius et optamus et poscimus, divinae gratiae lumine collustratos in viam iustitiae et veritatis dives in misericordia clementissime traducat.

VENERABILIBVS FRATRIBVS
ALEXIO ARCHIEPISCOPO CAMBERIENSI, EJVSQVE SVFFRAGANEIS,
ET PETRO EPISCOPO NICIENSI

PIVS PAPA IX.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. Universi Dominici gregis cura Nobis ab ipso Christo Domino divinitus commissa postulat, ut pro variis temporum vicibus, ea suscipiamus consilia quae ad animarum salutem, reique sacrae procurationem magis conducere videntur. Optime noscitis, Venerabiles Fratres, quomodo istae tum Sabaudiae, tum Nicaeae provinciae Gallico Imperio fuerint adjunctae, neque ignoratis quibus enixis iteratisque precibus serenissimus ac potentissimus Gallorum Imperator Napoleo III a Nobis efflagitaverit, ut ad ipsas provincias extendere velimus Conventionem, quae a felicis recordationis Pio VII Decessore Nostro cum Gallicano Gubernio die decimaquinta mensis Iulii anno millesimo octingentesimo primo fuit inita. Nos itaque de Ecclesiae prosperitate vestraque tranquillitate, atque spirituali istorum populorum bono vel maxime solliciti prae oculis habentes illud S. Leonis Magni Praedecessoris Nostri monitum; *Sicut quaedam sunt, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum*

oporteat temperari (1), rebus omnibus maturo examine perpensis eiusdem Imperatoris votis obsecundandum esse censuimus. Quapropter hisce Litteris Auctoritate Nostra Apostolica commemoratam Conventionem a recolendae memoriae Pio VII Decessore Nostro cum Gallicano Gubernio die decimaquinta mensis Iulii anno millesimo octingentesimo primo initam, et Apostolicis suis Litteris die decimo octavo Kalendas Septembris ejusdem anni millesimi octingentesimi primi sub Plumbo datis, quae incipiunt « Ecclesia Christi » confirmatam et vulgatam ad istas tum Sabaudiae, tum Nicaeae provincias Gallico Imperio adjectas extendimus, et iccirco in eisdem provinciis ea omnia, quae in praedicta Conventione sunt constituta et sancita, sedulo servanda et perficienda esse volumus et mandamus. Atque id constituimus non obstantibus etiam speciali, et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque. Hinc pro vestra sapientia apprime intelligitis, Venerabiles Fratres, vestram in posterum agendi rationem plane esse conformandam ad normam memoratae Pii VII Conventionis, et Vos omnino liberos ac solutos esse ab iis obligationibus, quibus antea ob Conventiones ab hac Sancta Sede cum Sardiniae Rege initas eratis obstricti. Optime etiam noscitis, a Vobis executioni esse mandanda illa dumtaxat, quae in praedicta Pii VII Conventione sunt constituta. Quocirca veluti jam Gallico Imperiali Gubernio declarandum curavimus, in istis Sabaudiae et Nicaeae provinciis eidem Gubernio nunc

(1) Epist. 147. ad Rusticum Episc. Narbon. edit. Baller.

subjectis nullum unquam locum habere poterunt nec *Articuli organici*, contra quos haec Apostolica Sedes constanter reclamare et protestari haud omisit, nec lex de civili matrimonio, nec alia quaevis dispositio, quae catholicae Ecclesiae doctrinae, eiusque juribus quovis modo adversetur. Dum vero ea fiducia nitimur fore, ut ipsum Imperiale Gubernium in istis provinciis sibi subjectis ea exsequens, quae in memorata Pii VII Conventione sunt sancita, nihil unquam velit, quod catholicae Ecclesiae doctrinae, ejusque juribus refragetur, plane non dubitamus quin Vos, Venerabiles Fratres, pro eximia vestra religione, virtute, et episcopali zelo ipsius Ecclesiae doctrinam, et iura sedulo, prudenter, strenue constanterque tueri ac defendere contendatis. Quod vero attinet ad istarum Archiepiscopalis, et Episcopalium Sedium, atque istius Cleri rationes, sciatis velimus, ipsum serenissimum Imperatorem asseverasse, se non solum eiusdem Sedibus, et Clero congruam dotem esse attributurum, verum etiam asserturum Ecclesiae suum plenum liberumque jus, quo etiam in Gallia pollet, retinendi, acquirendi et administrandi sua temporalia bona, et possessiones. Iam vero summopere optamus, ut hoc, futurisque temporibus omnes cognoscant, Nos nulla prorsus politica civilique ratione adductos, sed ex more institutoque huius Apostolicae Sedis spectantes Ecclesiae causam, ac spiritualem istorum fidelium utilitatem, rerumque sacrarum istic procurationem constituisse, ut praedicta Pii VII Conventio in istis Sabaudiae et Nicaeae provinciis servetur omnemque vim habeat. Itaque illustribus Praedecessorum Nostrorum vestigiis, ac

praesertim recolendae memoriae Gregori XVI Constitutioni Nonis Augusti anno millesimo octingentesimo trigesimo primo editae plane inhaerentes ea omnia, quae in eadem Constitutione sunt declarata et constituta, Nos pariter declaramus, constituimus, ac integra et inviolata esse volumus et decernimus. Atque huius Constitutionis exemplar Vobis mittendum esse duximus, Venerabiles Fratres, quo facilius ante oculos habere possitis quae in eadem Constitutione sunt enunciata et sancita. Denique nihil Nobis gratius, quam hac etiam uti occasione, ut denuo testari et confirmare possimus praecipuam, qua Vos, Venerabiles Fratres, prosequimur, benevolentiam. Cujus quoque certissimum pignus esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam toto cordis affectu Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis Laicisque fidelibus cuiusque vestrum vigilantiae commissis peramanter impertimus. Datum Romae apud S. Petrum die 31 Decembris anno 1860. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XVIII MARTII MDCCCLXI.

VENERABILES FRATRES

Iamdudum cernimus, Venerabiles Fratres, quo misero sane conflictu ob invicem pugnantia inter veritatem et errorem, inter virtutem et vitium, inter lucem et tenebras principia, hac miserrima nostra praesertim aetate civilis exagitetur societas. Namque alii ex una parte tuentur quaedam modernae, uti appellant, civilitatis placita, alii ex altera iustitiae sanctissimaeque nostrae religionis iura propugnant. Ac primi postulant, ut Romanus Pontifex cum *Progressu*, cum *Liberalismo*, uti vocant, ac recenti civilitate se reconciliet et componat. Alteri vero merito efflagitant, ut immobilia et inconcussa aeternae iustitiae principia integra et inviolata custodiantur, et saluberrima divinae nostrae religionis vis omnino servetur, quae et Dei gloriam amplificat, et opportuna tot malis, quibus humanum genus affligitur, affert remedia, quaeque est unica veraque norma, qua filii hominum in hac mortali vita omni virtute instituti ad beatae aeternitatis portum perducuntur. Sed hodiernae civilitatis patroni huiusmodi discrimini haud acquiescunt, quandoquidem sese veros et sinceros religionis amicos affirmant. Ac Nos

fidem eis adhibere vellemus, nisi tristissima sane facta, quae ante omnium oculos quotidie versantur, contrarium prorsus ostenderent. Et quidem una est vera ac sancta super terram religio ab ipso Christo Domino fundata et instituta, quae virtutum omnium fecunda parens et altrix, ac vitiorum expultrix, et animorum liberatrix, veraeque felicitatis index, appellatur Catholica Apostolica Romana. Quid autem sentiendum de iis, qui extra hanc salutis arcam vivunt, iam alias declaravimus in Consistoriali Nostra Allocutione diei 9 Decembris anni millesimi octingentesimi quinquagesimi quarti, atque hic eamdem doctrinam confirmamus. Iam vero ab iis, qui pro religionis bono Nos ad hodiernae civilitati dexteram porrigendam invitant, quaerimus utrum facta talia sint, quae Christi hic in terris Vicarium ab Ipso ad caelestis suae doctrinae puritatem tuendam, atque ad agnos ovesque eadem doctrina pascendas et confirmandas divinitus constitutum possint inducere, ut sine gravissimo conscentiae piaculo, et maximo omnium scandalo se cum hodierna civilitate consociet, cuius opera tot nunquam satis deploranda eveniunt mala, tot teterrimae opiniones errores et principia promulgantur, quae catholicae religioni eiusque doctrinae omnino adversantur. Atque inter haec facta nemo ignorat quomodo vel ipsae solemnes Conventiones inter hanc Apostolicam Sedem et Regios Principes rite initae penitus destruantur, veluti nuper Neapoli accidit. Qua quidem de re in hoc amplissimo vestro consessu etiam atque etiam querimur, Venerabiles Fratres, et summopere reclamamus eo prorsus

modo, quo contra similes ausus et violationes alias protestati sumus.

Haec autem moderna civilitas dum cuique acatholico cultui favet, ipsosque infideles a publicis muneribus obeundis minime prohibet, et catholicas scholas illorum filiis recludit, irascitur adversus Religiosas Familias, adversus Instituta catholicis scholis moderandis fundata, adversus quamplurimos cuiusque gradus ecclesiasticos Viros amplissima etiam dignitate insignitos, quorum non pauci vitam in exilii incerto aut in vinculis misere agunt, et adversus etiam spectatos laicos viros, qui Nobis et huic Sanctae Sedi addicti religionis iustitiaeque causam alacriter defendunt. Haec civilitas dum acatholicis institutis ac personis subsidia largitur, catholicam Ecclesiam iustissimis suis possessionibus spoliat, et omnia adhibet consilia ac studia ad salutarem ipsius Ecclesiae efficaciam imminuendam. Insuper dum omnem tribuit libertatem quibusque verbis et scriptis, quae Ecclesiam omnesque ipsi ex corde devotos aversantur, ac dum licentiam animat, alit et fovet, eodem tempore se omnino cautam moderatamque exhibet in reprehendenda violenta et immiti interdum agendi ratione contra eos adhibita, qui optima vulgant scripta; et omnem in puniendo exercet severitatem, si ab his moderationis fines vel leviter praeteriri arbitretur.

Huiusmodi igitur civilitati posset ne unquam Romanus Pontifex amicam protendere dexteram, et cum ea foedus concordiamque ex animo inire? Vera rebus vocabula restituantur, et haec Sancta Sedes sibi semper constabit. Siquidem ipsa verae civilitatis continenter fuit patrona et altrix; atque historiae monu-

menta eloquentissime testantur ac probant, omnibus ab eadem Sancta Sede in disiunctissimas quasque et barbaras terrarum orbis regiones veram rectamque fuisse invectam morum humanitatem, disciplinam, sapientiam. At cum civilitatis nomine velit intelligi systema apposite comparatum ad debilitandam ac fortasse etiam delendam Christi Ecclesiam, nunquam certe quidem haec Sancta Sedes et Romanus Pontifex poterunt cum huiusmodi civilitate convenire. *Quae enim*, uti sapientissime clamat Apostolus, *participatio iustitiae cum iniquitate, aut quae societas luci ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial?* (1)

Qua igitur probitate perturbatores, et seditionis patroni suam vocem attollunt ad exaggerandos conatus frustra ab ipsis adhibitos, ut se cum Romano Pontifice componant? Hic enim, qui suam omnem vim haurit ex aeternae iustitiae principiis, quonam pacto posset illa unquam deserere, ut sanctissima debilitetur fides, atque adeo Italia in discrimen adducatur amittendi maximum suum splendorem et gloriam, qua undeviginti ab hinc saeculis refulget ob centrum et sedem, qua praestat, catholicae veritatis? Neque obiici potest, hanc Apostolicam Sedem in rebus civilis principatus clausas habuisse aures illorum postulationibus, qui liberiorem administrationem exoptare significarunt. Ut vetera omittamus exempla, de hac nostra infelici aetate loquemur. Ubi enim Italia a legitimis suis Principibus liberiores institutiones obtinuit, Nos paternum animum gerentes filiorum par-

(1) Epist. II. ad Corinth. c. VI. v. 14. 15.

tem Pontificiae Nostrae ditionis in civilem administrationem cooptavimus, et opportunas dedimus concessiones, propriis tamen prudentiae modis ordinatas, ne munus paterno animo concessum per malorum hominum operam veneno inficeretur. At vero quid inde factum est? Effrena licentia innocua Nostra largitate potita est, et Aulae, quo publici Ministri ac Deputati convenerant, limina sanguine respersa, et impia manus in eum sacrilege conversa qui beneficium concesserat. Quod si recentissimis hisce temporibus consilia circa civilem procurationem Nobis data fuerunt, haud ignoratis, Venerabiles Fratres, illa a Nobis admissa fuisse, eo tamen excepto ac reiecto, quod non ad civilem administrationem respiciebat, sed eo spectabat, ut spoliationis parti iam patratae assentiremur. Nihil vero est cur de consiliis bene acceptis, deque Nostris sinceris ad illa exsequenda promissis loquamur, cum usurpationum moderatores alta voce profiterentur, se non quidem reformationes, sed absolutam rebellionem, omnemque a legitimo Principe seiunctionem omnino velle. Atque ipsi erant gravissimi facinoris auctores et antesignani, qui suis clamoribus omnia replebant, non vero populos, ut de illis merito dici possit quod Venerabilis Beda de Pharisaeis et Scribis Christi inimicis aiebat (1). « *Non haec aliqui de turba sed Pharisaei calumniabantur et Scribae, sicut Evangelistae testantur*. ».

Sed Romani Pontificatus oppugnatio non solum eo spectat, ut haec Sancta Sedes et Romanus Pontifex legitimo suo civili principatu omnino privetur,

(1) Lib. 1. c. 48. in c. 11. Lucae.

sed eo etiam tendit, ut infirmetur, et, si fieri unquam posset, plane tollatur salutaris catholicae religionis virtus: ac propterea impetit Dei ipsius opus, redemptionis fructum, et sanctissimam illam fidem, quae pretiosissima est haereditas in nos derivata ex ineffabili sacrificio, quod in Golgotha consummatum est. Atque ita se rem habere satis superque demonstrant tum commemorata iam facta, tum ea quae in dies evenire videmus. Quot enim in Italia Dioeceses ob illata impedimenta suis Episcopis orbatae, plaudentibus modernae civilitatis patronis, qui tot christianos populos sine pastoribus derelinquunt, et illorum bonis potiuntur, ut ea in pravos etiam usus convertant! Quot sacrorum Antistites in exilio versantur! Quot (cum incredibili animi Nostri dolore dicimus) apostatae, qui non Dei sed Satanae nomine loquentes, ac impunitate ipsis a fatali regiminis systemate concessa fidentes, et conscientias exagitant, et infirmos ad praevaricandum impellunt, et misere lapsos in turpissimis quibusque doctrinis obfirmant, et Christi vestem lacerare contendunt, cum minime reformident Nationales, uti dicunt, Ecclesias, aliasque id genus impietates proponere ac suadere! Postquam vero ita religioni insultaverint, quam per hypocrisim invitant ut cum hodierna civilitate conveniat, non dubitant pari cum hypocrisi Nos excitare ut cum Italia reconciliemur. Scilicet, cum omni fere civili Nostro principatu spoliati gravissima Pontificis et Principis onera sustineamus piis Catholicae Ecclesiae filiorum largitionibus quotidie amantissime ad Nos missis, cumque gratis invidiae et odii signum facti simus eorum ipsorum opera, qui conciliationem a Nobis postulant; id vellent praeterea,

ut palam declararemus, usurpatas Pontificiae Nostrae ditionis Provincias in liberam usurpatorum proprietatem cedere. Qua sane audaci et hactenus inaudita postulatione quaererent, ut ab hac Apostolica Sede, quae semper fuit et erit veritatis iustitiaeque propugnaculum, sanciretur, rem iniuste violenterque direptam posse tranquille honesteque possideri ab iniquo aggressore; utque ita falsum constitueretur principium, fortunatam nempe facti iniustitiam nullum iuris sanctitati detrimentum afferre. Quae postulatio iis etiam repugnat solemnibus verbis, quibus in magno et illustri Senatu nuperrimis hisce diebus declaratum est, *Romanum Pontificem esse Repraesentatorem praecipuae vis moralis in humana societate.* Ex quo illud consequitur, eum nullo modo posse vandalicae spolationi consentire, quin fundamentum violet illius moralis disciplinae, cuius ipse veluti prima forma et imago dignoscitur.

Iam vero quicumque vel errore deceptus vel timore perculsus praebere velit consilia iniustis perturbatorum civilis societatis votis consentanea, necesse est ut hisce potissimum temporibus sibi omnino persuadeat, illos nunquam contentos fore, nisi viderint omne auctoritatis principium, omne religionis frenum, omnemque iuris iustitiaeque regulam de medio tolli. Atque huiusmodi subversores in civilis societatis calamitatem illud iam tum voce tum scriptis assequuti sunt, ut humanas mentes perverterint, moralem sensum debilitaverint, et iniustitiae horrorem eripuerint; atque omnia conantur ut cunctis persuadeant, ius ab honestis gentibus invocatum nihil aliud esse, nisi iniustam voluntatem quae debeat omnino contemni.

Heu! vere *luxit et defluxit terra et infirmata est, defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terrae. Et terra infecta est ab habitatoribus suis: quia transgressi sunt leges, mutaverunt ius, dissipaverunt foedus sempiternum* (1).

Verum in tanta tenebrarum obscuritate, qua Deus inscrutabili suo iudicio gentes sinit offundi, Nos omnem Nostram spem fiduciamque plane collocamus in ipso clementissimo misericordiarum Patre et Deo totius consolationis, qui Nos consolatur in omni tribulatione Nostra. Ipse namque est, qui Vobis, Venerabiles Fratres, concordiae et unanimitatis inter Vos spiritum ingerit, et quotidie magis ingeret, ut Nobiscum arctissime aeque ac concordissime coniuncti parati sitis una Nobiscum sortem illam subire, quae arcano divinae suae providentiae consilio cuique nostrum reservata sit. Ipse est, qui caritatis vinculo inter se, et cum hoc catholicae veritatis et unitatis centro coniungit sacrorum christiani orbis Antistites, qui fideles sibi commissos evangelicae veritatis doctrina instituunt, eisque iter in tanta caligine tuto sequendum monstrant, nuntiantes virtute prudentiae populis sanctissima verba. Ipse super omnes catholicas gentes effundit spiritum precum, et acatholicis aequitatis sensum inspirat, ut rectum de hodiernis eventibus ferant iudicium. Haec autem tam mira in universo catholico orbe precum consensio, tamque unanimes erga Nos amoris significationes, tot sane variisque modis expressae (quod in anteactis aetatibus haud facile queat inveniri) manifestissime o-

(1) Is. cap. 24 v. 4. 5.

stendunt, quemadmodum hominibus recte animatis opus omnino sit tendere ad hanc Beatissimi Principis Apostolorum Cathedram, lucem terrarum orbis, quae magistra veritatis et nuntia salutis semper docuit, et usque ad consummationem saeculi immutabiles aeternae iustitiae leges docere nunquam desinet. Tantum vero abest, ut Italiae populi ab hisce luculentissimis filialis erga Apostolicam hanc Sedem amoris et observantiae testimoniis abstinuerit, ut immo quamplura centena ipsorum millia Nos amantissimis litteris adiverint non eo quidem consilio ut conclamatam a veteratoribus reconciliationem peterent, sed ut Nostras molestias, poenas, angores summopere dolerent, suumque erga Nos affectum omnimode confirmarent, et nefariam sacrilegamque civilis Nostri eiusdemque Sedis principatus spoliationem etiam atque etiam detestarentur.

Cum porro ita se res habeant, antequam loquendi finem faciamus, coram Deo et hominibus clare aperteque declaramus, nullam prorsus adesse causam quare cum quopiam Nos reconciliari debeamus. Quoniam vero, licet immerentes, Illius hic in terris vice fungimur, qui pro transgressoribus rogavit veniamque petiit, probe sentimus a Nobis parcendum iis qui Nos oderunt, ac pro ipsis orandum ut divinae gratiae auxilio resipiscant, atque ita illius, qui Christi hic in terris vicariam gerit operam, benedictionem promereantur. Libenter utique pro illis oramus, iisque, statim ac resipuerint, ignoscere ac benedicere parati sumus. Interim tamen non possumus inertes haerere, veluti qui nullam de humanis calamitatibus curam capiunt; non possumus non vehementer com-

moveri et angi, ac uti Nostra non reputare maxima damna et mala iis nequiter illata qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Quocirca dum intimo moerore conficimur, Deumque obsecramus, gravissimum supremi Nostri Apostolatus munus implemus loquendi, docendi et damnandi quaecumque Deus Eiusque Ecclesia docet et damnat, ut ita cursum Nostrum consummemus, et ministerium verbi, quod accepimus a Domino Iesu, testificari Evangelium gratiae Dei.

Itaque si iniusta a Nobis petantur, praestare non possumus: si vero postuletur venia, illam ultro libenterque, uti nuper declaravimus, impertiemur. Ut autem huiusce veniae verbum eo proferamus modo, qui Pontificiae Nostrae dignitatis sanctitatem omnino decet, flectimus ante Deum genua, et triumphale nostrae redemptionis amplectentes vexillum, Christum Iesum humillime deprecamur, ut Nos eadem sua repleat caritate, ut eo prorsus modo ignoscamus quo Ipse suis pepercit inimicis, antequam sanctissimum suum spiritum in aeterni Patris Sui traderet manus. Atque ab Ipso impensissime exposcimus, ut quemadmodum post veniam ab Eo tributam, inter densas tenebras, quibus universa terra fuit obducta, inimicorum suorum mentes illustravit, qui horrendi facinoris poenitentes revertebantur percutientes pectora sua, ita in hac tanta nostrae aetatis caligine velit ex inexhaustis infinitae suae misericordiae thesauris caelestis ac triumphatricis suae gratiae effundere dona, quibus omnes errantes ad unicum suum ovile redeant. Quaecumque autem futura sint investigabilia divinae suae providentiae consilia, ipsum Christum Iesum Ec-

clesiae suae nomine rogamus, ut Vicarii sui causam, quae Ecclesiae suae causa est, iudicet, eamque contra hostium suorum conatus defendat, ac gloriosa victoria exornet et augeat. Ipsum item exoramus ut perturbatae societati ordinem tranquillitatemque restituat, et optatissimam pacem tribuat ad iustitiae triumphum, quem ab Eo unice expectamus. In tanta enim trepidatione Europae totiusque terrarum orbis, et eorum, qui arduo funguntur munere moderandi populorum sortes, Deus unus est, qui Nobiscum et pro Nobis pugnare possit: *Iudica nos Deus, et discerne causam nostram de gente non sancta: da pacem Domine in diebus nostris, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus Noster.*

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

VENERABILI FRATRI IOANNI CHRYSOSTOMO D'AMORIM PESSEA EPISCOPO NUPER S. IACOBI CAPITIS VIRIDIS IN ARCHIEPISCOPUM GOANUM ELECTO SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Suprema auctoritas quae in omnes undique Ecclesias Romano Pontifici in persona Beati Petri Apostolorum Principis a Deo tributa est, omnino postulat ut Nos earumdem regimini ac prosperitati pro personarum, locorum et temporum adiunctis prospiciamus. Haec sane Apostolici Nostri ministerii munera prae oculis habentes, atque illud imprimis exoptantes ut finis imponatur diuturnis dissensionibus ac perturbationibus, quae cum gravi religionis animarumque detrimento Ecclesias in Indiis Orientalibus sitas divexarunt, atque hodiedum divexant, praehabitis cum regio Lusitano Gubernio opportunis pertractationibus die 21 Februarii anni 1857, conventionem celebravimus cum Serenissimo Rege Petro hoc nomine Quinto, Portugalliae et Algarbiorum Rege Fidelissimo, qui eodem incensus desiderio illarum Ecclesiarum prosperitatem ac spiritualem Fidelium inibi degentium tranquillitatem curandi, sese pro sua pietate ac religione, ad omnia in eum finem impendenda paratissimum exhibuit.

Inter cetera autem quae eadem Conventione sta-

tuta ac sancita sunt, erectio novae Sedis episcopalis intra limites territorii Goanae Dioecesis reperitur. Siquidem Lusitanum Gubernium, attenta utilitate quae religioni obventura est ex nova erigenda Episcopali Ecclesia in aliqua parte territorii, quo in praesens Goana Archidioecesis comprehenditur, expresse declaravit, se habita regii iurispatronatus ratione, omnem, prout suarum partium erit, operam collaturum, ut huiusmodi erectio iis locis ac terminis opportune contineatur, qui, collatis cum Apostolica Sede consiliis, ad rectam eiusdem Ecclesiae administrationem et fidelium commoditatem magis conducere videantur. Atque ad hunc finem citius assequendum illud quoque conventum fuit, ut vixdum novus Archiepiscopus Goanus Ecclesiae Suae possessionem adeptus sit, bini Commissarii (qui ab utraque contrahentium parte pro Dioecesium Suffraganearum Archiepiscopatus Goani in Indiis iuxta Conventionem praedictam limitibus assignandis nominabuntur), novae Episcopalis Ecclesiae in Goano territorio, ut supra erigendae, definitivae circumscriptioni sedulam curam impendant.

Quod vero pertinet ad limites ordinariae iurisdictionis a novo Archiepiscopo Goano exercendae, illud statutum est, ut scilicet usquedum novae, ut supra, erigendae episcopalis Ecclesiae canonica erectio ad effectum perducatur, ordinaria ipsius Archiepiscopi iurisdictio uti territoriales limites provisorie habere debeat loca seu Ecclesias et missiones, quae Sedi Archiepiscopali Goanensi ex facto suberant cum supradicta Conventio signata fuit; caeteris omnibus locis sive Ecclesiis et Missionibus, quae tunc temporis

Vicariorum Apostolicorum auctoritati ex facto subiiciebantur, sub eorumdem potestate et pacifica obedientia omnino permansuris.

Porro circa metropolitica iura a novo Goano Archiepiscopo exercenda illud ratum fuit, ut in praesens idem Archiepiscopus ea exercere valeat tantummodo in Dioecesim Machaonensem iuxta territorium illi per articulum sextum praedictae Conventionis assignatum. Cum vero aliarum Ecclesiarum, nempe Archiepiscopalis *ad honorem* de Cranganor, et Episcopalium Cochimensis, Meliapurensis, et Malaccensis, Archiepiscopatus Goani Suffraganearum nova circumscriptio ad tramites superius memoratae Conventionis conficienda sit, cumque novae erigi possint, servatis de iure servandis, Episcopales sedes in iis territorii partibus, quae extra limites memoratis Dioecesibus assignandos supererunt; hinc cum earumdem Dioecesium suffraganearum in Indiis circumscriptio, et canonica Episcoporum institutio peracta fuerit, metropolitanae iurisdictionis exercitium erga earum singulas ab hac Sancta Sede successive admittetur.

At vero cum plura praedictarum Dioecesium loca Vicariorum Apostolicorum auctoritati ex facto non suberant, cum supradicta Conventio firmata est, hinc propositum conventumque fuit, ut interea temporis extraordinaria erga eadem tantum loca a Romano Pontifice committeretur iurisdictio Archiepiscopo Goano, ab eoque, uti Delegato Apostolico, exerceretur ad sensum deputationis per Apostolicas litteras in forma Brevis Ipsi faciendae.

Cum haec aliaque in religionis bonum, et Ecclesiae tranquillitatem in Indiis Orientalibus pacta et san-

cita sint, ad Ecclesiam Goanam iamdiu suo Pastore viduatam animum nostrum convertimus. Sane Ecclesia Goana unica metropolitana in Indiis Orientalibus, quae ad ius patronatus Carissimi in Christo Filii Nostri Petri hoc nomine Quinti Portugalliae et Algarbiorum Regis Fidelissimi, uti articulo secundo memoratae Conventionis expresse innuitur, sive ex fundatione, sive ex dotatione, seu privilegio apostolico spectare dignoscitur, per translationem bo: me: Praesulis Iosephi Mariae a Sylva Torres tunc Goani Archiepiscopi ad Archiepiscopalem Ecclesiam Palmirensem in partibus infidelium, iamdudum vacat. Nos igitur ad provisionem huius metropolitanae Ecclesiae Goanae paternis sollicitisque studiis intendentes, post habitam cum Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus maturam deliberationem, Te Episcopum nuper S. Iacobi Capitis Viridis, qui a praelaudato Rege Nobis per patentes litteras praesentatus es, quique pluribus virtutum donis a Deo praeditus consecrationis munere suscepto, licet ad Sedem Tibi creditam hactenus accedere haud valuisti, pro tuo grege tuendo omnem sollicitudinem adhibuisti, et Fidem Catholicam iuxta articulos a Sede Apostolica propositos expresse professus es, ad eam Ecclesiam promovendum censuimus. Te igitur quamvis absentem a vinculo, quo erga Ecclesiam S. Iacobi Capitis Viridis teneris, de VV. Fratrum eorumdem consilio, et Apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ad metropolitanam Ecclesiam Goanam transferimus, Teque eidem metropolitanae Ecclesiae in Archiepiscopum et Pastorem praeficimus; curam, regimen, et admnistrationem ipsius Ecclesiae Tibi in spi-

ritualibus et temporalibus committentes, liberamque Tibi ad metropolitanam Eccclesiam Goanam transeundi licentiam tribuentes. Quocirca Fraternitati Tuae mandamus ut ad praedictam metropolitanam Ecclesiam cum gratia nostrae benedictionis accedens, ipsius Ecclesiae curam et administrationem sic studeas exercere, ut fideles Tibi commissi maxima ex boni Pastoris vigilantia virtutum incrementa suscipiant; atque infideles in Dioecesis Tuae territorio degentes in Christi ovile sedulo adducantur. Volumus autem ut antequam regimini metropolitanae Ecclesiae Goanae Te immisceas, in manibus personae in ecclesiastica dignitate constitutae, solitum fidelitatis iuramentum iuxta formam, quam Bullae nostrae addimus, praestes; praestitique iuramenti formam Nobis de verbo ad verbum per Tuas litteras Tuo sigillo, ac Tui et praefatae ecclesiasticae personae subscriptione munitas, quantocius mittas. Cui quidem ecclesiastico viro per alias Nostras litteras ut a Te, Nostro et Romanae Ecclesiae nomine, iuramentum suscipiat committimus et mandamus. Volumus etiam ut in metropolitana Goana Ecclesia praebendas Theologalem et Poenitentiariam ad Sacrosancti Concilii Tridentini praescriptum, quatenus deficiant, instituas, aliasque pias fundationes in bonum fidelium erigi cures conscientiam Tuam super his onerando.

Conventioni autem supradictae inhaerentes per has Litteras Nobis et Apostolicae Sedi expresse reservamus facultatem novae Ecclesiae Episcopalis in Goano territorio erigendae eiusque limites definiendi ad tramites praedictae Conventionis. Donec vero novae huius Episcopalis Ecclesiae canonica erectio ad effectum

perducatur, Apostolica auctoritate statuimus ut ordinaria Archiepiscopi Goani iurisdictio uti territoriales limites provisorie habeat Loca sive Ecclesias et Missiones, quae intra praefatum territorium Goanum Sedi Archiepiscopali de facto suberant, cum praedicta Conventio a Nostro et Fidelissimi Portugalliae et Algarbiorum Regis Plenipotentiariis signata fuit; illud expresse mandantes, ut ceterae omnes Ecclesiae Missiones et Loca quae tunc temporis Vicariorum Apostolicorum potestati de facto subditae erant, sub eorumdem auctoritate atque obedientia omnino permaneant.

Quoad vero metropolitica Archiepiscopi Goani iura, ea in praesens tantummodo exercere Tibi fas erit in Dioecesim Machaonensem iuxta territorium illi in commemorata Conventione, ut supra, assignatum: postmodum vero in ceteras etiam exercere poteris Dioeceses Archiepiscopatus Goani, uti dictum est, suffraganeas, cum earum circumscriptio et canonica Episcoporum institutio, iuxta ea quae in Conventione sancita sunt, rite fuerit peracta, salvis ceteroquin iuribus ac privilegiis quae Archiepiscopo Goano *pro tempore* ad normam Apostolicae Bullae sa. me. Pauli V decessoris nostri datae anno 1612, quae incipit « In supereminenti » attributa sunt, usquedum, collatis cum Lusitano Gubernio consiliis, aliter a Nobis provideatur.

Demum cum varia loca in territorio earumdem Ecclesiarum sita Vicariorum Apostolicorum potestati de facto non suberant cum praedicta Conventio a Nostro et Fidelissimi Portugalliae et Algarbiorum Regis Plenipotentiariis firmata fuerit, ad tuendam spi-

ritualem fidelium salutem et tranquillitatem, benigne indulgemus ut Tu, Venerabilis Frater, ut Delegatus Apostolicus, extraordinariam in iisdem tantummodo locis provisorie exerceas iurisdictionem ad sensum et formam deputationis de qua agitur in aliis Apostolicis litteris in forma Brevis Tibi una cum his ex mandato nostro tradendis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo primo, undecimo kalendas Aprilis, Pontificatus Nostri anno decimoquinto.

M. Card. Mattei Pro Datarius

Concordat cum Originali.

Giansanti Off. Dep.

Ludovicus Fausti Notarius Apostolicus.

V. Donati.

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD

ARCHIEPISCOPVM GOANVM IOANNEM CHRYSOSTOMVM D'AMORIM PESSOA.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ad reparanda damna, quae longo iam tempore in Indiarum Orientalium Ecclesiis ex dissidiis ac perturbationibus illic exortis obvenerunt, atque ad pacem Christiano gregi inibi reddendam pro nostri Apostolatus officio assidua studia curasque omnes iampridem contulimus. Notum enim vero perspectumque Tibi est, Venerabilis Frater, in iisdem Ecclesiis, quae a RR. PP. Decessoribus Nostris, atque etiam a Nobis Vicariorum Apostolicorum curae ac regimini, ob conditionem in qua versabantur provisoria ratione concreditae fuerant, loca varia extare, in quibus ecclesiastici viri sacra ministeria ad hanc usque diem exercent, quin unquam praedictis Vicariis sese subiecerint, neque iurisdictionem ab ipsis, uti par erat, obtinuerint. Huic tanto malo remedium afferre cupientes penes Carissimum in Christo Filium Nostrum Portugalliae atque Algarbiorum Regem Fidelissimum iterato atque urgenter institimus, ut finis huiusmodi perturbationibus imponeretur, et aliqua

providentiae ratio communi consilio deliberaretur, qua Nos legitimae eorumdem locorum administrationi et spirituali fidelium saluti consuleremus. Itaque celebrata ad eum finem conventio est die 21 Februarii anni 1857, in qua praeter cetera pactum est de nova praedictarum Ecclesiarum seu Dioecesium circumscriptione per binos Commissarios ab utraque contrahentium parte nominandos, ad praefatae conventionis tramitem peragenda, ita ut singulis, quae in eiusdem articulis statuuntur, rite expletis, ecclesiastici viri necessariis qualitatibus praediti, qui a Rege Fidelissimo praesentabuntur, per Nos Successoresque Nostros confirmari, atque illarum Ecclesiarum provisiones perfici opportune possint.

At vero cum ad omnia absolvenda, quae pro huiusmodi circumscriptione ac provisione necessaria omnino sunt, aliquod sane temporis spatium labi necesse sit: hinc ne animarum salus ex hac miserrima locorum conditione diutius in discrimen adducatur, extraordinariam interea temporis providentiae formam adhibendam existimavimus circa ea praedictarum Dioecesium Suffraganearum loca quae a Vicariorum Apostolicorum auctoritate et obedientia segregata reperiebantur cum memorata Conventio a Nostro et Carissimi in Christo Filii Nostri Portugalliae et Algarbiorum Regis Fidelissimi Plenipotentiariis signata fuit. Horum itaque locorum curam et administrationem ad tempus reservandam censuimus, illud expresse mandantes, ut donec praedictarum Ecclesiarum circumscriptio perficiatur, et novi earumdem Episcopi a nobis canonice instituti possessionem suarum sedium fuerint adepti, cetera omnia

loca, quae praedicto tempore Vicariorum Apostolicorum auctoritati suberant, sub eorumdem iurisdictione et obedientia firmiter permaneant.

Ut vero huiusmodi iurisdictio erga praedicta loca Nobis reservata, commodiori qua par sit ratione pro animarum salute exerceri possit, carissimo in Christo Filio Nostro Petro hoc nomine Quinto Portugalliae et Algarbiorum Regi Fidelissimo, qui ad promovendam pactorum executionem et ad dissensiones quamprimum extinguendas omnem pro sua pietate et religione operam se daturum promisit, expresse declaravimus Nos huiusmodi extraordinariae iurisdictionis exercitium, sex annorum spatio, commissuros Archiepiscopo Goano, eoque decedente, vel aliqua gravi causa intra huiusmodi tempus praepedito alteri a nobis designando ex virorum ecclesiasticorum catalogo, quem Maiestas Sua apposite Nobis exhibebit: ita quidem, ut eiusmodi ecclesiasticus vir, alterutro ex enunciatis casibus obveniente, statim in delegatae extraordinariae iurisdictionis exercitium Archiepiscopo Goano succedat. Cum autem haec successio locum habuerit, ne Apostolica Delegatio, praedicto temporis decursu, unquam defectura sit, id quoque indulsimus ut Maiestas Sua fidelissima alterum Nobis catalogum tradat, ex quo Nos alium ecclesiasticum virum deligere possimus, qui primo cessante, in exercitium memoratae Delegationis, sexennio perdurante, substituatur. Si denique, absoluto sex annorum spatio, integra Dioecesium suffraganearum circumscriptio ob aliquam inopinatam causam peracta non fuerit, Apostolicam Delegationem a Nobis prorogandam fore declaravimus per aliud temporis spa-

tium, quod communi contrahentium consilio ad integram Dioecesium circumscriptionem perficiendam necessarium existimabitur; firma tamen lege ut eadem Delegatio specialis et extraordinariae providentiae naturam non amittat quoad loca eidem Delegationi subiecta, quae in Dioecesibus adhuc circumscribendis superfuerint.

Quae cum ita sint, Te, Venerabilis Frater, de cuius pietate ac ferventi pro animarum salute zelo plene confidimus, in Nostrum et huius Apostolicae Sedis Delegatum per praesentes litteras deputamus et nominamus cum facultatibus necessariis atque opportunis, ut Nostro eiusque Sanctae Sedis nomine, spiritualem iurisdictionem sive per Te, sive per alios ecclesiasticos viros ad hoc per Te ipsum subdelegandos in omnia et singula ea loca extra Tuam Dioecesim exerceas, quae a Vicariorum Apostolicorum auctoritate actu reperiebantur segregata, cum praedicta Conventio a Nostro et Carissimi in Christo Filii Nostri Portugalliae et Algarbiorum Regis fidelissimi Plenipotentiariis signata fuit. Hanc autem Apostolicam Delegationem ad sex annos a die possessionis Tuae Dioeceseos computandos Tibi, Venerabilis Frater concessam volumus, pro certo habentes, intra huiusmodi annorum spatium Lusitanum Gubernium ea omnia pro sua parte fore praestiturum, quae ad integram Dioecesium circumscriptionem ad tramites praedictae Conventionis peragendam, et canonicam Episcoporum institutionem perficiendam necessario requiruntur. Mandamus autem, ut ceterae omnes Ecclesiae et Missiones quae Vicariorum Apostolicorum auctoritati praedicto tempore parebant, nullo

unquam praetextu vel quovis quaesito colore ab eorumdem Vicariorum potestate et obedientia seiungantur.

Tibi insuper committimus, Venerabilis Frater, ut pro Tuo munere de statu Ecclesiarum et Missionum, quae Apostolicae Delegationi creditae sunt, Nobis identidem referas, ac de gravioribus negotiis quae ibidem occurrerint, praesertim si aliqua quaestio suboriatur, cum hac Apostolica Sede diligenter conferas : atque accuratam imprimis perfectamque omnium huiusmodi locorum enumerationem et indicationem ad Nos quantocyus transmittas.

Interea Deum Optimum Maximum a quo bona cuncta procedunt, ut tot Ecclesiae calamitatibus in memoratis superius regionibus finem faciat, perfectamque Fidelibus suis concordiam et tranquillitatem concedat humillime exorantes, Apostolicam Benedictionem Tibi ipsi, Venerabilis Frater, Gregique Tuae curae commisso peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII martii MDCCCLXI., pontificatus Nostri anno XV.

Pro Domino Card. Pianetti

Io. B. Brancaleoni Castellani Substitutus.

PIVS PP. IX·

VENERABILI FRATRI ANTONIO ARCHIEPISCOPO VARSAVIENSI

VENERABILIS FRATER

Cum primum summo animi Nostri dolore audivimus gravia facta quae in ista Varsaviensi Civitate, aliisque Poloniae Regni Provinciis nuperrime evenerunt, levavimus oculos Nostros ad Dominum orantes et obsecrantes, ut populum suum ab impendentibus malis liberaret, ac praesertim a periculis eriperet, in quae illius fides et religio iniquis dolosisque nonnullorum degenerum filiorum artibus adduci poterat. Etenim haud ignorabamus quomodo civilium perturbationum fautores et pravarum opinionum propagatores ab aliquo iam tempore consilium susceperant impellendi etiam Poloniam in erroris viam, ut saniorem praestantioremque istius Regni partem a sincera illa catholica fide, et eximia ac plane filiali erga hanc Petri cathedram observantia ac veneratione, quibus Poloni semper tantopere praestiterunt, omnino avellerent atque abstraherent. Noscebamus quoque huiusmodi homines alias inter insidias calumnia etiam uti, qua propositum sibi finem consequi possent, et Poloniae fideles licet invitos ac reluctantes, in gravissima illa mergerent damna, quibus civilis societas asperrimis hisce temporibus miserandum in modum affligitur ac divexatur. Namque eisdem fidelibus sua-

dere conati sunt, Nos, non solum de spirituali illorum utilitate nunquam fuisse sollicitos, verum etiam nihil unquam egisse, ut catholica Ecclesia in Poloniae regionibus sua plena libertate polleret. Quo certe nihil falsius, nihil in Nos injuriosius fingi et excogitari poterat. Siquidem pro Apostolici Nostri ministerii munere, universum Dominicum gregem ab ipso Christo Domino Nobis divinitus commissum in animo et oculis gerentes, nihil potius habemus, quam ut spirituali omnium fidelium incolumitati amantissime ac studiosissime consulamus, et catholicae Ecclesiae causam ac jura strenue tueamur et propugnemus. Te autem minime latet, Venerabilis Frater, simili fraude alias tentatum fuisse fidelibus Polonis persuadere, rec: me: Gregorium XVI Praedecessorem Nostrum nullam de spiritualibus eorum indigentiis curam habere, ipsosque ab eodem Pontifice plane fuisse desertos. Cum autem tam injusta, tamque perniciosa opinio apud istius Regni fideles magis in dies invalesceret, tum idem Decessor Noster merito atque optimo jure Apostolicam suam attollens vocem, non solum Consistoriali sua Allocutione contra tam impudentem calumniam reclamavit, et professus est, verum etiam eodem tempore factorum expositionem multiplici documentorum genere instructam typis in lucem edi jussit, ut universus orbis agnosceret, quibus assiduis curis et studiis ipse catholicae religionis bono utilitatique in Russiarum Imperio et Poloniae Regno prospicere non intermiserat. Quae quidem solemnis augusti Nostri Decessoris declaratio debuisset ex istorum fidelium animis plane evellere omnem dubiam, iniustamque de hac S. Sede opinionem , ac satis superque probare

quantae curae, quantaeque sollicitudini eidem Sedi semper fuerit spirituale omnium fidelium in Russiarum Imperio et Poloniae Regno degentium bonum. Sed vix paucis elapsis annis, iidem homines proficientes tum difficultatibus, quae liberam istorum fidelium cum hac Apostolica Sede communicationem impediunt, tum lamentabili sane, in qua versamur, conditione, eamdem falsam injustamque opinionem denuo excitare, et istis fidelibus insinuare non timuerunt. Itaque, Venerabilis Frater, tempus venisse existimamus, quo veritatem illis omnibus manifestemus, qui falsis rumoribus se illudi, decipi, et in errorem induci patiuntur, ac simul illis larvam demamus, qui mendacii fraudisque pallio operti, contendunt suadere (horribile dictu) hanc Apostolicam Sedem magis curare temporalis dominii rationes, quam spiritualem populorum salutem. Neque iam Nobis mens est enumerando percensere omnes curas a Nobis pro re catholica in Russiarum Imperio et Poloniae Regna tuenda susceptas. Commemorabimus tantum Nobis vel ab ipso supremi Nostri Pontificatus initio omnia adhibuisse studia, ut quae illustri Nostro Praedecessori defunctus Russiarum Imperator Nicolaus I Romae commorans solemni modo promiserat, optatum, salutaremque assequeretur exitum. Atque huc praesertim spectarunt communicationes Nostro jussu Imperiali Regioque Administro hic in Urbe moranti factae eo tempore, quo inchoatae tractationes ad Conventionem inter hanc Apostolicam Sedem, ac Imperiale, Regiumque Russiarum Gubernium conficiendam Nobis eximiam spem injiciebant, fore ut Catholicae Ecclesiae res in eodem Russiarum Imperio Poloniaeque

Regno aliquantum componi possent. Quae quidem communicationes respiciebant potissimum tum poenales leges denuo confirmatas et graviores effectas contra illos, qui greco-russica religione relicta vellent Catholicam, Apostolicam et Romanam Religionem amplecti ac profiteri, tum jusjurandum catholicis Presbyteris praescriptum, tum aliquos legum articulos, qui ad matrimonium spectant. Et quoniam de hisce rebus reclamatum fuerat, iccirco efflagitavimus, ut de eisdem, aliisque summi momenti argumentis serio ageretur in congressibus, qui tunc incepti erant, ut religiosa in Russico Imperio et Poloniae Regno negotia stabili modo possent componi. Optime autem noscis, Venerabilis Frater Conventionem die 3. Augusti Anno 1847 factam fuisse. Cum vero haec Conventio minime complecti potuerit ea omnia, quae Nos ad examen revocanda esse necessario existimaveramus, iccirco voluimus, ut in aliud seperatum volumen omnes Nostrae referrentur petitiones circa argumenta ab Imperialibus Regiisque Plenipotentiariis minime admissa, utque ita omnibus clare, aperteque constaret, Nos numquam adhaesisse ulli ex legibus, quae nunc vigent, et ad ipsa pertinent argumenta. Nostrae vero petitiones eo spectabant, ut isti fideles cum hac S. Sede libere communicare possent; ut ab Episcopalibus Consistoriis amoverentur Procurator imperialis, et laicus Secretarius a Gubernio nominatus, ut catholici omni libertate adirent catholica tribunalia, illisque causas subjicerent quoad matrimonia ab ipsis cum acatholicis contracta; ut in Russicis Dominiis locum haberent Instructiones ab hac S Sede pro Hungaria, aliisque locis editae circa mixta con-

nubia. Postulavimus etiam, ut aboleretur lex anno 1832 lata, quae minime recognoscit valida matrimonia mixta, nisi ab acatholico Presbytero fuerint benedicta; ut de medio tollerentur leges, quae religiosae professioni, ac studiis in Coenobiis, et liberae Regularium cum Supremis iuris Moderatoribus Romae degentibus communicationi adversantur; ut Clero sua omnia restituerentur bona; ut Episcopi latini ritus possent ad tempus suam in Graecos unitos iurisdictionem exercere. Insuper efflagitavimus ut abrogarentur leges, quae istic vetant homines ad catholicae Ecclesiae sinum redire, et cum quibus plane congruit alia illa ordinatio catholicae religioni omnino adversa, ex qua contra divinum praeceptum ab ipso Christo Domino datum eundi in mundum universum, et praedicandi evangelium omni creaturae, catholici operarii prohibentur non solum alios ad evangelicae veritatis lucem vocare, verum etiam iis sanctissima sacramenta impertiri, qui antea ad catholicam Ecclesiam minime pertinebant. Neque omisimus summopere conqueri de nova juramenti formula, quod a Catholicis Imperatori Russiarum et Poloniae Regi subditis erat praestandum. Ac scias velimus, Venerabilis Frater, Imperiales Plenipotentiarios, veluti luculenter apparet ex praefatione Articulorum qui a Nobis vulgati sunt, promisisse se omnem Gubernii sui considerationem super singulis commemoratis rebus esse revocaturos, novumque actum redacturos postquam ipsi ab eodem Gubernio congruas instructiones accepissent. Ubi autem Consistoriali Nostra Allocutione die 3 Iulii anno 1848 habita manifestavimus quae pro catholicae Ecclesiae negotiis in Russico Imperio

componendis agenda curaveramus, nihil certe quidem praetermisimus, ut pacta conventa plenam exequutionem haberent, utque illa quae absolvi minime potuerant, communibus inter hanc S. Sedem et Russicum Gubernium consiliis et concordia definirentur, praeter duo, quibus tunc temporis Russiarum Imperator non levi animi Nostri gaudio consenserat, quemadmodum in commemorata Nostra Allocutione significavimus. Interim vero cum certo sciremus quae paterentur Sorores caritatis S. Vincentii a Paulo in Polonia existentes, quaeque spoliationis pericula Cleri secularis bonis impenderent, et quomodo ad Poloniae Regnum extendi vellet lex anni 1832 circa mixta conjugia, nulla interposita mora iussimus opportuna communicatione Russicum Gubernium adiri, et eodem tempore penes illud enixe urgeri, ut omnibus Russiarum et Poloniae vacantibus Dioecesibus sui praeficerentur Episcopi, eorumque Suffraganei designarentur. Ac pari sollicitudine egimus, cum paulo post novimus legem, qua catholici, in quibusdam casibus, cogebantur ad instauranda Scismaticorum templa, adiecta poena, ut ab his catholica occuparentur templa, si praescriptam instaurationem catholici minime exequuti essent, et cum scivimus ecclesiasticam immunitatem fuisse violatam in Coenobio Religiosorum Ordinis S. Dominici, cum nonnullorum documentorum obsignatione, seu *sequestro*, quae ad B. Bobola causam spectabant. Anno vero 1853 per Nostrum Cardinalem a publicis negotiis Russicum Gubernium iterum etiam atque etiam excitavimus, ut inceptae perficerentur tractationes ad ecclesiastica componenda negotia, et majori, qua fieri posset, celeritate, Polo-

niae Dioeceses jamdiu vacantes idoneis committerentur Episcopis, eorumque eligerentur Suffraganei. Interim vero novam de meliori catholicae Ecclesiae conditione in Russiarum Imperio, et Poloniae Regno spem habuimus, ubi Nobis innotuit praesentem Imperatorem ad solium evectum fuisse, qui animi benignitate et aequitate praestans propensam suam erga catholicos voluntatem, vel a primis juventutis suae annis saepe ostenderat, cum praesertim in hac Urbe Nostra est moratus. Quocirca de re catholica vehementer solliciti ad ipsum Serenissimum ac Potentissimum Principem Nostrum extraordinarium Oratorem misimus, qui ei vastissimi Russiarum Imperii sceptrum adepto effuse Nostro nomine gratularetur, maximamque Nostram voluptatem nunciaret, ac simul iusta Nostra monita eidem significaret quae Nostris essent in votis, ut in illis Dominiis catholica Ecclesia eas tandem aliquando assequeretur utilitates, quas jamdiu frustra expectaveramus. Ac Noster Orator demandato sibi munere sedulo fungens haud omisit cum ipso Imperatore, eiusque Gubernio colloqui, et instare ut pacta conventa omni ex parte exequutionem haberent, et ea omnia componerentur, quae ad optatum exitum adduci minime potuerant. Quibus autem de causis Serenissimus Imperator iustissimis Nostris petitionibus tunc minime annuit, vel facile postea intelligi potuit ex variis documentis per publicas ephemerides nuper vulgatis, ac praesertim ex relatione eidem Imperatori paulo ante Nostri Oratoris adventum ab iis exhibita, quibus munus fuerat commissum examinandi varias res ad Conventionem pertinentes, et praedictum

separatum Volumen (protocole) de iis, quae constitui haud potuerant. Ut autem facilius amoverentur difficultates, quae exoptatam rerum ecclesiasticarum istic instaurationem impediebant, omni studio iterum instare haud omisimus, ut Nostra petitio benigne exciperetur, ut scilicet in Russiarum Imperatoris et Poloniae Regis dominiis aliquis ecclesiasticus vir a Nobis missus resideret, qui Nostro et huius S. Sedis nomine ecclesiastica negotia tractanda curaret. Atque hunc in finem Noster Orator nihil intentatum reliquit, ut eidem Imperatori eiusque Gubernio suaderet iustissimam esse planeque opportunam huiusmodi Nostram postulationem. At dolenter dicimus, nondum consolatione uti potuimus, ut conceptae a Nobis spes optatum assequerentur exitum. Iamvero deploranda sane conditio in qua Rutheni et Armenii catholici istic versantur, non poterat non vehementer commovere et excitare Apostolicam Nostram caritatem et sollicitudinem. Hinc die 3 Iulii Anno 1848 Nostras dedimus Litteras ad defunctum Archiepiscopum Mohiloviensem ejusque Suffraganeos, illisque inculcavimus, ut interim spirituali Graecorum unitorum curae, regimini, saluti studiosissime consulerent, ac saepius praesertim anno 1857 iteratis petitionibus penes Imperiale Gubernium instare haud praetermisimus, ut omnes amoverentur difficultates quae impediebant, quominus Chelmensis Ecclesia suum haberet Episcopum. Atque eodem tempore reclamavimus propterea quod illius Dioecesis Clerici ad Greco-Russicam mittebantur Universitatem, et expostulavimus, ut Chelmensis Antistes plenam haberet libertatem mittendi non-

nullos e suis Clericis ad istam ecclesiasticam Varsaviensem Academiam, quemadmodum in more fuerat ante annum 1831. Summum autem Nostrum declaravimus dolorem ob propositas de Chelmensi Clericorum Seminario regulas, quae Sacris Catholicae Ecclesiae canonibus adversabantur. Nec minus Nobis cordi fuit postulare, ut Religiosus iste S. Basilii Ordo posset denuo eruditricem suorum tironum domum libere aperire, quo idem Ordo de Orientali praesertim Ecclesia tot sane nominibus egregie meritus iterum vigeret, et effloresceret. Cum autem miserorum Ruthenorum causam studiosissime egimus, ut ipsi sanctam unionem libere profiteri, et exercere possent, non mediocri certe miseratione ac dolore affecti haud omisimus ejusdem Imperatoris justitiam invocare pro nonnullis Graeco-Uniti Cleri Praesbyteris, qui Religionis causa ab anno 1839 in Coenobiis ritus Graeco-Russici inclusi detinebantur, tenuissima ipsis a Gubernio pensione adsignata. Sed cum iamdiu expectaremus quae consilia esset suscepturus Potentissimus Imperator de iis omnibus Ei ab extraordinario Nostro Oratore significatis, ac maxime doleremus videntes justissimis Nostris petitionibus, quemadmodum exoptabamus, minime obsecundari, ineunte anno 1859 familiarem Nostram Epistolam ad eumdem Imperatorem dedimus, ejusque justitiam, aequitatem, magnanimitatemque excitavimus, obsecravimus, ac simul obtestati sumus fidem ab ipso datam de catholicae Ecclesiae rebus in suo Russiarum Imperio, et Poloniae Regno prospere componendis. Atque per eamdem Epistolam ab Imperiali, Regiaque Majestate Sua iterum postulavimus, ut

apud se admittere vellet aliquem ecclesiasticum Virum a Nobis electum, qui in suis Dominiis Nostro, et hujus S. Sedis nomine ecclesiasticis rebus operam navaret, quemadmodum suus, apud Nos, et eamdem Sedem Minister adest, utque catholicis sibi subditis, eorumque spiritualibus indigentiis pro excelsa animi sui aequitate, benigne favere vellet. Haec praesertim, Venerabilis Frater, ut alia omittamus, omni studio apud Russiarum Imperatorem et Poloniae Regem, ejusque Gubernium peragenda curavimus, ut fideles Poloniae populi catholicam Religionem libere exercere, ac denuo optatissima conscientiae pace ac tranquillitate perfrui possent. Futurum confidimus, ut idem Serenissimus ac Potentissimus Princeps velit justis, enixis, iteratisque Nostris postulationibus obsequi, et votis annuere quibus isti fideles populi eidem supplicarunt. Ut autem omnes Nostrae curae et sollicitudines optatum assequantur exitum, assiduis ac ferventissimis precibus Deum deprecemur oportet in cuius manu sunt corda Regum. Quo vero facilius Deus inclinet aurem suam ad preces, apprime noscis, Venerabilis Frater, opus esse ut fideles populi omnia ipsius Dei mandata religiose custodiant, omnesque christianas virtutes sedulo exerceant, atque ab iis omnibus diligentissime se abstineant, quae populos ipsos miseros reddunt, et impediunt quominus divinae misericordiae beneficia super illos descendant. Atque hic potissimum loquimur de nimia illa abusione quae hujus S. Sedis vigilantiam et sollicitudinem erga Polonos semper excitavit, scilicet de frequentibus matrimoniorum divortiis, quae in Poloniae regionibus contra Dei, eiusque

Sanctae Ecclesiae leges plus minusve semper patrata fuere. Quocirca in memoriam revocantes immortalis Decessoris Nostri Benedicti XIV Constitutiones « Matrimonii perpetuum » die 11 Aprilis an. 1741; et « Nimiam licentiam » die 18 Maii an. 1743 ad Poloniae Episcopos datas, hac Nostra Epistola omnes fideles Polonos rogamus, monemus et hortamur, ut Apostolicis Nostris vocibus obtemperantes ab hujusmodi abominanda sane re in posterum diligentissime caveant. Iam porro ex his omnibus quae Nos brevissime perstrinximus et attigimus, Tibique significavimus, Tuum erit, Venerabilis Frater, adhibita etiam Tuorum suffraganeorum opera, refellere et obterere impudentem calumniam Nobis et huic S. Sedi impositam, et istis fidelibus significare curas omnes a Nobis et ab eadem Sede pro spirituali eorum bono et utilitate continenter susceptas, eosque amantissimis verbis de singulari Nostra in ipsos caritate, studioque certiores facere. Ne desinas vero unquam una cum Tuis suffraganeis eosdem fideles populos qua voce, qua salutaribus et opportunis scriptis semper monere, exhortari, excitare, ut a veritatis, honoris, virtutis iustitiaeque semita, ac sanctissimis divinae nostrae religionis praeceptionibus nunquam deflectant, utque magis in dies in fide, amore, et observantia erga hanc Petri Cathedram catholicae veritatis, et unitatis centrum stabiles et immoti persistant. Hoc sane modo a clementissimo misericordiarum Patre obtinebunt celestium benedictionum copiam, quae unice possunt non solum ab ipsis perniciosissimas illas avertere perturbationes, quibus inimici homines eos obruere vellent, verum etiam efficere, ut iidem Poloni avítae suae

Religionis prosperitate, omnique vera felicitate perfrui queant. Nos certe quidem in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione a benignissimo Domino humiliter, enixeque exposcimus, ut divinae gratiae suae divitias super fideles Poloniae populos propitius semper effundere velit. Denique hac occasione quam libentissime utimur, ut iterum testemur et confirmemus praecipuam Nostram in Te, Tuosque Suffraganeos benevolentiam. Cuius quoque pignus esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam intimo cordis affectu Tibi ipsi, Venerabilis Frater, Tuisque Suffraganeis, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus Tuae et illorum curae commissis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 6 Iunii Anno 1861.

Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

PIVS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

De tuendo colendoque agro suo sollicitus caelestis paterfamilias si quando inimicus homo superseminasset in eo zizania, operarios novos ac strenuos illuc mittere properavit, qui assiduo labore malarum herbarum stirpes evellerent, ut noxio quovis extincto ac sublato semine, dominicus ager lectissimi germinis viriditate nitesceret. Id sane factum animadvertimus saeculo Ecclesiae XVI, quo saeculo pestes illae ac furiae Christianae societatis Lutherus, Calvinus, eorumque gregales tamquam diaboli legatione perfuncti teterrima errorum monstra in perniciem animarum proferre, atque evulgare instituerunt. Plures enimvero spectatae virtutis doctrinaeque viros aetate illa excitavit providentissimus Deus, quorum industria laborque in perpoliendo ac tutando agro Domini utiliter versaretur. Huic praestantium virorum agmini adcensendus merito est Venerabilis Dei famulus Ioannes Leonardi divinae gloriae proferendae flagrantissimus, qui studium illud suum non mortalis vitae spatio cohibuit, verum ad omnem posteritatem propagavit, instituta regulari Clericorum familia, quae suae haeres caritatis et Ecclesiae rebus pro virili parte juvandis et sempiternae proximorum saluti promovendae, se omnesque suae vitae rationes devoveret. Decimi, quod oppidum, haud

longe distat ab urbe Lucensi, ortus Ioannes est, ac jam inde a prima aetate grave quiddam, ac maturum prae se tulit; ita a ludicris rebus, quibus maxime capi solet puerilis aetas alienus, solitudinis tantum ac precationis amore tenebatur. Pueritiam atque adolescentiam quum innocenter transegisset, et aequalibus suis eximiae virtutis praeluxisset exemplo, annos natus viginti sex vocatus a Deo ad ponendum Ecclesiasticae militiae tyrocinium arti, cui dudum se jussu patris addixerat, nuncium alacriter remisit; et licet aetate grandior inter pueros publicis in scholis versari non erubuit, ut grammaticae latinae praeceptionibus erudiretur. Exinde posita tum in litteris tum in philosophicis ac theologicis disciplinis opera, adeo in iisdem profecit, ut quatuor annorum spatio vix exacto, idoneus sit habitus ad sacros ordines suscipiendos. Quà erat animi demissione Sacerdotii dignitatem detrectavit, sed conscientiae suae moderatoris vocibus obtemperans sacro illo ordine insignitus est, et maximo cum ardore animi et lacrymarum imbre perfusus rem divinam primum fecit anno MDLXXIII. Qui a primis annis fidei mysteria pueros edocere in deliciis habuerat, seque aeternae hominum salutis praestiterat studiosissimum, Sacerdos factus in eam curam multo acrius incubuit; quippe noverat Sacerdotem otiari, ac cessare nequaquam debere; sed fortem tamquam militem evaganti vitiorum licentiae bellum indicere, hominesque ad omne religionis officium excitare atque incendere. Iamvero illud percommode contigit, ut quatuor bonae indolis juvenes, integerrimis aeque ac suavissimis Ioannis moribus illecti ultro se eidem adiunxe-

rint tamquam propositi socios atque adiutores. Quos cum ad virtutis perfectionem antea Ioannes exercuisset, exinde illorum et consilio et opera usus religiosum Clericorum sodalitium instituit, quod a Sanctissima Matre Dei nuncupavit. Illud porro auctoris sui menti votisque respondens pietatis fructus edere coepit uberrimos. Per ipsum namque explicata pueris rudibusque hominibus religionis praecepta, flagitiosi homines ad honestam vitae rationem traducti, consultum puellis castitatis periculo laborantibus, frequens invectus sacramentorum usus ad conciliandam retinendamque divinam gratiam, denique tanta animorum peracta commutatio, ut quum in urbe Lucensi haereticorum praesertim perfidiosis artibus arderent civium odia, ac simultates, profligatique admodum essent hominum mores, ibidem brevi tempore refloruisse quodammodo videretur primaeva Christianorum disciplina. Tantam sibi inferri cladem, totque sibi extorqueri praedas acerbe tulit vaferrimus nostri generis inimicus, proinde contra succrescentem societatem eiusque auctorem turbulentissimam tempestatem excitavit. Perpulit enim incenditque nonnullos Lucae proceres, ut Ioannem ac socios fictis criminationibus impeterent, religiosamque familiam recens coactam dissipare, ac delere omni ope niterentur. Quae procella quum aliquando resedisset, haud ita multo post, adnitente quidem daemone, longe vehementius efferbuit, quum nimirum religiosi sodales omni ad victitandum subsidio privati, dejectique etiam e suis aedibus perfugium alio quaerere coacti fuere, sic ut, nisi dexter adfuisset Deus, coeptum tam feliciter opus interiturum plane videretur.

Atqui in ea calamitate non despondit animum Ioannes, verum in illa perferenda miram exhibuit firmitatem ac patientiam, ex eo quod praeclare sibi actum duceret, si quidlibet acerbitatis pro Christi nomine pateretur. Tandem sedato turbine exceptus benigne est a Gregorio XIII summo Pontifice, ab eoque institutae Congregationis confirmationem impetravit; ac licet in illa regenda atque amplificanda multis esset curis districtus, alios tamen ex aliis labores excipere pro Dei gloria non recusavit. Etenim quum explorata esset, et cognita ipsius in suscipiendis arduis etiam negotiis alacritas, in tractandis, conficiendisque dexteritas, nedum ab Episcopis adhibitus est ad relevandas componendasque Ecclesiae suae res, verum Summi etiam Pontificis auctoritate vocatus ad dirimendam difficillimi generis quaestionem Nolanum inter Episcopum ac Procerem Neapolitanum, nec non ad quasdam religiosas familias reformandas nullis neque curis neque molestiis periculisque deterritus est, quin commisso sibi gravissimo muneri cumulate satisfaceret. Dolens rudes agrestesque homines in rerum omnium ignoratione versari, quae ad animarum salutem necessaria sunt, peculiarem in patria sua sodalitatem instituit, quae eo curas intenderet, ut fidei praeceptis populum erudiret. Graviter porro angebatur secum animo reputans tam multas gentes remotis in regionibus Evangelii luce carentes sedere in tenebris atque umbra mortis; quapropter inflammabatur desiderio in illas oras demigrandi, ut verae religionis ibi lumen effunderet veramque fidem suo sanguine confirmaret. Verumtamen quum a S. Philippo Nerio intellexisset, se

suamque Congregationem ad Italiae populos instituendos vocari, divinae acquievit voluntati; sed tamen non abstinuit quin, si aliquam infidelibus opem afferre posset, experiretur. Itaque clarissimo Praesuli, cui praenomen Vives, quique pari in rem Catholicam studio raperetur, se libens adiunxit, initisque cum eo consiliis coetum instituit Presbyterorum, quibus id unum esset propositum adolescentes opportune informare remotissimas in regiones mittendos ad fidem quaquaversus propagandam. Atque ea ratione Venerabilis Dei famulus quaedam quasi semina iecisse dicendus est praeclari illius Instituti, quod Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum impensa curisque amplificatum, proferendae per universum terrarum orbem Catholicae fidei mirabiliter inservit. Plura etiam opera de re sacra, ac morali scripsit, quorum aliqua non sine magna animarum utilitate in vulgus edita sunt. Denique cum in sacris ministerii partibus explendis, nullam fere sibi quietis partem neque diurnae neque nocturnae permitteret, labore magis, quam aetate fractus Romae mortem obiit vitae tam sancte actae consentaneam. Quae de ipsius singulari virtute percrebuit opinio, aucta multo magis est posteaquam Ven: Dei famulus ex hac mortali statione discessit, accedentibus praesertim prodigiosis morborum sanationibus, quibus rerum omnium Dominus testatam voluit Servi sui sanctitatem. Quamobrem apud consilium Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium ritibus tuendis praepositorum instituta primum quaestio est de virtutibus, quibus Ven: Ioannes emicuisset, atque accuratissima pervestigatione adhibita

heroicum illas attigisse gradum declaravit gloriosae memoriae Benedictus XIV Decessor Noster Sexto Kalendas Ianuarii anno MDCCLVII. Iudicium postea institutum est de miraculis quae Venerabili Ioanne deprecante patrata divinitus ferebantur, rebusque omnibus diligentissime perpensis de unius miraculi veritate decretum edidit felicis recordationis Gregorius XVI Decessor Noster septimo kalendas Februarias MDCCCXXXII; alterum vero post accuratissimum examen veri exploratique prodigii loco Nos habendum ediximus Nonis februarii vertentis anni MDCCCLXI. Nihil proinde supererat, quam ut penes idem Cardinalium Consilium disceptaretur, num tuto procedi posset ad Beatorum caelitum honores Venerabili Ioanni deferendos. In generalibus proinde Comitiis coram Nobis habitis XV Kalendas aprilis currentis anni proposita ea quaestio fuit, omnesque quotquot aderant tuto id fieri posse concordi suffragio censuerunt. Nos igitur permoti precibus universae congregationis Clericorum Regularium a Matre Dei, de consilio et assensu Ven: Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium ritibus cognoscendis praepositorum, auctoritate Nostra Apostolica tenore praesentium facultatem impertimur, ut idem Ven: Dei famulus Ioannes Leonardi Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus, et reliquiae non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur. Praeterea eadem auctoritate Nostra concedimus, ut de eo recitetur Officium, et Missa de communi Confessoris, non Pontificis cum Orationibus propriis a Nobis approbatis iuxta rubricas Missalis, et Breviarii Romani.

Eiusmodi vero Officii recitationem fieri concedimus dumtaxat in dioecesi Lucensi, itemque in templo Almae Urbis S. Mariae in Porticu, ac in reliquis omnibus templis domorum ubi instituta reperitur Congregatio Clericorum Regularium a Matre Dei, die nona octobris ab omnibus Christifidelibus tam saecularibus quam regularibus qui horas canonicas recitare tenentur; et quantum ad Missas attinet ab omnibus sacerdotibus ad Templa in quibus festum celebretur confluentibus. Denique concedimus, ut anno a datis hisce Litteris primo solemnia Beatificationis Ven: servi Dei Ioannis Leonardi in templis Dioecesis et Congregationis, de quibus facta mentio est, celebrentur cum Officio et Missis duplicis maioris ritus, idque fieri praecipimus die ab Ordinariis indicenda, ac postquam eadem solemnia in Vaticana Basilica celebrata sint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii praedictae Congregationis Sacrorum Rituum subscripta sint, et sigillo Praefecti munita eadem prorsus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significatione hisce ostensis Litteris haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IX Iulii MDCCCLXI Pontificatus Nostri anno XVI.

Pro Domino Card. Pianetti

Io: B. Brancaleoni Castellani Substitutus

ERECTIO NOVI EPISCOPATUS VICTORIEN
IN REGNO HISPANIARUM
PRAEVIA DISMEMBRATIONE NONNULLARUM SEDIUM

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

In celsissima Militantis Ecclesiae specula, illo sic disponente Domino, qui rebus cunctis imperat, cuique omnia semper obediunt, nullis licet suffragantibus Nostris meritis constituti, ac ad universas orbis Ecclesias aciem Nostrae mentis intendentes, quid locorum splendori, quid populorum commoditati et felici statui, quidque eorum animarum bono magis congruat, potissimum contemplamur, ut in locis ipsis ceu necessitas postulat, Christianae plebis salus exigit et supremorum Principum de orthodoxa Religione optime meritorum eximia pietas et vota exposcunt novas Episcopales Sedes iuxta circumstantiarum opportunitatem etiam per viam aliarum dismembrationis erigamus, ut ita per novas erectiones huiusmodi, nova item populorum catholicae Ecclesiae augeatur adhaesio, ac fidei catholicae professio inibi validius efflorescat, dictorumque locorum incolae et personae honorabilium vigiliumque Praesulum assistentia, doctrina, et regimine suffulti proficiant semper in fide cum divini cultus propagatione,

et non careant in spiritualibus incrementa. Ecclesiasticis proinde negotiis in Hispaniarum Regno miserrime perturbatis efficacem opportunamque opem allaturi impensum contulimus studium et sollicitudinem, ut inter hanc Sanctam Sedem et ejusdem Regni Gubernium anno Dñi millesimo octingentesimo quinquagesimo primo ad religionis tutamen et incrementum iniretur Conventio per Apostolicas ejusdem anni Litteras incipientes « *Ad Vicariam aeterni Pastoris procurationem* » solemni sanctione roborata, cui alterum insequenti anno millesimo octingentesimo quinquagesimo nono superadditum fuit foedus, ut nimirum complexa rerum omnium statutarum summa facilius ad exoptatum exitum tandem perduceretur.

Et re quidem vera inter alia deliberari curavimus, ut ad exploratam illorum Christifidelium necessitatem atque utilitatem nova in universa Peninsula et Insulis adjacentibus Dioecesium divisio et circumscriptio fieret, nec non tres novae erigerentur Cathedrales Ecclesiae, quarum una in civitate Victoriae cum suo Dioecesano territorio ex iis finitimis circumsitis, nempe partim ex Burgensi, partim ex Calaguritana, partim ex Santanderiensi Dioecesibus, quam nimia protentis amplitudine accommodatius conficiendo.

Ast, quamvis haec generalis dispositio nondum ex condicto peragi potuerit, attamen Carissima in Christo Filia Nostra Elisabeth hoc nomine Secunda Hispaniarum Regina Catholica votis deputatorum Alaviae, Guipusiae et Cantabriae sibi ultro panditis pro sua pietate suffragando, enixas postulationes per Dilectum Filium Nobilem Virum Equitem Gherardum Souza ejus Plenipotentiarium Administrum suo no-

mine Nobis devotissime offerendas studuit, ut nova Victoriensis Episcopalis Sedes iam nunc feliciter institueretur.

Nos propterea, qui Pastoris Divini vices in terris gerentes, ea semper inquirere et statuere haud detrectamus, quae ad Christianum gregem alendum salubriusque depascendum potissimum benevertere censemus, quique omnia et singula, quae in relatis Conventionibus apprime deliberata sunt, observari, peragi penitusque adimpleri exoptamus, praenunciatas Elisabeth Reginae preces benigno favore prosequi volentes, ac omnium consensui quorumvis in hujusmodi negotio interesse habentium seu quomodocumque habere praesumentium Apostolicae auctoritatis plenitudine harum quoque serie supplentes, itemque singulos, quibus hae Nostrae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie respective absolventes et absolutos fore censentes; Motu Proprio et ex certa scientia deque Apostolicae item potestatis plenitudine tres Provincias, quae « Alavia, Guipuscoa, et Biscavia » vulgo nuncupantur, id est civilia earum territoria, quaque se protendunt, ideoque omnes inibi consitas Civitates, Oppida, Pagos, Rura, et Paroecias etiam Succursales una cum suis quibuslibet utriusque sexus incolis nec non adnexis terris cumque insimul cunctis Ecclesiis, Coenobiis, Monasteriis, Oratoriis, Beneficiis Ecclesiasticis, et piis cujuscumque generis Institutis, bonis, rebus, iuribus, et ceteris quibusque inhaerentibus, seu de jure deque more con-

comitantibus accessoriis penitus ab ordinaria jurisdictione, superioritate, regimine et administratione ecclesiastica Antistitum partim Burgensis, partim Calaguritani, partim Santanderiensis, partim denique Pampilonensis, qui a Dilecto similiter Filio Apostolicae Sedis apud effatam Catholicam Reginam jam rogati hujus rei opportunitatem et utilitatem, uti accepimus, recognoverunt, Apostolica auctoritate perpetuo eximimus, subtrahimus et liberamus.

Illico vero eadem praedictarum trium Provinciarum Territoria cum omnibus et singulis modo recensitis, aliisque inhaerentibus accessoriis sive realibus, sive personalibus, sive mixtis in propriam et separatam mox noviter erigendae Episcopalis Ecclesiae Victoriensis seu de Victoria Dioecesim simili Apostolica auctoritate etiam perpetuo praefinimus; reservando tamen nobis Nostrisque in Apostolica Cathedra Successoribus liberam facultatem Dioecesim ipsam aliquatenus dismembrandi, noviterque circumscribendi, si et quando propter eorum locorum in melius disponendorum circumstantias visum fuerit in Domino expedire; aliqua minime praetermissa territoriali compensatione, quae Calaguritano Episcopatui ob plurimarum novae Victoriensi Ecclesiae uniendarum Paroeciarum amissionem praestari posse censebitur, quando alia quoque Dioecesium Hispaniarum accommodatior circumscriptio fuerit adimplenda.

Quandoquidem civicum illud oppidum Victoria seu Victoriense nuncupatum, quod peculiaribus titulis et praerogativis, nec non opportunioribus commodis atque adminiculis, quam idonee inter cetera illa oppida eminere perhibetur, in civitatem Episcopalem, fruituram deinceps omnibus et singulis honoribus prae-

rogativis, iuribus, privilegiis, gratiis, indultis et quibusque ceteris, quibus aliae in Hispaniarum Regia Ditione civitates Episcopali Cathedra et residentia condecoratae de communi jure utuntur et gaudent, eadem Apostolica auctoritate perpetuo quoque evehimus.

Quum autem templum quod inibi sub titulo Beatissimae Virginis Mariae collegiale existit, magis idoneum decorumque existimetur, ac Sacrarium habeat sacra supellectile ad Pontificalia quoque peragenda praeditum, hanc quippe Ecclesiam e vestigio (praevia ejus tituli Collegialis perpetua suppressione et extinctione) ad Cathedralis Ecclesiae honorem et dignitatem pari Apostolica auctoritate perpetuo etiam attollimus, ita ut Ecclesia ipsa priscam eius invocationem conservatura sit, ac in ea perpetua erigatur Sedes, Cathedra et dignitas Episcopalis pro suo Antistite Victoriensi nuncupando, qui eidem Ecclesiae, Civitati, Clero, et Populo, universaeque Dioecesi cunctisque utriusque sexus incolis (iis tamen exceptis, qui hodie dum peculiari gaudent exemptionis privilegio) Episcopali cum jurisdictione et auctoritate praesit; Pastoralem Visitationem statutis per Sacros Canones temporibus obire satagat, Synodum Dioecesanam quandoque convocet, omniaque et singula officia et munia Episcopalia juxta sacros Canones legittimamque consuetudinem et Conventiones ipsas plane assequatur et exerceat, suum insuper praesto habeat Cathedrale Capitulum, uti inferius constituendum, cum suis Mensa, Arca, et Sigillo ceterisque Cathedralibus et Pontificalibus insigniis, praerogativis, honoribus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, indultis, itemque cum juribus realibus et personalibus ac mix

tis, ceterisque consuetis, quae alii Cathedralium Ecclesiarum in Regia Hispaniarum ditione Antistites ordinarie obtinent, utuntur atque tuentur.

Ceterum ad novam dictae Ecclesiae Victoriensis erectionem et incrementum ratas et quam solemnius acceptas decernimus sponsiones in id negotii datas, ita quod in primis Regium Hispaniarum Gubernium observanter efficiat, ut satis congruae, satisque commoda ac opportuna supellectile satis instructae aedes, nec non Cathedrali, quoad fieri poterit, proximae pro decenti Episcopi Victoriensis suorumque familiarium habitatione, proque ejus Curia et Cancellaria pleno perpetuoque cum dominio concedantur et assginentur. Cauto tamen, quod si actutum tot aedes hujusmodi in praefatos usus libero cum dominio adjudicari nequeant, ac interea oporteat eas aliquatenus pretio conducere, ejusmodi pretium ab ipso Gubernio erit persolvendum, quin Episcopalis Mensa ullatenus ad illud teneatur. Itemque, ut unusquisque Victoriensis in tempore Antistes valeat, eo quo par est decore, suam exhibere tuerique dignitatem, sartum tectumque esto juxta memoratas conventiones solvi ab Hispaniarum Gubernio praefato debere in singulos annos summam octoginta millium argenteorum illius monetae vulgo *Reales de Vellon*, quae a quibuscumque expensis exempta omnino sit, tum pro litteris Apostolicis sub Plumbo in singulis illius Episcopalis Cathedrae provisionibus, quas porro idem Gubernium solvet, tum pro aliis quibuslibet in Hispania jam requisitis, donec tot stabilia bona non minorem redditum purum in singulos annos adlatura, pleno liberoque cum dominio in id subrogata non

fuerint, servata etiam lege, ut pro iis quae administrationis et sacrae visitationis causa extraordinarie exquiruntur, itidem ab eodem Gubernio ad eiusdem conventionis normam unicuique Victoriensi in tempore Antistiti annua vice intra sexdecim et viginti millia eorumdem argenteorum conferantur. Quotiescumque autem huiusmodi novam Victoriensem Sedem utcumque vacare contigerit, rata pars redituum eius Episcopalis Mensae pro tempore vacationis debita, deductis tunc emolumentis, quae Oeconomo per Capitulum ipso actu electionis Vicarii Capitularis deputando respondeant, tum sumptibus ad congruentem Episcopalis Palatii restaurationem requisitis, inter Seminarium conciliare et futurum Praesulem aequaliter dividatur.

Iam vero juxta ea, quae consulto in effatis Conventionibus iam statuta observantur in praesignata Ecclesia (praevia omnimoda actualis collegialis coetus extinctione) illico Cathedrale Capitulum ex sexdecim constans capitularibus, nempe ex quinque Dignitatibus, quarum major id est Decani, qui semper primam sedem post Pontificalem obtineat, itemque Archipresbyteri, Archidiaconi, Cantoris, et scholae praefecti, ex quatuor insuper canonicis, qui de officio nuncupantur, scilicet Magistrali, Doctorali, Lectorali et Poenitentiario, eo demum aliorum Canonicorum, qui de Gracia vulgo appellantur, numero, qui in ipsis Conventionibus est praefinitus pro totidem Ecclesiasticis idoneis viris aequali prorsus voce et votis in suis Comitiis et quibusque deliberationibus singulatim gavisuris, quibus duodecim Beneficiati seu Cappellani Assistentes cum proportionali ministrorum

et inserventium numero convenienter adsciscantur, quique omnes in ipsamet Ecclesia ad instar aliarum viciniorum Cathedralium tum divina officia et munia ecclesiastica, tum onera et quaevis alia quae Capitulorum Cathedralium propria sunt rite diligenterque statutis temporibus obire teneantur; secus vero omnibus et singulis quibusque juribus, honoribus, gratiis, favoribus, indultis et privilegiis, quibus alia in dicta Hispaniarum ditione Capitula Cathedralia eorumque respective Dignitarii et Canonici quicumque ac Beneficiati ordinario legittimoque usu gaudent, uti et frui valeant, Apostolica auctoritate praefata perpetuo pariter instituimus; praecipiendo quod tum Dignitarii et Canonici, tum Beneficiati seu Cappellani praefati (licet ii pro meliori Cathedralium servitio in Presbyteros, Diaconos, et Subdiaconos dividantur) Sacerdotio tamen in posterum insigniti sint, quodque ii qui in suorum beneficiorum possessione adipiscenda hoc ordine caruerint, infra annum ipsi initiari sub poenis canonicis debeant.

Quae quidem Ecclesiastica munia et officia graviter ornateque obeundi gratia, eisdem Dignitariis et Canonicis ac Beneficiatis, ut ii in Choralibus, et Capitularibus functionibus peragendis ea gestare et adhibere queant, tam in ipsamet Cathedrali quam extra illam (intra tamen limites Dioecesis Victoriensis) indumenta et insignia ecclesiastica in regia Hispaniarum ditione modo aliis Capitulis Cathedralium suffraganearum Burgensis Metropolitanae respective concessa comperiuntur, dummodo tamen peculiari aliquo indulto vel oneroso titulo impertita non fuerint, simili Apostolica auctoritate perpetuo item concedimus,

et indulgemus, universoque huic Capitulo facultatem facimus Capitularia sibi conficiendi statuta, Ordinationes, Decreta, sacris quippe constitutionibus et Tridentino Concilio nec non conventionibus praefatis penitus consentanea, quae nihilominus ordinarii Antistitis approbatione indigeant, et subinde tantum efficacem legis vim sibi vindicare queant.

Etsi autem praedicti Collegialis coetus extinctiva suppressio exequutioni, uti praefertur, fuerit demandata, nihilominus, ceu in iisdem Conventionibus cautum est, expresse declaramus, ut qui primaevi hujus Capituli comperiuntur vel dignitates vel quosque canonicatus vel etiam Beneficia vel Cappellanias legittime hactenus possedisse, ii novo in Capitulo Cathedrali de consensu laudatae Elisabeth Reginae cooptentur, ejusque praebendas obtineant, prudenti quidem et sapienti infrascripti praesertim Exequutoris Apostolici delectu, quin canonicae investiturae vel novae possessionis actus quoscumque hac prima vice obire teneantur. Deinceps vero ut non modo Paroeciales praebendae praevio concursu et examine juxta sacrorum Canonum praescripta conferantur, sed etiam singulae huius Cathedralis Capituli praebendae sive Dignitariae sive Canonicales, sive Beneficiariae juxta modum in praefatis Conventionibus speciatim determinatum provideantur; moderatis ad earumdem Conventionum praescriptum nominationibus ad omnes hasce praebendas, tum pro iis quae summo Pontifici reservantur, tum pro iis quae praefatae Elisabeth Catholicae Reginae, nec non Ecclesiae Antistiti et Capitulo in singulis illarum vacationibus attribuuntur.

Porro donec tot bona stabilia non minores prorsusque puros annuos census redditura optabilius suffecta, plenoque cum dominio adjudicata non fuerint, quoad Capituli praefati dotationes sive congruas Praebendas, hae ita viritim erunt, ut quotannis ex publico Regii Gubernii aerario fideliter persolvantur, conventae statutaeque pensiones in singulos menses dispertiendae tum Decano, ceterisque Dignitariis, tum singulis Canonicis tam de officio quam de gratia, nec non ceteris Beneficiatis seu Cappellanis juxta modum et normam quae pro Cathedralium Ecclesiarum Capitulis in Conventionibus saepe relatis solemni sanctione pacta fuerunt, et modo observantiae sunt demandanda, confecta tamen ex tertia omnium harum Capitularium et beneficiorum dotationum seu pensionum parte massa quotidianarum distributionum in singulos dies et horas per Dignitarios et Canonicos nec non Beneficiarios choro praesentes tantum proportionabiliter lucrandarum juxta sacrorum Canonum praescriptum et normam, ut Divina officia ceteraque munia ecclesiastica et capitularia accurate frequententur. Quo vero ad opportunam perpetuamque illiusmet Ecclesiae Cathedralis Fabricae et Sacrarii tuitionem et provisionem, omnia eadem et singula, si extent, quaeque bona, reditus, et quaevis emolumenta, sive etiam praestationes et proventus ad necessaria impendia inibi obeunda stabiliter inviolabiliterque assignamus; praescripto tamen, ut dos ad sumptus divini cultus inibi decenter explendos, inspecto quoque novo splendidiori Cathedralitatis statu, nec desit neque impar habeatur, atque illa certa ratione ita coalescat, quod annui ejus redditus, quem-

admodum in relatis Conventionibus sancitum est, intra septuaginta et nonaginta eorumdem argenteorum millia a praefato regio Gubernio permanenter rependantur. Tandem quoad singulas parochiales Ecclesias totius Victoriensis Dioecesis id iuxta Conventiones ipsas, eam praesertim additionalem diei quintae augusti praefati anni millesimi octingentesimi quinquagesimi noni, sartum tectumque volumus, ut pro illarum unaquaque ad ejus incolumitatem jugiter servandam divinumque cultum inibi obeundum, firmiter adsignetur congrua annua summa, quae millibus dictae monetae argenteis nunquam et nullibi sit inferior, atque pro Parochis in Urbanis Paroeciis annuus in uniuscujusque Praebendam Parochialem redditus intra tria et decem millia; in Ruralibus vero duorum saltem millium et biscentum argenteorum similium constituantur, atque demum Parochorum huiusmodi Coadjutores et Canonici intra duo et quatuor millia argenteorum huiusmodi emolumentum obtineant; super quibus quidem adimplendis necessariis dotationibus Nos confidimus, eas omnes spectata Regalis Gubernii praefati cura et religione pro illorum Christifidelium necessitatibus etiam ad opportunitatem fore augendas.

Praeterea, quemadmodum in ipsis Conventionibus consultum et expressum fuit, pari Apostolica auctoritate praecipimus, quod idem Gubernium, quoad melius accuratiusque fieri cito poterit, juxta desponsam acceptamque fidem efficiat reapse, ut ad hoc opus vel de novo construatur vel comparetur planeque adjudicetur in Victoriensi civitate aedificium satis ample idoneum satisque decenter concinnum at-

que adeo necessaria supellectile praeditum, ubi latiori modo ut itidem, ut par est, ecclesiastica studia continuo excolantur, utque Seminarium ipsum ad jugem ejus sustentationem, prosperitatem, opportunumque incrementum congrua dotatione fulciatur, stabiliterque juxta Conventiones praedictas muniatur; nulla ceteroquin quavis de causa interjecta oppositione ut eo major inibi ali, educarique valeat proborum adolescentium ecclesiasticorum copia, quo magis in ea perampla Dioecesi nunc plurium Presbyterorum numerus in uberiorem Jesu Domini messem desideratur, servatis Sacri Concilii Tridentini Decretis, tum quoad ejusdem Seminarii regimen, tum quoad instructionem et bonorum administrationem.

Insuper ad Victoriensis Episcopatus et piarum institutionum tuitionem, id etiam ex superius enarratis Conventionibus constituimus, ut Ecclesia tota Victoriensis nec non Seminarium ipsum conciliare atque adeo singula Victoriensis Dioecesis Ecclesiastica et Religiosa quaeque Instituta, Corporationes et piae sodalitates plane sartam tectam praeseferant adeoque inviolabiliter tutari valeant, plenam prorsusque liberam facultatem et omnimodam potestatem retinendi, nec non absoluto cum dominio noviter acquirendi, fruendi et administrandi qualiacumque legittimi juris bona, res, proprietates, dotationes et redditus ecclesiasticos. Interim quoad proventus quoque quadragesimalis indulti, Dioecesanus Victoriensis eos administrabit, ac in suae Dioecesis beneficientiae Instituta et charitatis opera libere impendet, servata Apostolicarum concessionum forma. Quo vero ad Ele-

emosynas ex Bulla, ceu nuncupatur, Cruciatae per aliquot amplius annos indulgenter colligendas administrandas religioseque in designatos usus pios erogandas, jubemus, ut ea utique omnia et singula fideliter observanda penitusque adimplenda sint, quae tum in memoratis Conventionibus, tum in Apostolicis Litteris in forma Brevis diei trigesimae mensis Aprilis proxime praeteriti incipientibus «Dum infidelium furor» consulto disposita provideque mandata sunt, ita quod ii omnes eiusdem Bullae Cruciatae proventus conservandi, administrandi, adeoque juxta normam in hac ultima prorogatione ad rem indulti praescriptam erogandi omnino sint, salvis tamen obligationibus, quibus iidem proventus vi Conventionum cum hac Sancta Apostolica Sede initarum obnoxii dignoscuntur.

Postremo memoratam Victoriensem Episcopalem Ecclesiam, ubi erecta, et constituta fuerit, protinus in Metropolitanae Burgensis Suffraganeam cum omnibus et singulis iuribus, honoribus, praerogativis, favoribus, gratiis, privilegiis et ceteris cunctis, quae aliae ipsius Burgensis Archiepiscopatus Ecclesiae Suffraganeae de communi jure habere et tueri solent, dicta Apostolica auctoritate subjicimus, illiusque Canonicam taxam in singulis litterarum Apostolicarum sub plumbo expeditionibus, quotiescumque novus illi Ecclesiae Pastor praeficiendus erit, indulgentius, habita etiam peculiarium circumstantiarum ratione, in aureis Florenis de Camera quingentis et quinquaginta statuimus, sicque in libris camerae Apostolicae Sacrique Cardinalium Collegii inscribi et observari iubemus.

Praeterea summopere commendantes laudatae Hispaniarum Reginae Catholicae ejusque Gubernii datam fidem propensamque voluntatem satisfaciendi usque ad necessitatem et opportunitatem omnibus et singulis, quae in id totum opus requiruntur, juxta ea etiam, quae consulto provideque conventa utrinque sunt et sancita, laudatae Elisabeth Catholicae Hispaniarum Reginae, eiusque in illo Regno successoribus, ut tam in hac prima vice, quam in singulis subsequuturis Episcopatus Victoriensis vacationibus intra tempus per Sacros Canones praefinitum idoneam dignamque Personam Victoriensi Cathedrali per Nos seu Romanum Pontificem praeficiendam apud hanc Apostolicam Sedem nominare seu praesentare valeat, Apostolica item auctoritate perpetuo similiter concedimus et indulgemus; servatis ceteroquin de Canonico jure deque more servandis, exceptisque casibus vacationum Sanctae Romanae Ecclesiae speciatim a jure ipso jam reservatis.

Ulterius intendimus, ut cuncta ad res, jura et personas ecclesiasticas respective pertinentia, de quibus nec in praecitatis Conventionibus, neque in hisce praesentibus ulla facta fuit mentio ullaque illata specialis providentia, ea omnia juxta canonice vigentem Ecclesiae disciplinam ultro habenda, dirigenda, et declaranda erunt; ideoque praecipimus, ut postquam eaedem praesentes exequutioni mandatae fuerint, tunc ea singula documenta, processus, causarum positiones, piarum fundationum et legatorum instrumenta, quaeque denique scripta dismembrandarum Provinciarum earumque Paroeciarum sive res sive jura sive personas quoad forum ecclesiasticum re-

spicientia, queant ad opportunitatem inquiri, secerni, et ab Ecelesiasticis Cancellariis Burgensi, Calaguritana, Santanderiensi et Pampilonensi extrahi, ut in altera novi Episcopatus Victoriensis Cancellaria fideliter pro necessitate reponantur et adserventur.

Praesentes quoque litteras de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, aliove quocumque vitio, seu intentionis Nostrae, aut quolibet alio defectu quamvis juridico et substantiali, etiam ex eo quod quicumque in praemissis omnibus et singulis quomodolibet interesse habentes, vel habere putantes, vel praetendentes, cuiuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis et dignitatis existant, ad id vocati, citati et auditi non fuerint, ac iisdem praesentibus non consenserint, ac causae, propter quas praemissa omnia et singula emanaverint, minime vel minus sufficienter examinatae fuerint, et ex quacumque alia causa quantumvis legittima, pia, privilegiata ac speciali nota digna impugnari, retardari, invalidari, infringi, aut irritari, seu ad viam et terminos juris reduci, ac adversus illas oris aperitionem, aut aliud quodcumque juris vel facti remedium etiam ex capite laesionis quantumvis enormis et enormissimae, vel cujuscumque praejudicii impetrari, ac etiam scientia, motu et potestatis plenitudine paribus per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros quomodolibet contra praemissa concessum acceptari, ac in judicio et extra illud alligari, deduci aut alias illo quomodocumque uti non posse, quin imo omnia et singula praemissa semper et perpetuo firma, valida, et efficacia existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illaque sub quibuscumque si-

milium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam consistorialibus minime comprehendi, nec comprehensa aliquo modo censeri, sed semper ab illis excipi, et quoties illa emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restituta, reposita, et plenarie reintegrata, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessa esse et fore; sic et non alias per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, et Apostolicae Sedis Nuncios, ac alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, praerogativa, privilegio, honore et praeeminentia fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane decernimus.

Quocirca Venerabili Fratri Laurentio Barili Archiepiscopo Tianensi et apud Regiam Hispaniarum Aulam Nuntio Apostolico per ipsas praesentes committimus et mandamus, quatenus ad exequutionem praemissorum omnium et singulorum procedat, necessarias et opportunas ei impertiendo facultates, quibus is in id negotii valeat etiam aliam idoneam probamque personam in ecclesiastica dignitate iam constitutam subdelegare, ita tamen ut idem Laurentius Archiepiscopus vel ejus Subdelegatus debeat, collato cum dicto Regio Gubernio consilio, sum-

mam annuam causa administrationis et visitationis per eam peramplam Dioecesim Episcopo Victoriensi permanenter rependendam statuere, possitque et satagat ea cuncta declarare, curare, decernere ac definitive omni appellatione remota pronuntiare, quae ad hoc negotium exoptate perficiendum oportuerint.

Non obstantibus nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, etiam de gratiis non concedendis ad instar, deque suppressionibus ad partes committendis vocatis quorum interest, nec non Lateranensis Concilii celebrati dismembrationes perpetuas, nisi in casibus a jure permissis, fieri prohibentis, aliisque etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Universalibusque Conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis quibusvis Superioribus et personis in genere vel in specie etiam sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatóriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis ac insolitis clausulis irritantibusque aliis Decretis etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus ac etiam consistorialiter, seu alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et invocatis, quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes,

illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse ad effectum praesentium, et validitatis omnium et singulorum praemissorum, hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, harum quoque serie, derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quod dictus Laurentius Archiepiscopus eiusque Subdelegatus in exequutoriali Decreto naturales novae Victoriensis Dioecesis fines describere ac respectiva sive Civitatum sive Oppidorum sive Paroeciarum singularum nomina et habitantium numerum perhibere, itemque sex intra menses ab expleta earumdem praesentium exequutione authenticum exemplar quorumvis Decretorum, quae ad hoc opus feliciter perficiendum ferenda fuerint, ad hanc Apostolicam Sedem transmittere teneantur, ut in Archivio Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consistorialibus negotiis praepositae ad perpetuam rei memoriam et normam custodiantur.

Volumus etiam, ut praesentium litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicujus Notarii Publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiatica constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra illud adhibeatur, quae iisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, exemptionis, dismembrationis, praefinitionis, evehectionis, erectionis, assignationis, institutionis, concessionis, statuti, praecepti, constitutionis, jussi, subiectionis, indulti, intentionis, de-

creti, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud s. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo primo, sexto Kalendas octobris, Pontificatus Nostri anno sexto decimo.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXX SEPTEMBRIS MDCCCLXI.

VENERABILES FRATRES

Meminit unusquisque vestrum, Venerabiles Fratres, quanto animi Nostri dolore in hoc amplissimo vestro consessu saepissime lamentati simus gravissima et nunquam satis deploranda damna catholicae Ecclesiae, huic Apostolicae Sedi, Nobisque cum maximo ipsius civilis societatis detrimento illata a Subalpino Gubernio , atque a funestissimae rebellionis auctoribus et fautoribus in miseris praesertim Italiae regionibus, quas idem Gubernium iniuste aeque ac violenter usurpavit. Nunc vero inter alia innumera et semper graviora vulnera sanctissimae nostrae religioni ab ipso Gubernio, et nefariae conspirationis hominibus indesinenter inflicta dolere cogimur, Dilectum Filium Nostrum clarissimum vestrum Collegam, ac vigilantissimum Neapolitanae Ecclesiae Archiepiscopum pietate ac virtute conspicuum, quem hic praesentem intuemini, militari manu fuisse comprehensum, et a proprio grege cum ingenti bonorum omnium luctu avulsum. Omnes autem norunt quomodo eiusdem Gubernii et rebellionis satellites omni dolo et fallacia pleni, atque abominabiles facti in viis suis veterum haereticorum molitiones et furores renovantes, et contra sacra omnia debacchan-

tes, Dei Ecclesiam, si fieri unquam posset, funditus evertere, et catholicam religionem, eiusque salutarem doctrinam ex omnium animis radicitus extirpare, et pravas quasque cupiditates excitare et inflammare connitantur. Hinc, omnibus divinis humanisque proculcatis iuribus, et ecclesiasticis censuris omnino spretis, Sacrorum Antistites audacius in dies a propriis Dioecesibus expulsi, atque etiam in carcerem missi, et quamplurimi fideles populi suis orbati Pastoribus, et utriusque Cleri viri miserandum in modum divexati, omnibusque iniuriis exagitati, et Religiosae Familiae extinctae, earumque Sodales e suis Coenobiis eiecti, ad rerum omnium inopiam redacti, et Virgines Deo Sacrae panem emendicare coactae, et religiosissima Dei templa spoliata, polluta , et in latronum speluncas conversa , et sacra bona direpta , et ecclesiastica potestas, ac iurisdictio violata , usurpata , et Ecclesiae leges despectae et conculcatae. Hinc publicae depravatarum doctrinarum scholae constitutae, et pestiferi libelli et ephemerides e tenebris emissae, ac late per omnia loca immanibus huius scelestae coniurationis sumptibus dissipatae. Quibus perniciosissimis et abominandis scriptis sanctissima fides, religio, pietas, honestas, pudicitia, pudor, omnisque virtus oppugnatur, ac vera et inconcussa aeternae naturalisque legis, ac publici, privatique iuris principia, praecepta evertuntur, et legitima cuiusque libertas, proprietas impetitur, ac domesticae cuiusque familiae et civilis societatis fundamenta labefactantur , omniumque bonorum fama falsis criminationibus, maximisque laceratur conviciis, et effrenis vivendi, et quidlibet audendi licen-

tia, omniumque vitiorum et errorum impunitas maiorem in modum fovetur, propagatur, ac promovetur. Nemo vero non videt quam luctuosa omnium calamitatum, scelerum, et exitiorum series ex hoc tanto impiae rebellionis incendio in miseram praesertim Italiam redundaverit. Etenim, ut Prophetae verbis utamur, « *maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit* » (1). Horret quidem refugitque dolore animus, et commemorare reformidat, plura in Neapolitano Regno oppida incensa et solo aequata, et innumerabiles prope, integerrimosque Sacerdotes Religiososque viros, et cuiusque aetatis, sexus et conditionis cives, ac vel ipsos aegrotantes indignissimis contumeliis affectos, et, indicta etiam causa, aut in carcerem detrusos, aut crudelissime necatos. Ecquis non acerbissimo conficietur moerore videns, a furentibus rebellionis hominibus nullam sacris Ministris, nullam Episcopali, et Cardinalitiae dignitati, nullam Nobis, et huic Apostolicae Sedi, nullam sacris templis et rebus, nullam iustitiae, nullam humanitati reverentiam haberi, sed omnia excidiis et vastationibus compleri? Haec autem ab iis patrantur, qui minime erubescunt summa impudentia asserere, se velle Ecclesiae libertatem dare, et moralem sensum Italiae restituere. Neque illos pudet a Romano Pontifice postulare, ut iniustis eorum desideriis annuere velit, ne maiora in Ecclesiam damna redundent.

Atque illud quoque vel maxime dolendum, Ve-

(1) Oseas cap. 4. v. 2.

nerabiles Fratres, quod nonnulli ex utroque Clero in Italia viri ecclesiastica etiam dignitate ornati tam funesto aberrationis et rebellionis spiritu misere abrepti, ac propriae vocationis et officii omnino obliti a veritatis tramite declinaverint, et pravis impiorum hominum consiliis faventes cum incredibili bonorum omnium luctu facti sint lapis offensionis et petra scandali.

Ad haec autem quae deploramus mala illud etiam permolestum accedit, quod haud ita pridem in Mexicana ditione eiusdem generis homines simili contra catholicam Ecclesiam odio incensi non extimuerunt iniquissimas leges eiusdem Ecclesiae potestati, iuribus, doctrinae plane adversas promulgare, ecclesiastica bona praedari, sacras aedes spoliare, in ecclesiasticos religiososque viros saevire, Virgines Deo devotas divexare, Episcopos variis oppressos iniuriis a suis gregibus distrahere, et in exilium pellere, qui fere omnes in hanc almam urbem Nostram venerunt, et non levi Nobis solatio fuere propter egregias virtutes, quibus tantopere praestant.

Neque id satis, nam in alia Americae parte, scilicet in Neogranatensi ditione recentissimis hisce diebus rerum civilium perturbatores suprema auctoritate potiti infandum protulere decretum, quo ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere prohibetur absque civilis gubernii venia et assensu, et inclytae Societatis Iesu Sodales de re christiana et civili optime meritos exturbarunt, atque insuper Nostrum, Sanctaeque huius Sedis Delegatum a ditionis finibus triduo abire coegerunt.

Enimvero in hac tanta tamque tristi omnium

divinarum humanarumque rerum perturbatione vel facile intelligitis, Venerabiles Fratres, quanta affligtemur amaritudine. In maximis vero curis, et angustiis, quas sine peculiari Dei auxilio ferre nullo modo possemus, summae certe consolationi Nobis est eximia Venerabilium Fratrum tum Italiae, tum universi catholici orbis Sacrorum Antistitum religio, virtus ac fortitudo. Namque iidem Venerabiles Fratres arctissimo fidei, caritatis et observantiae vinculo Nobis, et huic Petri Cathedrae mirifice obstricti, nullisque periculis deterriti, cum immortali sui nominis et ordinis laude proprium ministerium implentes non desinunt tum voce, tum sapientissimis scriptis Dei, Eiusque Sanctae Ecclesiae, et huius Apostolicae Sedis causam, iura, doctrinam, et iustitiae atque humanitatis rationes impavide defendere, propriique gregis incolumitati diligenter consulere, ac falsas et erroneas inimicorum hominum doctrinas refellere, et impiis illorum conatibus viriliter constanterque obsistere. Nec minori quidem iucunditate perfundimur, cum videamus quot splendidis sane modis ecclesiastici tum cuiusque Italicae regionis, tum totius christiani orbis viri, et fideles populi illustria suorum Antistitum vestigia sectantes singularem suum erga Nos, et hanc Apostolicam Sedem amorem, venerationemque, et egregium in sanctissima nostra religione profitenda ac tutanda studium magis in dies ostendere ac declarare glorientur. Cum autem iidem Venerabiles Fratres, eorumque Clerus et fideles populi summopere doleant, Nos fere omni civili Nostro, et huius Sanctae Sedis principatu spoliatos in angustis rebus versari, iccirco nihil sibi gratius, nihil

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Vel a primis Pontificatus Nostri temporibus intelligentes in quam curam atque laborem et in quae Christianae Reipublicae tempora Deus Optimus Maximus Nos, licet indignos, vocavisset, nunquam ea gerere et mandare destitimus, quae ad animarum Christifidelium salutem tuendam, ad errores amovendos, ad Catholicam Religionem in universum qua late patet orbem quoquomodo propagandam, et ampliandam utiliora esse consilium, ratio, Nostrorum Praedecessorum exempla suadebant, neque unquam occasiones omnes quae ad tantae sollicitudinis opus praefiniendum sese nobis ultro offerebant arripere desivimus.

Hinc cum in Haitanae Reipublicae Ditione in Indiis Occidentalibus dominica messis adeo in dies succreverit, ut ad evangelicam inibi villicationem utiliter promovendam Apostolicae Providentiae sollicitudo animum omnem illuc convertere suadeat, Nos hujusmodi exigentiis respondere satagentes, novam ex universo ipsius Reipublicae territorio Ecclesiasticam Provinciam conficere deliberavimus. Huic vero negotio quamcitius, uti par est, executioni mandando prospere successit, quod jam superiore anno millesimo octingentesimo sexagesimo sub die vigesima octava

mensis martii inter hanc S. Sedem Apostolicam et Haitanum Gubernium inita fuerit Conventio, quae sub die vigesima quinta subsequentis septembris rata utrinque extiterit solemniterque confirmata. Ita enim, quemadmodum opus erat, impensa ejusdem Gubernii religione non solum satis prospectum est iis omnibus, quae potissimum vel necessaria vel opportuna ad singulas hujusmet operis dotationes requiruntur, verum etiam ceteris, quae ad rectum totius Dioecesis regimen et administrationem interesse ac magis expedire censebantur.

Quibus praeordinatis ac statutis, quum dilecti filii Optimates qui in Haitana Ditione praedicta supremum publicae rei locum obtinent humillimas Nobis offerre supplicationes properaverint implorandi gratia, ut inter alias Episcopatum etiam Capitis Haitani actutum erigere clementissime dignaremur, Nos qui inter plurimas Apostolici ministerii curas, quibus undique premimur, illam quidem excellentiorem esse censemus novos, tamquam fidei tentoria, Episcopatus novosque in Ecclesia Dei Pastores instituere, per quos orthodoxa Religio augeatur et Christifidelibus spiritualia vere obvenerint auxilia, susceptas ab eodem Gubernio postulationes piaque vota benigno favore prosequi volentes, ac in eis contentas aliasque ipsius Gubernii deliberationes et confirmatas, quoad opus est, sponsiones acceptas ratasque inviolabiliter habentes, nec non omnium et quorumcumque in hujusmodi negotio interesse habentium, vel quomodolibet habere praesumentium consensui ex suprema in singulas Ecclesias auctoritate Apostolica, quam plenius harum serie quatenus opus sit sup-

plentes, omnesque et singulos, quibus hae Nostrae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes ; cunctis , quae inspicienda erant matura deliberatione perpensis, motu proprio et ex certa scientia deque Apostolicae potestatis plenitudine totum illum circulum provincialem qui vernacule « *Département du Nord* » appellatur, quique praesertim haec continet oppida seu Paroecias , nempe Cap Haitien - Milot - Limonade - Tron - Vallière - Ferrier - Ronge - Fort Liberté - Occanaminthe - Grande Rivière du Nord - Domon - Ranquitte annexe - Saint Raphael annexe - Acul du Nord - Plaine du Nord - Limbe - Plaisant Borgne - Port Margot - Saint Michel de l'atalaye - Mannulade - et Hinche una porro cum suis omnibus utriusque sexus incolis nec non adnexis terris, Ecclesiis, Oratoriis , piis cujusque generis Institutis , bonis , juribus et ceteris inhaerentibus et de more concomitantibus accessoriis , a quavis pristina superioritate , jurisdictione , regimine atque administratione Ecclesiastica perpetuo Apostolica auctoritate eximimus penitusque liberamus. Ipsumque circulum una cum omnibus et singulis modo recensitis aliisque inhaerentibus itemque de more concomitantibus accessoriis tum realibus, tum personalibus, tum mixtis e vestigio in propriam mox noviter erigendae Episcopalis Ecclesiae Capitis Haitani Dioecesim simili Apostolica auctoritate etiam perpetuo praefinimus ; reservando tamen Nobis sanctaeque Apo-

stolicae Sedi praedictae liberam facultatem Dioecesim ipsam, quoquo tempore et modo ratum fuerit in Domino expedire, noviter circumscribendi, ac impertiendo dumtaxat futuro et pro tempore existenti Episcopo Capitis Haitani potestatem, qua si, et quando innotuerit probeque constiterit necessarium esse, vel etiam commodius et pro animarum cura utilius, ut quaedam ejusmet Dioecesis Paroeciae aliquatenus circumscribantur, atque aliae noviter confiniantur, tunc porro negotia huiusmodi adhibitis quippe cum Haitanae Reipublicae Gubernio consiliis ad ea praesertim quae canonice oportent pro unaquaque Parochiali Ecclesia et congruis Praebendis earum rectoribus et Parochorum vicariis coadiutoribus assignandis componere ac intra Dioecesanos tantummodo fines penitus explere possit et valeat.

Quandoquidem civicum oppidum Cap - Haitien nuncupatum, quod inter praefati provincialis circuli loca necessariis praerogativis apprime pollere censetur, ad civitatem Episcopalem, fruituram deinceps omnibus et singulis honoribus, juribus, favoribus, gratiis, indultis, privilegiis et ceteris, quibus aliae illarum partium civitates Episcopales ordinarie gaudent, atque utuntur, eadem Apostolica auctoritate perpetuo quoque evehimus.

Iccirco templum, quod infrascripto Apostolico Delegato in id negotii specialiter deputando visum fuerit in eadem Capitis Haitani civitate commodius tum amplitudine tum sacrae supellectilis idoneitate praestare, et ab ipso seligatur, ad Ecclesiae Cathedralis honorem et dignitatem, pari Apostolica auctoritate perpetuo quoque attollimus, ita ut Ecclesia ipsa Episcopalis primaevam invocationem, et si forsan habuerit

parochialitatem et animarum curam sedulo, uti juris et moris est, navandam conservatura sit, ac in ea perpetuo erigatur Sedes, Cathedra et dignitas Episcopalis pro uno Antistite Capitis Haitani nuncupando qui eidem Episcopali Ecclesiae, Civitati, Dioecesi, Clero et Populo praesit, cooptando sibi suo lubitu in ipsius Dioecesis navando regimine, et administratione Vicarium Generalem, cui unum vel etiam alterum adjungere fas erit, si prae nimia locorum inter se dissitorum longinquitate aliarumque circumstantiarum gravitate id necessarium aut valde opportunum, et salutare censeatur. Itemque Religionem Catholicam Apostolicam Romanam, sicut consulto in praenunciata Conventione sancitum est, impense curet, iis cum juribus, et praerogativis, quibus ex Dei ordinatione, sacrorumque canonum sanctionibus frui debet, sartam tectamque semper servare, quique nimirum liber sit, quin ab ullo unquam possit quovis titulo praepediri, pro Ecclesiasticarum rerum suaeque Dioecesis regimine tum in Vicarium ipsum Generalem, tum in consiliarios et adjutores eligere, atque instituere eos quotquot Ecclesiasticos viros, quos ad hujusmodi munia idoneos et opportunos aestimaverit, ad clericalem statum admittere, subindeque ex approbatis juxta sacros canones titulis eos, praevio regulari examine, ad majores etiam ordines promovere, quos et quotquot ipse censuerit, vel necessarios vel utiles in messem Domini, eos e contra prudenti suo arbitrio a quorumvis Ecclesiasticorum Ordinum susceptione arcere, quos vel prorsus inhabiles, vel indignos dijudicaverit; testimoniales lubitu suo conferre, nec non litteras iis Dioecesanis Ecclesiasticis, qui rationabiliter optent e propria Dioecesi

decedere, ut vel majoribus studiis Ecclesiasticis alibi satius operam dare, vel ordines Ecclesiasticos accipere, vel valetudini, aut quibusque suis honestis rebus prospicere, vel demum suum domicilium alibi constituere valeant; testimoniales insuper examinare exterorum Ecclesiasticorum, qui ad suam dioecesim venerint sive suscipiendi quemvis Ecclesiasticum Ordinem, sive moram licet brevem illic degendi gratia; praeterea matrimoniales causas atque alias ex Sacrorum Canonum praescripto ad judices Ecclesiasticos pertinentes in foro suo cognoscere; tandem suo cum Clero ac Populo Dioecesano ad Pastoralis ministerii munia rite salubriterque obeunda communicare, atque ad id suas instructiones, ordinationes et decreta publicare; ac communionem cum praefata Apostolica Sede nullis obnoxiam impedimentis aut difficultatibus, sed prorsus liberam sibi suoque Clero et Populo adhibere planeque tueri.

Porro unicuique Capitis Haitani Antistiti pari Apostolica auctoritate largimur, ut is nomen, titulum, praeeminentiam, et dignitatem Episcopalem praeseferat, ac iis omnibus, et singulis, quae ordinarie Episcoporum propria sunt, fruatur, et defungatur, itemque Episcopali cum jurisdictione praesidentia et auctoritate tam super ea Capitis Haitani Cathedrali Ecclesia et Dioecesi, quam super universis utriusque sexus incolis (qui tamen peculiari exemptionis privilegio non utantur) valeat et debeat illa quaevis sive personalia, sive realia, sive mixta jura, munia, honores, facultates, privilegia, et quaevis alia, quae ad Sacrorum Canonum et Apostolicarum Constitutionum normam obtinent, iisque gaudent et defunguntur il-

larum partium Episcopi habere, tueri, et exercere ac proprio itaque jure libereque queat ea cuncta super iis omnibus et singulis facere, gerere, administrare, inquirere, decernere, ac demum executioni mandare, quae Episcopis juxta Sacros Canones in proprias Ecclesias Dioeceses et incolas concredita, attributa, et commissa comperiuntur; cauto verumtamen, ne quis novus Antistes ante suae consecrationis Episcopalis susceptionem possit super praepositam sibi Ecclesiam et Dioecesim ullatenus praesumere, multoque minus exercere ordinariam jurisdictionem. Quam quidem et administrationem penitus obire ac Synodum etiam Dioecesanam aliquando convocare, et peragere libere valeat, postquam rite institutus, et consecratus fuerit, atque adeo commissi Episcopatus possessionem adiverit.

Jamvero ad novam dictae Ecclesiae Capitis Haitani erectionem, et incrementum, ratas, et quam solemnius acceptas esse decernimus eas laudati Gubernii Haitani religiosas sponsiones ad hanc S. Sedem consulto perhibitas, satisfaciendi nempe usque ad necessitatem majoremque opportunitatem ea omnia, quae in id totum opus requiruntur. Ita igitur diligenti cura et pleno sumptu ipsius Gubernii Haitani protinus comparentur, opportunaque supellectile decenter instructae assignentur perpetuoque adjudicentur tot satis commodae, satis amplae, satisque elegantes aedes quot pro Capitis Haitani Episcopi condigna residentia eiusque Vicarii Generalis habitatione, tum etiam pro curia seu Cancellaria Ecclesiastica oportere solent, commendantes ut Episcopale praesertim palatium, quoad fieri poterit, illi Ca-

thedrali Ecclesiae sit proximum, ac statuentes quod si actutum nequeant tot huiusmodi aedes in praefatos usus directo cum dominio addici, intereaque donec vel emantur, vel omnino aedificentur, eas singulas pretio conducere oporteat, hoc in casu ejusmet conductionis pretium ab eodem Gubernio persolvendum erit, quin Episcopalis Mensa ullatenus ad illud teneatur.

Verum quum in promptu haud habeantur stabiles fundi, ex quorum redditibus Capitis Haitani in tempore Antistes suam valeat et debeat, quo par est decore, Episcopalem dignitatem tueri et exsolvere, impendia pro eiusmet Episcopatus administratione ultra ceteras expensas, quae pro Vicarii Generalis honorario, proque administrorum Ecclesiasticae Curiae et Cancellariae stipendiis congrue a laudato Gubernio obeunda sunt; hinc Nos, habita hodiernarum circumstantiarum benigna ratione, dicta Apostolica auctoritate indulgemus, ut pro congrua Capitis Haitani Episcopatus Mensa certo certius annua constituatur summa duodecim millium Francorum monetae illarum partium quae ex publico Haitani Gubernii aerario, sicuti ab eo sponsum est, in duas aequas solutiones alteram nempe die prima mensis Ianuarii, alteram autem die prima mensis Iulii cujuslibet anni, diligenter rependatur, donec tot stabilia bona non minorem nullique deductioni obnoxium redditum quotannis adlatura pleno liberoque cum dominio favore ipsius mensae subrogata non fuerint.

Ad Capituli Cathedralis vero quod attinet, Nos, habita ratione penuriae Sacerdotum quae illic hactenus perhibetur, Apostolica interim auctoritate jube-

mus, ut quamcitius fieri poterit, juxta sacrorum Canonum praescripta, Capitulum inibi instituatur, quod primitus ex quinque saltem constet Canonicis, quorum alter primam Archidiaconi dignitatem, alter secundam Theologi, alter tertiam Poenitentiarii cum suis muniis, honoribus, et oneribus ex jure Canonico, et Apostolicis Constitutionibus respective adnexis praeseferant. Alii vero duo vel plures canonici sunto simpliciter titulares. Quique omnes, et singuli divina officia, et Ecclesiastica munia ac cetera omnia, quae Cathedralium Capitulorum propria sunt, rite diligenterque obire teneantur ac cunctis juribus, honoribus, gratiis favoribus, indultis, et privilegiis, quae alia illarum partium Capitula Cathedralia eorumque singuli Praebendati respective obtinent; dummodo legitimo in usu sint, nec peculiari ex concessione aut oneroso titulo postulata et adquisita, gaudere debeant. Spe insuper Nos freti, quod pro Ecclesiasticis functionibus impensius peragendis et bonorum operum fructibus inter eos Christifideles magis in dies multiplicandis iste Canonicorum numerus aliquando augeatur, atque adeo aliquot Cappellani seu mansionarii superaddantur, indulgentes, ut Episcopus pro tempore Capitis Haitani libere conferre valeat nominationem et institutionem, quam vocant etiam investituram, ad huiusmodi Cathedralis Capituli Dignitates et Canonicatus itemque ad Cappellanias seu Mansionarias, quandocumque fuerint inibi constitutae, nec non ad Parochialia per totam Capitis Haitani Dioecesim obtinenda et possidenda beneficia proindeque ad Paroeciales quoque Vicarias seu Coadjutorias forsan adsciscendas; cauto ceteroquin, ut si constituendae Cathedrali

Ecclesiae animarum cura adnexa fuerit, ea habitualis penes ipsum Capitulum resideat, actualis vero per Parochum ab Episcopo dehinc rite instituendum exerceatur, ac si et quando ipsi Episcopo in Domino oportere vel satius expedire visum fuerit, alter vel etiam plures coadiutores Presbyteri congruis pensionibus remunerandi adsciscantur.

Cui quidem futuro Capitulo, ut omnes, et singuli ejus Dignitarii, et Canonici, ac Cappellani seu Mansionarii in Choralibus, et Capitularibus quibuscumque functionibus peragendis, tam in dicta Cathedrali quam extra illam, Dioecesanos tamen intra limites, indumenta et insignia Ecclesiastica, quae Dignitariis ac Canonicis et Cappellanis et Mansionariis aliorum viciniorum huiusmodi Capitulorum respective concessa comperiuntur, usuque hactenus comprobantur, dummodo peculiari ex indulto aut oneroso titulo non fuerint collata et adquisita, licite libereque deferre adhibere et induere valeant simili Apostolica auctoritate etiam perpetuo concedimus, eidemque Capitulo, ubi fuerit sicuti desuper constitutum, ex nunc veniam et facultatem tribuimus et impertimur conficiendi sibi capitularia statuta, ordinationes et decreta sacris quippe Canonibus et Constitutionibus Apostolicis ac Tridentino praesertim Concilio nullatenus adversantia, sed penitus consentanea, quae ordinarii Antistitis approbatione indigeant, ut subinde efficacem legis vim habere queant.

Atque ut istius Capituli Cathedralis aliaeque dioecesanae Praebendae a probis semper et eruditis idoneisque regantur Ecclesiasticis viris tum divinis et Ecclesiasticis muneribus, tum animarum aedificationi, pabulo, aeternaeque saluti operam fructuose navaturis,

hincpari Apostolica auctoritate praecipimus, quod, sicuti par est, propensa effati Gubernii Haitani sollicitudine ac sumptu quam primum pro Capitis Haitani Cathedrali Ecclesia erigatur, et opportuna etiam supel - lectile instituatur Seminarium juxta canonicas leges et formas in omnibus dirigendum et administrandum ab Episcopo Capitis Haitani, cujus erit Rectores inibi et professores nominandi, et si quando intererit, exonerandi et dimittendi, ibique eos alendos docendosque admittendi adolescentes, quos dignos, idoneos, adeoque indole moribus et ingenio comparatos ad suae Dioecesis necessitates bonum et spirituale commodum probe responsuros existimaverit. Qui quidem Episcopus in suo obeundo munere super orthodoxae fidei morumque doctrina invigilandi, ne dum quoad illud Seminarium, verum etiam quoad Universitates, Accademias, vel Gymnasia, vel alias scholas publicas privatasque nullo modo erit impediendus.

Profecto cum maxime intersit congruas dotationes necessario usque ad opportunitatem, sicuti est in more institutoque positum, componere pro annuis singulis praefati Capituli Praebendis proque quibuscumque impendiis in ejus Cathedralis fabricam et sacrarium continuo conferendis, tum denique pro erigendi Seminarii Dioecesani substentatione et incremento; hinc dicta Apostolica auctoritate statuimus, ut quemadmodum a laudato Gubernio sponsum est, hae singulae dotationes ad aliarum viciniorum Cathedralium Ecclesiarum normam protinus inter infrascriptum praesentium Exequutorem, sin autem inter Capitis Haitani Episcopum et Haitanum ipsum Gubernium concilientur, ac certo perpetuoque modo

singulatim adjudicentur, sarto tectoque jure quocumque favore Episcopalis mensae ac Ecclesiae Cathedralis illiusque Capituli et Seminarii, nec non aliarum quoque minorum Ecclesiarum et quorumvis piorum institutorum quandocumque in ea tota Dioecesi extantium bona stabilia libere liciteque legandi, adquirendi, plenoque et absoluto cum dominio possidendi, administrandi et vindicandi, quin ea et alia quaeque quarumvis piarum fundationum bona et pia instituta nequant cum aliis confundi, commutari, aere alieno gravari, multoque minus distrahi, absque Sedis Apostolicae auctoritate, salvis tamen facultatibus a Concilio Tridentino Episcopis consulto tributis, ac firmis Ecclesiae doctrina ejusque disciplina ab Apostolica Sede approbata quoad cetera hic enucleatius non recensita, quae sive ad personas sive ad res Ecclesiastico intuitu pertinent.

Porro inspecto eventu vacationis praefatae Cathedralis Ecclesiae Capitis Haitani declaramus, ut quoties Ecclesiam ipsam viduari contigerit, statim juxta Sacrorum Canonum praescriptum, ii Dignitarii et Canonici debeant Vicarium Capitularem eligere ad illius Cathedralis ac Dioecesis regimen et administrationem ordinariam interim probe utiliterque navandam. Quod si vacatio huiusmodi prius acciderit, quam Capitulum Cathedrale constitutum fuerit, hoc in casu habita quidem Ecclesiasticarum rerum peragendarum et spiritualium necessitatum ratione, illiusmet Ecclesiae atque Dioecesis regimine et ordinaria administratione ille perfungatur, qui tum in Vicarii Generalis exercitio comperiatur, praecipiendo quod si plures eo in officio tum per Dioecesim habeantur

ille praecipue hoc veluti Vicarii Capitularis munus peragendum obtineat, qui ab Episcopo Capitis Haitani fuerit in id speciatim deputatus, sin autem ille qui tempore fuerit potior in hujusmodi Vicariatus Generalis exercitio, cui quidem Vicario tamquam Praesuli ordinario ceteri etiam Vicarii plane subesse debeant et parere, donec illi Capitis Haitani Cathedrali novus Episcopus suffectus non fuerit. Pro nunc vero infrascripto praesertim Exequutori Apostolico veniam, et potestatem facimus, ut Ecclesiasticum virum, quem ipsemet idoneum et dignum censuerit, in Vicarium veluti Capitularem eligat et deputet, qui eam Capitis Haitani Dioecesim regat, et administret, quique ideo iis omnibus polleat facultatibus Vicariis Capitularibus de jure deque legittima consuetudine competentibus, lege insuper adjecta, ut quoties et quamdiu ea sedes proprio caruerit Episcopo, annui redditus illius mensae, deductis utique impendiis atque oneribus pro Episcopatus administratione necessario obeundis in tres aequas dividantur portiones, quarum una Vicario, uti praefertur, Dioecesis Administratori in honorarium tribuatur, altera autem Episcopo successori ad opportunitatem reservetur, reliqua demum vel in ejusdem Ecclesiae Cathedralis fabricam et sacrarium, vel in Seminarii Dioecesani utilitatem vel in alios pios usus intra tamen Capitis Haitani Dioecesis limites obeundos erogetur, prout expediens opportuniusque in Domino praestare visum ratumque fuerit.

Quam quidem Capitis Haitani Ecclesiam in Metropolitani Portus Principis suffraganeam cum omnibus quibusque juribus, honoribus, gratiis, indultis, privilegiis et ceteris quibuslibet suffraganeis Ecclesiis

ac vicissim ex jure legitimaque consuetudine competentibus dicta Apostolica auctoritate subiicimus, illiusque taxam pro Litterarum Apostolicarum expeditione, quoties Antistes eidem Cathedrali fuerit praeficiendus, in aureis florenis de Camera triginta tribus cum tertia ejusdem floreni parte statuimus, sicque in libris Camerae Apostolicae sacrique Cardinalium Collegii inscribi et observari jubemus.

Praeterea summopere commendantes dicti Haitani Gubernii sollicitudinem impensamque munificentiam, unde satis nunc fieri datum est, ut singulae dotationes praedictae quam tutius permaneant super publico ejus aerario, donec totidem certi penitusque puri redditus ex bonis stabilibus ab eodem Gubernio singillatim assignandis plenoque cum dominio perpetuo adjudicandis plane suppetant, uti superius constituitur, ac eidem Gubernio benevolentiam Nostram ostendere volentes Dilecto Filio illustri et honorabili viro hodierno nec non pro tempore existenti ipsius Haitani Gubernii Praesidi, ut is tam hac prima vice, quam in singulis subsequuturis Episcopatus Capitis Haïtani vacationibus intra tempus per sacros Canones praefinitum idoneam probamque personam Cathedrali Capitis Haitani per Nos seu Romanum in tempore Pontificem praeficiendam apud hanc Apostolicam Sedem nominare seu praesentare valeat, servatis tamen quae ceteroquin de jure moreque servanda sunt, Apostolica auctoritatc praedicta perpetuo similiter indulgemus.

Praesentes quoque Litteras de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis aliove quocumque vitio seu intentionis Nostrae, aut quolibet alio defectu quantum-

vis juridico et substantiali, etiam ex eo quod quicumque in praemissis omnibus et singulis quomodolibet interesse habentes vel habere putantes et praetendentes cujuscumque qualitatis, gradus, status, conditionis, et dignitatis existant, ad id vocati, citati, et auditi non fuerint, ac iisdem praesentibus non consenserint, ac causae, propter quas praemissa omnia et singula emanaverint, minime vel minus sufficienter examinatae fuerint, et ex quacumque alia causa quamtumvis legitima, pia, privilegiata, ac speciali modo digna impugnari, retardari, invalidari, infringi, aut irritari seu ad viam et terminos juris reduci, ac adversus illas oris aperitionem, aut aliud quodcumque juris vel facti remedium, etiam ex capite laesionis, quantumvis enormis et enormissimae, vel cujuscumque praejudicii impetrari, ac etiam scientia, motu et potestatis plenitudine paribus per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros quomodolibet contra praemissa concessum acceptari, ac in judicio et extra illud alligari, deduci, aut alias illo quomodocumque uti non posse, quinimmo omnia et singula praemissa semper et perpetuo firma, valida et efficacia existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, illaque sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam Consistorialibus, minime comprehendi nec comprehensa aliquo modo censeri, sed semper ab illis excipi, et quoties illa emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restituta, reposita et plenarie reintegrata ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessa esse et fore

alias per quoscumqué judices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fulgentes etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, Vice-legatos et Apostolicae Sedis Nuncios, ac alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, praerogativa, privilegio, honore, et praeeminentia fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane decernimus.

Quo circa Dilecto Filio Praesuli Martiali Mariae Testard du Cosquer Apostolicae Sedis Protonotario et apud laudatum Haitanae Reipublicae Gubernium ad interim delegato Apostolico per ipsos praesentes committimus et mandamus, quatenus ad exequutionem praemissorum omnium procedat, necessarias et opportunas iis impertiendo facultates, quibus is ad id negotii alteram idoneam probamque personam in Dignitate Ecclesiastica constitutam subdelegare valeat; ita tamen ut idem Praesul Martialis Maria vel ejus Subdelegatus ea cuncta possit et satagat declarare, curare, ac etiam definitive, omni appellatione super quacumque animadversione quomodolibet forsan oritura penitus remota, decernere quae conducant ad praemissa omnia probe feliciterque perficienda.

Non obstantibus Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis etiam quoad gratias non concedendas ad instar, ac quibusvis etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus et Universalibus Conciliis editis, vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus vel ordinatio-

nibus Apostolicis, privilegiis quoque Indultis et Litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie etiam sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis ac cum solitis clausulis irritantibusque, et aliis Decretis etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus ac etiam consistorialiter seu alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis approbatis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris latissime et amplissime ac specialiter et expresse ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum hac vice dumtaxat motu, scientia et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod dictus Praesul Martialis Maria, eiusve Subdelegatus sex intra menses ab expleta earumdem praesentium exequutione authenticum exemplar quorumvis Decretorum, quae ad opus hujusmodi ferenda fuerint, ad hanc S. Sedem transmittere teneatur, ut insimul in Archivio Congregationis Venerabilium etiam Fratrum Nostrorum S. R. E.

Cardinalium consistorialibus Negotiis praepositae ad perpetuam rei memoriam et normam adserventur.

Volumus pariter quod praesentium Litterarum transumptis etiam impressis manu tamen alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo alicujus personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, acceptationis, exemptionis, praefinitionis, evectionis, erectionis, largitionis, assignationis, jussi, concessionis, attributionis, praecepti, statuti, declarationis, subiectionis, indulti, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; siquis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Apostolorum ejus Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo primo, quinto nonas octobris Pontificatus Nostri anno sexto decimo.

PIVS EPISCOPVS

SERVUS SERVORVM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Christianae religionis auctor et magister Dominus Noster Jesus Christus, cujus, licet immeriti, vices in terris gerimus, non modo illam in mundo perpetuo duraturam esse promisit, sed quaquaversus per omnes orbis partes propagandam, ita ut nulla tam dissita sit regio nullusque tam abditus terrae angulus, quo sacrorum praeconum sonitus non fuerit auditus; singulari autem beneficio evenisse ut sacrosancta ipsa Religio magis magisque in longinquis Indiarum partibus diu increbuerit nemo est qui non videat. Proindeque Nosmetipsi Romanorum Pontificum vestigia sectantes, novas in illis regionibus Episcopales Sedes instituendas duximus, persuasum habentes, nullum majus bonum Christianae reipublicae afferri posse, nisi ut Pastores multiplicentur, quorum praesentia plebs recreata, exemplis excitata, monitisque salubribus fulcita, Deo opitulante, tandem aliquando ad aeternam beatitudinem iis omnibus, qui bene certaverint cursumque consumaverint, pollicitam queat pervenire.

Maxima itaque jucunditate excepimus postulationes Dilectorum Filiorum qui in Indiarum Occidentalium Ditione vulgo « Haiti » rerum publicarum summam habentes devotissime efflagitant, ut Ca-

esensem etiam Episcopatum actutum erigamus in-
er alios in illa Haitana Republica instituendos, ut
hristifidelium illic adeo increbrescentium spirituali
ono et commodo aliquando consultius provideri va-
at.

Et revera ad huiusmodi institutiones conficiendas
ovida et salutaria jam fuerant collata consilia ca-
ndi prospiciendique gratia iis, quae potissimum ad
ıgulas huius operis necessarias dotationes oportere,
c non iis aliis quae ad rectam totius cujusque
ıecesis administrationem et regimen interesse ac
ıgis expedire debere censebantur. Hinc auspi-
io contigit ut ad haec profecto inter hanc S. Se-
n Apostolicam, et ejusdem Haitanae Reipublicae
bernium, die vigesima octava mensis martii pro-
ıe praeteriti, anni Domini millesimi octingente-
ıi sexagesimi inita, die autem vigesima quinta
sequentis septembris rata utrinque fuerit provida
ıventio solemniterque sancita, qua, sartis tectisque
aratis pro ecclesiasticarum rerum administratio-
et regimine in Haitana Ditione continuo agendarum
ortunioribus providentiis, acceptae, certoque cer-
confirmatae fuerunt sponsiones ab eodem Gu-
ıio ex impensa sua munificentia, religiosaque fide
atae, ut totum hoc negocium de singulis Episco-
ous ibi noviter erigendis feliciter confici eorum-
necessariis dotationibus fulciri queat.

Huius igitur rei quoque facessendae necessitate
e utilitate apprime perspecta, Nos, qui in su-
ıa Beati Petri Sede, Deo sic volente, collocati
praecipuas, quibus undique premimur, pastora-
fficii curas illud potissimum prae oculis habe-

mus, ut Christiana plebs qua majori possit sollicitudine et vigilantia sufficienti Pastorum numero ubique regatur, susceptas ab effato Gubernio postulationes ad illorum Christifidelium sublevandas spirituales necessitates, adeoque ad uberiora earumdem animarum bona et adjumenta magis comparanda tendentes benigno favore prosequi volentes, ac in eis contentas aliasque ipsius Gubernii deliberationes et confirmatas quoad opus est sponsiones acceptas, ratasque inviolabiliter habentes, nec non omnium, et quorumcumque in hujusmodi negocio interesse habentium, vel quomodolibet habere praesumentium consensui ex suprema in singulas Ecclesias auctoritate Apostolica quam plenius harum serie, quatenus opus sit, supplentes, omnesque et singulos quibus hae Nostrae Litterae favent a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, cunctis quae inspicienda erant matura deliberatione perpensis, motu proprio, et ex certa scientia deque Apostolicae potestatis plenitudine totum illum provincialem circulum, qui vernacule « Département du sud » nuncupatur, quique praesertim haec continet Loca seu Paroecias, videlicet – Cayes – Forbek – Port-Salut – Côteaux – Chardonnières – Aquin - Saint Louis du Sud - Cavaillon - Feremie-Pestel - Corail - Abricots - Dalmarie Anse d'Hainault - Fiburan - Miragoane - Saint Michel du Sud annexe - Petite Rivière de Nippes - Anse à Veau-Petit Fron des Baradières - atque adeo quaeque op-

ida cum suis omnibus et singulis utriusque sexus ncolis nec non adnexis terris, Ecclesiis, Oratoriis, iis cujuscumque generis Institutis, bonis, juribus et eteris inhaerentibus et de more concomitantibus acessoriis a quavis pristina superioritate, jurisdictione, egimine atque administratione ecclesiastica perpeuo Apostolica auctoritate eximimus, penitusque lieramus; ipsumque circulum nempe cum omnibus t singulis modo recensitis aliisque inhaerentibus eque more concomitantibus accessoriis tum realibus, um personalibus, tum mixtis e vestigio in propriam iox noviter erigendae Episcopalis Ecclesiae Cayesenis Dioecesim simili Apostolica auctoritate etiam erpetuo praefinimus, reservando tamen Nobis Santaeque Apostolicae Sedi praefatae liberam facultatem ioecesim ipsam quoquo tempore, et modo ratum ierit in Domino expedire, noviter circumscribendi, impertiendo dumtaxat futuro et pro tempore existenti Episcopo Cayesensi facultatem, qua si quando motuerit, probeque constiterit necessarium esse, vel tiam commodius et pro animarum cura utilius, ut uaedam ejusmet Dioecesis Paroeciae aliquatenus cirmscribantur, atque aliae inde noviter conficiantur, im porro negotia huiusmodi, adhibitis quippe cum raefato Haitanae Reipublicae Gubernio consiliis,ad ea raesertim quae canonice requiruntur pro unaquaque arochiali Ecclesia et congruis praebendis earum Reoribus, et Parochorum Vicariis Coadiutoribus asgnandis capessere, et intra Dioecesanos tantummodo ies penitus explere possit et valeat.

Quandoquidem civicum oppidum Cayes nuncupaim, quod praefati circuli provincialis est caput, atque

adeo praecellentioribus praerogativis et opportunis adminiculis commendari perhibetur ad Civitatem Episcopalem fruituram in posterum omnibus et singulis honoribus, juribus favoribus, gratiis, indultis, privilegiis et ceteris, quibus aliae illarum partium Civitates Episcopales ordinarie gaudent atque utuntur, eadem Apostolica auctoritate perpetuo quoque evehimus.

Iccirco templum, quod infrascripto Apostolico Delegato in id negotii specialiter deputando visum fuerit in eadem Cayesensi Civitate commodius praestare, et ab ipso seligatur, ad Ecclesiae Cathedralis honorem et dignitatem pari Apostolica auctoritate etiam perpetuo attollimus, ita ut Ecclesia ipsa Episcopalis primaevum invocationis titulum, nec non quam habet parochialitatem et animarum curam sedulo uti juris et moris est navandam conservatura sit, ac in ea perpetuo erigatur Sedes, Cathedra et Dignitas Episcopalis pro uno Antistite Cayesensi nuncupando, qui eidem Episcopali Ecclesiae Civitati, Dioecesi, Clero, et Populo praesit, cooptando sibi suo lubitu in ipsius Dioecesis navando regimine et administratione Vicearium Generalem, cui unum vel etiam alterum adjungere fas erit, si pro nimia locorum inter se dissitorum longinquitate aliarumque circumstantiarum gravitate id necessarium aut valde opportunum et salutare censeatur: itemque Religionem Catholicam Apostolicam Romanam sicuti consulto in praenunciata etiam Conventione sancitum est impense curet iis cum juribus et praerogativis, quibus ex Dei ordinatione et Sacrorum Canonum sanctionibus frui debet, sartam tectamque semper servare, quique nimirum liber sit quin ab ullo unquam possit quovis titulo

praepediri pro Ecclesiasticarum rerum suaeque Dioecesis regimine, tum in Vicarium ipsum Generalem, tum in consiliarios et adjutores eligere atque instituere eos quotquot Ecclesiasticos viros, quos ad hu-usmodi munia idoneos et opportunos existimaverit, ad clericalem statum admittere, subindeque ex approbatis juxta Sacros Canones titulis eos, praevio regulari examine, ad majores etiam Ordines promovere, quos et quotquot ipse censuerit vel necessarios, vel utiles in messem Domini, eos e contra prudenti suo arbitrio a quorumvis Ecclesiasticorum Ordinum susceptione arcere, quos vel prorsus inhabiles vel indignos dijudicaverit, testimoniales lubitu suo conferre nec non litteras iis Dioecesanis Ecclesiasticis, qui rationabiliter optent e propria Dioecesi decedere ut vel majoribus studiis Ecclesiasticis alibi satius operam dare, vel Ordines Ecclesiasticos accipere, vel valetudini aut quibusque suis honestis rebus prospicere, vel denum suum domicilium alibi statuere valeant; testimoniales insuper examinare exterorum, qui ad suam Dioecesim venerint sive suscipiendi quemvis Ecclesiasticum Ordinem, sive moram licet brevem illic degendi gratia; praeterea Matrimoniales causas atque alias ex Sacrorum Canonum praescripto ad Iudices Ecclesiasticos pertinentes in foro suo cognoscere; tandem suo cum Clero ac Populo Dioecesano ad Pastoralis ministerii munia rite salubriterque obeunda communicare atque ad id suas instructiones, ordinationes et decreta publicare ac communionem cum praefata Apostolica Sede nullis obnoxiam impedimentis aut difficultatibus, sed prorsus liberam sibi suoque Clero et Populo adhibere planeque tueri.

Porro unicuique Cayesensi Antistiti pari Apostolica auctoritate largimur, ut is nomen, titulum, praeeminentiam, et dignitatem Episcopalem praeseferat ac iis omnibus et singulis, quae ordinarie Episcoporum propria sunt, fruatur et defungatur; itemque Episcopali cum jurisdictione, praesidentia et auctoritate tam super ea Cayesensi Cathedrali Ecclesia et Dioecesi quam super universis utriusque sexus incolis (qui tamen peculiari exemptionis privilegio non utantur) valeat, debeatque illa quaecumque sive personalia, sive realia, sive mixta jura, munia, honores, facultates, privilegia, et quaevis alia quae ad sacrorum Canonum et Apostolicarum constitutionum normam obtinent iisque gaudent ac defunguntur illarum partium Episcopi aeque habere, tueri et exercere, ac proprio itaque jure libereque queat ea cuncta super iis omnibus et singulis facere, gerere, administrare, inquirere, decernere, ac demum exequutioni mandare, quae Episcopis, juxta Sacros Canones, in proprias Ecclesias, Dioeceses et incolas concredita attributa et commissa comperiuntur; cauto verumtamen ne quis novus Cayesensis Antistes ante suae consecrationis Episcopalis susceptionem possit super propositam sibi Ecclesiam et Dioecesim ullatenus praesumere, multoque minus exercere ordinariam jurisdictionem. Quam quidem et administrationem penitus obire, ac Synodum etiam Dioecesanam aliquando convocare et peragere libere valeat postquam rite institutus, et consecratus fuerit, atque adeo commissi Episcopatus possessionem adiverit.

Iam vero ad novam dictae Ecclesiae Cayesensis erectionem et incrementum ratas et quam plenius ac-

eptas esse decernimus eas laudati Gubernii Haitani eligiosas sponsiones ad hanc S. Sedem consulto peribitas satisfaciendi nempe, usque ad necessitatem ıajoremque opportunitatem ea omnia quae in id toım opus requiruntur. Ita igitur diligenti cura et pleno ımptu ipsius Gubernii Haitani protinus comparentur pportunaque supellectile decenter instructae assinentur, perpetuoque adjudicentur tot satis commoae, satis amplae satisque decorae aedes, quot pro ayesensis Episcopi condigna residentia eiusque Viarii Generalis habitatione, tum etiam pro curia seu ıncellaria Ecclesiastica oportere solent, commendanes, ut Episcopale praesertim Palatium, quoad fieri oterit, illi Cathedrali Ecclesiae sit proximum, ac staıentes, quod si actutum nequeant tot hujusmodi aees in praefatos usus directo cum dominio addici, intereaque, donec vel emantúr vel omnino aedificentur, ıs singulas pretio conducere oporteat, hoc in casu jusmet conductionis pretium ab eodem Gubernio ersolvendum erit, quin Episcopalis mensa ullatenus d illud teneatur.

Verum cum in promptu haud habeantur stabiles ındi, ex quorum redditibus Cayesensis in tempore ıntistes suam valeat et debeat, quo par est, decore piscopalem dignitatem tueri, totque obire et exsolere impendia pro ejusmet Episcopatus administraone, ultra ceteras expensas, quae pro Vicarii Geneılis honorario proque administrorum Ecclesiasticae uriae et cancellariae stipendiis congrue a laudato Guernio obeundae sunt; hinc Nos, habita hodiernarum ırcumstantiarum benigna ratione, dicta Apostolica uctoritate indulgemus, ut pro congrua Cayesensis

Episcopatus mensa certo certius annua constituatur summa duodecim millium francorum monetae illarum partium, quae ex publico Haitani Gubernii aerario, sicuti ab eo sponsum est, in duas aequas solutiones, alteram nempe die prima mensis Ianuarii, alteram autem die prima mensis Iulii cujuslibet anni diligenter rependatur, donec tot stabilia bona non minorem nullique deductioni obnoxium redditum quotannis allatura, pleno liberoque cum dominio favore ipsius mensae subrogata non fuerit.

Ad Capitulum Cathedrale vero quod attinet, Nos habita ratione penuriae sacerdotum, quae illic hactenus perhibetur, Apostolica interim auctoritate jubemus, ut quam citius fieri poterit juxta Sacrorum Canonum praescripta Capitulum ibi instituatur quod primitus ex quinque saltem constet Canonicis, quorum alter primam Archidiaconi Dignitatem, alter secundam Theologi, alter tertiam Paenitentiarii cum suis muniis, honoribus et oneribus ex jure canonico et Apostolicis constitutionibus respective adnexis praeseferant: alii vero duo vel plures Canonici sunto simpliciter titulares, quique omnes et singuli divina officia et Ecclesiastica munia ac cetera omnia quae Cathedralium Capitulorum propria sunt rite diligenterque obire teneantur, ac cunctis juribus, honoribus gratiis, favoribus, indultis et privilegiis quae alia illarum partium Capitula Cathedralia eorumque singuli praebendati respective obtinent, dummodo legitimo in usu sint, nec peculiari ex concessione aut oneroso titulo postulata et adquisita gaudere debeant. Spe insuper Nos freti quod pro Ecclesiasticis functionibus impensius peragendis et bonorum operum fructibus

ıter eos Christifideles magis in dies multiplicandis ıte Canonicorum numerus aliquando augeatur atque deo aliquot Cappellani seu Mansionarii superaddanır, indulgentes, ut Episcopus in tempore Cayesensis bere conferre valeat nominationem et institutionem, uam vocant etiam investituram, ad hujusmodi Cathealis Capituli Dignitates et Canonicatus, itemque ad appellanias seu Mansionarias quandocumque fuerint i institutae, nec non ad Parochialia per totam Cayeınsem Dioecesim obtinenda et possidenda beneficia, roindeque ad Paroeciales quoque Vicarias seu coadıtorias forsan adsciscendas: Cauto ceteroquin ut, constituendae Cathedrali Ecclesiae animarum cura lnexa fuerit, ea habitualis penes ipsum Capitulum sideat, actualis vero per Parochum ab Episcopo hinc rite instituendum exerceatur, eique si et ıando ipsi Episcopo in Domino oportere vel satius pedire visum fuerit alter vel etiam plures coadtores presbyteri congruis pensionibus remunendi adsciscantur.

Cui quidem futuro Capitulo, ut omnes singuli ejus ignitarii, ac Canonici, et Cappellani seu Mansionarii choralibus et capitularibus quibuscumque functiobus peragendis tam in dicta Cathedrali quam extra am (Dioecesanos tamen intra limites) indumenta insignia Ecclesiastica quae Dignitariis ac Canonicis Cappellanis vel Mansionariis aliorum viciniorum ıjusmodi Capitulorum respective concessa compeıntur usque hactenus comprobantur, dummodo peliari ex indulto aut oneroso titulo non fuerint colta et acquisita, licite libereque deferre, adhibere et luere valeant, simili Apostolica auctoritate etiam rpetuo concedimus, eidemque Capitulo, ubi fuerit

sicuti desuper constitutum, ex nunc veniam et facultatem tribuimus et impertimur conficiendi sibi capitularia statuta, ordinationes et decreta sacris quippe Canonibus Constitutionibus Apostolicis ac Tridentino praesertim Concilio nullatenus adversantia, sed penitus consentanea quae ordinarii Antistitis approbatione indigeant, ut subinde efficacem legis vim habere queant.

Atque ut istius Capituli Cathedralis aliaeque Dioecesanae Praebendae a probis semper eruditis idoneisque regantur Ecclesiasticis viris, tum divinis et Ecclesiasticis muneribus, tum animarum aedificationi pabulo aeternaeque saluti operam fructuose navaturis; hinc pari Apostolica auctoritate praecipimus, quod sicuti par est propensa effati Gubernii Haitani sollicitudine, ac sumptu quamprimum pro Cathedrali Cayesensi erigatur et opportuna etiam supellectile instituatur Seminarium juxta Canonicas leges et formas in omnibus dirigendum et administrandum ab Episcopo Cayesensi , cujus erit Rectores inibi et Professores nominare, et si quando intererit exonerare et dimittere, ibique eos alendos docendosque admittere adolescentes, quos dignos idoneos, adeoque indole, moribus et ingenio comparatos ad suae Dioecesis necessitates, bonum, et spirituale commodum probe responsuros existimaverit, qui quidem Episcopus in suo obeundo munere super orthodoxae fidei morumque doctrina invigilandi ne dum quoad illud Seminarium, verum etiam quoad universitates vel academias vel gymnasia vel alias scholas publicas privatasque nullo modo erit impediendus.

Profecto cum maxime intersit congruas dotatio-

es necessario usque ad opportunitatem, sicuti est in
nore institutoque positum, componere pro annuis
raefati Capituli praebendis, tum pro quibuscumque
npendiis in ejus Cathedralis fabricam et sacrarium
ontinuo conferendis, tum denique pro erigendi Se-
iinarii Dioecesani sustentatione et incremento; hinc
icta Apostolica auctoritate statuimus, ut quemad-
iodum a laudato Gubernio sponsum est hae singu-
e dotationes ad aliarum viciniorum Cathedralium
cclesiarum normam protinus inter infrascriptum
raesentium Exequutorem, sin autem inter Cayesen-
m Episcopum, et Haitanae Reipublicae Gubernium
ncilientur ac certo perpetuoque modo singulatim
ljudicentur sarto tecto jure quocumque favore Epi-
opalis mensae et Ecclesiae Cathedralis illiusque Ca-
tuli et Seminarii nec non aliarum quoque minorum
cclesiarum et quorumvis piorum Institutorum quan-
cumque in ea tota Dioecesi extantium bona stabi-
i libere liciteque legandi acquirendi plenoque et
soluto dominio possidendi administrandi et vindi-
ndi, quin ea et alia quaeque quarumvis piarum
ndationum bona et pia instituta queant cum aliis
njungi, commutari multoque minus distrahi et alie-
ri absque Sedis Apostolicae auctoritate, salvis ta-
en facultatibus a Concilio Tridentino Episcopis
nsulto tributis, ac firmis Ecclesiae doctrina ejusque
sciplina ab Apostolica Sede approbata quoad ce-
ra hic enucleatius non recensita, quae sive ad jura,
e ad munia, sive ad personas, sive ad res Ecclesia-
co intuitu pertinent.

Porro inspecto eventu vacationis praefatae Cathe-
alis Ecclesiae Cayesensis declaramus, ut quoties Ec-

clesiam ipsam viduari contigerit, statim juxta Sacrorum Canonum praescriptum ii Dignitarii et Canonici debeant Vicarium Capitularem eligere ad illius Cathedralis ac Dioecesis regimen administrationemque ordinariam interim probe utiliterque navandam. Quod si vacatio hujusmodi prius acciderit quam Capitulum Cathedrale constitutum fuerit, hoc in casu, habita quidem ecclesiasticarum rerum peragendarum et spiritualium quoque necessitatum ratione illiusmet Ecclesiae atque Dioecesis regimine et ordinaria administratione ille perfungatur, qui tum in Vicarii Generalis exercitio comperiatur, praecipiendo, quod si plures eo in officio tunc per Dioecesim habeantur ille praecipue hoc veluti Vicarii Capitularis munus peragendum obtineat, qui ab Episcopo Cayesensi fuerit in id speciatim deputatus; sin autem ille, qui tempore fuerit potior in hujusmodi Vicariatus Generalis exercitio, cui quidem Vicario tamquam Praesuli ordinario ceteri etiam Vicarii plane subesse debeant et parere, donec Cayesensi illi Cathedrali novus Episcopus suffectus non fuerit. Pro nunc vero infrascripto praesentium Exequutori Apostolico veniam et potestatem facimus, ut Ecclesiasticum virum quem ipsemet idoneum dignumque censuerit in Vicarium veluti Capitularem eligat et deputet, qui eam Cayesensem Dioecesim regat et administret, quique ideo iis omnibus polleat facultatibus Vicariis Capitularibus de jure deque legitima consuetudine competentibus, lege insuper adjecta, ut quoties et quamdiu ea Sedes proprio caruerit Episcopo annui redditus illius mensae, deductis utique oneribus atque impendiis pro Cayesensis Episcopatus administratione necessario obeundis, in

tres aequas dividantur portiones, quarum una Vicario, uti praefertur, Dioecesis administratori in honorarium tribuatur, altera autem Episcopo successori ad opportunitatem reservetur, reliqua demum vel in ejusdem Ecclesiae Cathedralis fabricam et sacrarium vel in Seminarii dioecesani utilitatem vel in alios pios usus intra tamen Cayesensis Dioecesis limites obeundos erogentur, prout expediens opportuniusque in Domino praestare visum ratumque fuerit.

Quam quidem Cayesensem Ecclesiam in Metropolitanae Portus Principis suffraganeam cum omnibus quibusque juribus, honoribus, praerogativis, favoribus, gratiis, indultis, privilegiis et ceteris quibuslibet suffraganeis Ecclesiis ac vicissim ex jure legitimaque consuetudine competentibus dicta Apostolica auctoritate subjicimus, illiusque canonicam taxam pro Litterarum apostolicarum expeditione, quoties Antistes eidem Cathedrali fuerit praeficiendus, in aureis florenis de Camera triginta tribus cum tertia ejusdem floreni parte statuimus, sicque in libris Camerae Apostolicae sacrique Cardinalium Collegii inscribi et observari jubemus.

Praeterea summopere commendantes dicti Haitani Gubernii sollicitudinem impensamque munificentiam, unde satis nunc fieri datum est, ut singulae dotationes praedictae quam tutius permaneant super publico ejus aerario, donec totidem certi penitusque puri redditus ex bonis stabilibus ab eodem Gubernio singillatim assignandis plenoque cum dominio perpetuo adjudicandis plane suppetant, uti superius constituitur, ac eidem Gubernio benevolentiam Nostram ostendere volentes, Dilecto Filio illustri et honorabili

Viro hodierno nec non pro tempore existenti ipsius Haitani Gubernii Praesidi, ut is tam hac prima vice, quam in singulis subsequuturis Episcopatus Cayesensis vacationibus intra tempus per Sacros Canones praefinitum idoneam probamque personam Cayesensi Cathedrali per Nos seu Romanum pro tempore Pontificem praeficiendam apud hanc Apostolicam Sedem nominare seu praesentare valeat, servatis tamen quae ceteroquin de jure moreque servanda sunt Apostolica auctoritate praefata perpetuo similiter indulgemus.

Praesentes quoque Litteras de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis aliove quocumque vitio seu intentionis Nostrae aut quolibet alio defectu quantumvis juridico et substantiali etiam ex eo, quod quicumque in praemissis omnibus et singulis quomodolibet interesse habentes, vel habere putantes et praetendentes cujuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis et dignitatis existant, ad id vocati citati et auditi non fuerint, ac iisdem praesentibus non consenserint, ac causae propter quas praemissa omnia et singula emanaverint minime vel minus sufficienter examinatae fuerint, et ex quacumque alia causa quantumvis legittima, pia, privilegiata, ac speciali nota digna impugnari, retardari, invalidari, infringi, aut irritari seu ad viam et terminos juris reduci, ac adversus illas oris aperitionem, aut aliud quodcumque juris vel facti remedium etiam ex capite laesionis quamtumvis enormis et enormissimae vel cujuscumque praejudicii impetrari ac etiam scientia, motu et potestatis plenitudine paribus per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros quomodolibet contra praemissa concessum acceptari ac in ju-

dicio et extra illud allegari, deduci, aut alias illo quomodocumque uti non posse, quin imo omnia et singula praemissa semper et perpetuo firma, valida et efficacia existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illaque sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus suspensionibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus etiam consistorialibus minime comprehendi, nec comprehensa aliquomodo censeri, sed semper ab illis excipi et quoties illae emanabunt toties in pristinum et validissimum statum restituta reposita et plenarie reintegrata, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessa esse et fore, sicque et non alias per quoscumque Iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, et Apostolicae Sedis Nuncios ac alios quoscumque quavis auctoritate potestate, praerogativa, privilegio, honore et praeeminentia fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpetrandi facultate et auctoritate judicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Quocirca Dilecto filio Praesuli Martiali Mariae Testard du Cosquer Apostolicae Sedis Protonotario et apud laudatum Haitanae Reipublicae Gubernium ad interim Delegato Apostolico per ipsas praesentes committimus et mandamus quatenus ad exequutionem praemissorum omnium procedat, necessarias et

opportunas Ei impertiendo facultates, quibus is ad id negotii alteram idoneam probamque personam in dignitate Ecclesiastica constitutam subdelegare valeat, ita tamen ut idem Praesul Martialis Maria vel ejus Subdelegatus ea cuncta possit et satagat declarare curare ac etiam definitive, omni appellatione super quacumque animadversione quomodolibet forsan oritura penitus remota, decernere quae oportuerint ad praemissa omnia probe feliciterque perficienda.

Non ostantibus Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis etiam quoad gratias non concedendas ad instar, ac quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus et universalibus Conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque Indultis et Litteris Apostolicis quibusvis superioribus, et personis in genere vel in specie etiam sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, et efficacissimis ac insolitis clausulis irritantibusque et aliis Decretis etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus ac etiam consistorialiter seu alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa et individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent eisdem prae-

sentibus pro plene et sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris latissime et amplissime ac specialiter et expresse ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum hac vice dumtaxat motu, scientia et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod dictus Praesul Martialis Maria ejusve Subdelegatus sex infra menses ab expleta earumdem praesentium exequutiòne authenticum exemplar quorumvis decretorum, quae ad hoc opus ferenda fuerint, ad hanc S. Sedem transmittere teneatur, ut insimul in Archivio Congregationis Venerabilium etiam Fratrum Nostrorum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium consistorialibus negotiis praepositae ad perpetuam rei memoriam et normam adserventur.

Volumus pariter quod praesentium Litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, acceptationis, exemptionis, praefinitionis, evectionis, erectionis, largitionis, assignationis, jussi, concessionis, attributionis, praecepti, statuti, declarationis, subjectionis, indulti, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei ac Bea-

torum Petri et Pauli Apostolorum Ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo primo, quinto nonas octobris Pontificatus Nostri anno sextodecimo.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Catholicae Romanae Ecclesiae custodiae divinaeque doctrinae integritatis pro commissae Nobis caelitus Apostolicae servitutis munere anxii, ac inter tot tantasque, quibus Ecclesia ipsa hoc turbulentissimo tempore undequaque premitur, angustias, gravissimis praesertim quibus Nostri et S. Sedis etiam quoad temporalia subditi affliguntur calamitatibus paternae caritatis affectu vehementer commoti ad Deum toto corde clamare non cessamus omnem pro spirituali animarum pretioso unigeniti eius Filii Domini Nostri Iesu Christi sanguine redemptarum salute laborem alacriter subire parati, sed aeque fidentes, ut qui consolatur Nos in continuis tribulationibus Nostris et dilectissimae Sponsae suae Nobis adfuturus et auxiliaturus sit illud jugiter divinum recolentes promissum « Et portae inferi non praevalebunt ». Nec supremus misericordiarum Pater defuit, nam in hac asperrima et moestissima Christianae Reipublicae conditione ab implacabili humani generis hoste excitata non levi gaudio Nos sustentavit devotissimis postulationibus Dilectorum Filiorum, qui in Indiarum occidentalium ditione vulgo Haiti rerum publicarum summas habentes commendabilia vota sua pandiderunt, ut quo magis per eas licet remotissimas regio-

nes divinae evangelicae veritatis lux permeat atque diffunditur, eo impensius cathedralium Ecclesiarum cum suis Dioecesibus erectiones pro majori illius diu increscentis Christianae plebis utilitate et commodo instituantur. Et reapse perhibitum est spirituali ipsius regimini et administrationi jam imparem vel minus congruam existimari eam, quae hactenus adhibetur, peculiarem providentiam, ideoque necessarium valde et perutile censeri, ut ex iis civilibus Haitanae Reipublicae territoriis atque incolis saltem una interim Ecclesiastica provincia ex metropolitana videlicet aliisque dein quatuor suffraganeis Ecclesiis constitutura conficiatur. Ita enim videtur facilius ac fructuosius ceu praestat fieri aliquando posse,ut singuli earum Praesules in sua quisque Dioecesi accommodate circumscripta queant magis tum vigilantia et sollicitudine, tum opere atque consilio Ecclesiasticae disciplinae, nec non rerum administrationi et negociorum peragendorum expeditioni praeesse et satisfacere, suas oves aliquando hac illac visitare, spiritualibus earum necessitatibus singulatim occurrere, bonorum operum studium promovere, malorum segetes avertere, Ecclesiasticorum, quorum inibi maxima est penuria, seminarium erigendum sedulo excolere, ut suppetant probi idoneique Presbyteri qui continuo sint et divino inservituri cultui et animarum curae operam navaturi, cetera demum rite probeque peragere quae ad ordinem et ministerium Episcopale proprie pertinent, ad quod quidem tam utile et opportunum opus perficiendum ea quaeque profecto in considerationem venerunt quae erant necesse apteque praestanda, quae animadvertenda, quae praecipienda, quae ordinanda,

quae denique observationi juxta Sacros Canones et Apostolicas Constitutiones apprime mandanda, ex quorum omnium trutina et distributione superiori anno Domini millesimo octingentesimo sexagesimo die vigesima octava mensis martii inter hanc S. Apostolicam Sedem dictaeque Haitanae Reipublicae Gubernium consulto inita fuit provida Conventio, quae die vigesima quinta septembris ejusdem anni rata utrinque fuit solemniterque confirmata.

His positis cum consonum sit pronas aures intendere enunciatis postulationibus, quibus sponsiones omnino confirmantur religiosa dicti Gubernii munificentia et fide prolatas ut haec nova rerum dispositio probe confici singulisque congruis dotationibus perpetim tutari valeat; nos propterea qui in celsissima Beati Petri Sede licet immerentes collocati curas omnes suscepimus, assiduamque operam dedimus, sive ad fidei dogmata custodienda, sive ad Ecclesiae jura defendenda, sive ad Ecclesiasticae Hierarchiae decorem ampliandum, sive ad Christifidelium ea commoda augenda, quibus ad sanctitatem justitiamque magis magisque mores suos componerent, nullaque in re ardentius adlaboravimus, quam ut in universo terrarum orbe munere Nostro impigre fungeremur, postulationes praemissas ex animo laudantes ac in iis contentas, aliasque dicti Gubernii deliberationes, et confirmatas quoad opus est sponsiones, acceptas, ratasque inviolabiliter habentes, nec non quorumvis in hujusmodi negotio interesse habentium seu quomodolibet habere praesumentium consensui supremae Nostrae Apostolicae potestatis plenitudine harum serie omnino supplen-

tes, omnesque et singulos, quibus hae nostrae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum harum quoque serie respective absolventes et absolutos fore censentes, cunctis, quae inspicienda erant matura deliberatione perpensis motu proprio et ex certa scientia parique potestatis plenitudine totum illum terrarum circulum qui vernacule – Département de l'Ovest nuncupatur, quique modo haec praesertim continet loca seu Paroecias videlicet Port au Prince-Petionville -Croix de Bouquetes -Arsaehaie – Iaemel – Bainet – Marigot – Côtes de Fer – Saletron – Cayes – de Iaemel annexe – Mirebalais – Las caolas – Léogane – Grand Goave et petit Goave insimul porro cum suis universis utriusque sexus incolis, nec non cum adnexis terris, Ecclesiis, Oratoriis, piis cujusque generis Institutis, bonis, juribus et ceteris inhaerentibus vel de more concomitantibus accessoriis protinus a quavis pristina superioritate jurisdictione, regimine atque administratione Ecclesiastica perpetuo Apostolica auctoritate eximimus penitusque liberamus.

Ipsumque circulum una prorsus cum singulis recensitis aliisque inhaerentibus et de more concomitantibus accessoriis tam realibus quam personalibus et mixtis e vestigio in propriam mox noviter erigendi Archiepiscopatus Portus Principis Dioecesim simili Apostolica auctoritate etiam perpetuo praefinimus, reservando tamen Nobis Nostrisque in Apostolica Cathedra Successoribus liberam facultatem atque

potestatem Dioecesim ipsam, si et quando id oportere et expedire innotuerit, aliquatenus dismembrandi, noviterque circumscribendi, itemque Ecclesiasticae illius Metropolitanae Provinciae aliquam Suffraganeam Ecclesiam subducendi vel superaddendi quomodo et quandocumque Nobis ipsisque Successoribus dijudicatum fuerit in Domino praestare, ac impertiendo dumtaxat futuro et pro tempore existenti Metropolitano Portus Principis Antistiti facultatem, qua si deinceps ratum fuerit oportere, ut eius Dioecesis Paroeciae pro majori animarum commodo aliquatenus concinnioribus finibus aptentur, vel etiam aliae inde novae instituantur Paroeciae, tum porro negotia huiusmodi adhibitis cum eo Gubernio Haitano consiliis ad ea etiam quibus canonice opus est pro unaquaque Parochiali Ecclesia et congruis praebendis earum Rectoribus et Parochorum Vicariis coadiutoribus assignandis probe pertractare atque intra Dioecesanos limites perficere valeat et satagat.

Et quoniam civicum oppidum Portus Principis quippe quod totius Haitanae Ditionis est caput censetur cetera illarum partium oppida tum decentioribus praerogativis, tum potioribus et commodioribus adminiculis, tum etiam dignitate praecellere, ideo oppidum ipsum ut splendidioris nominis et honoris incrementum obtineat, ad Archiepiscopalem Metropolim omnibus et singulis deinceps fruituram juribus honoribus, praerogativis, gratiis, favoribus, indultis, privilegiis et ceteris quibuslibet, quae aliae illarum partium civitates Archiepiscopales habere et frui solent, eadem Apostolica auctoritate perpetuo quoque evehimus.

Propterea templum, quod infrascripto Apostolico Delegato in id negocii specialiter deputando visum fuerit illic convenientius praestare, et ab ipso prudenti ejus arbitrio seligatur ad Ecclesiae Metropolitanae fastigium pari Apostolica auctoritate etiam perpetuo attollimus, ita ut Ecclesia ipsa eumdem titulum seu invocationem ac eamdem quam habere contingat parochialitatem animarumque curam continuo uti juris et moris est exercendam deinceps etiam servatura sit, ac in ea actutum erigatur, perpetuoque constituatur Sedes, Cathedra et Archiepiscopalis Dignitas Metropolitica pro uno ejus ordinario Antistite Portus Principis nuncupando, qui eidem Metropolitanae Ecclesiae civitati, Dioecesi, Clero et Populo praesit, cooptando sibi suo lubitu in illius regimine et administratione Vicarium Generalem, cui unum vel etiam alterum superaddere ei fas erit, si pro nimia locorum inter se dissitorum longinquitate aliarumque circumstantiarum gravitate id ratio videatur necessario postulare, itemque Religionem Catholicam Apostolicam Romanam in tota Haitani Gubernii ditione, ceu etiam in praedicta Conventione consulto sancitum est, plane sartam tectamque servare curet iis cum juribus et praerogativis, quibus ex Dei ordinatione ac Sacrorum Canonum sanctionibus frui debet, quique nimirum liber sit, quin ab ullo unquam quovis titulo impediri possit pro Ecclesiasticarum rerum exercitio ac etiam pro suae Dioecesis regimine in Vicarium Generalem, in consiliarios et in adjutores eligere, et instituere eos quotquot Ecclesiasticos viros, quos ad huiusmodi officia opportunos idoneosque judicaverit, ad Clericalem statum admittere atque adeo ex ap-

probatis juxta Sacros Canones titulis eos praevio examine ad majores etiam Ordines promovere quos et quotquot ipse dignos et vel necessarios vel utiles in vinea Domini censuerit; e contra eos ab Ecclesiasticorum Ordinum susceptione arcere quos vel prorsus inhabiles vel indignos compererit, testimoniales lubitu suo conferre nec non litteras iis Dioecesanis Ecclesiasticis qui rationabiliter optent extra propriam Dioecesim permigrare, ut vel majoribus studiis alibi navent operam, vel convenientius queant sacros suscipere Ordines vel valetudini rebusve suis honestis consulant, vel demum ut domicilium suum alio transferant; caute autem provideque testimoniales examinare litteras exterorum, qui ad suam venerint Dioecesim, ubi cupiant Ecclesiasticum quemque Ordinem suscipere, aut etiam agendi gratia moram sive jugem sive brevem trahere; insuper causas matrimoniales atque alias ex Sacrorum Canonum praescripto ad judices Ecclesiasticos pertinentes in suo foro cognoscere deque iis ferre sententiam; praeterea cum suis infra adsignandis Ecclesiis suffraganeis eoque magis cum suo Clero et Populo Dioecesano ad Pastoralis officii munus rite obeundum communicare, atque in id suas instructiones ordinationesque publicare ac communionem cum Sancta Apostolica Sede prorsus liberam sibi suoque Clero et Populo habere atque tueri.

Porro cum in decretis jam statutum sit ut in Haitana Ditione aliae quatuor cum suis Dioecesibus instituantur Ecclesiae, nempe Haitana, Cayesensis, Gonaivesensis et Portus Pacis, eas ipsas, simul ac fuerint singillatim constitutae planeque confectae, in

Metropolitanae Ecclesiae Portus Principis suffraganeas una scilicet cum omnibus unicuique adnexis accessoriis tam realibus quam personalibus et mixtis dicta Apostolica auctoritate perpetuo item adsciscimus et subiicimus.

Iccirco unicuique Portus Principis Metropolitano Antistiti pari auctoritate largimur, ut is nomen, titulum, praeeminentiam et dignitatem Archiepiscopi Metropolitae praeseferat, ac iis omnibus et singulis quae istiusmodi Antistitum propria sunt, non tamen usu Sacri Pallii, usquedum apud hanc S. Sedem non fuerit obsequentissima instantia juxta morem in sacro consistorio postulatum impetratumque, fruatur itemque Metropolitica cum iurisdictione, praesidentia et auctoritate nedum super ea Portus Principis metropolitana eiusque Dioecesi, verum etiam super suffraganeis antedictis Ecclesiis earumque Dioecesibus et quibusque utriusque sexus incolis (peculiari tamen exemptione haud gaudentibus) valeat pariter debeatque cuncta illa sive realia, sive personalia, sive mixta jura, munia, privilegia, honores, facultates et quaevis cetera quae ad Sacrorum Canonum et Apostolicarum Constitutionum normam obtinent, iisque gaudent Archiepiscopi Metropolitani quoad suas etiam suffraganeas Ecclesias earumque incolas, habere, tueri, exercere, atque adeo vicissim, proinde proprio jure libereque queat ea super iis omnibus et singulis modo memoratis facere, gerere, administrare, inquirere decernere, ac demum exequutioni mandare quae Metropolitis Praesulibus comperiuntur ex jure tum in eorum propriam tum in Suffraganeas Ecclesias et subditos Incolas ordinarie attributa et commissa, in-

ter quae id memorare praestat, quod quoties vel oportere vel expediri sibi visum fuerit, possit Synodum tum Dioecesanam tum Provincialem convocare, ac valeat quoque consecrationem suis conferre suffraganeis, quatenus tamen ab Apostolica Sede in Pontificio concistorio solemne in id assequuti fuerint praeconium. Enim vero ante consecrationis Episcopalis susceptionem cuique candidato Antistiti nefas esto super praepositam Ecclesiam et Dioecesim sive Metropolitana sit sive Episcopalis ordinariam jurisdictionem ullatenus praesumere multoque minus exercere; ceterum Metropolitanus rite institutus et consecratus Antistes habeat et valeat exercere suis cum suffraganeis jus pertractandi et definiendi tum respectiva tum provincialia negotia Ecclesiastica illarumque Dioecesium causas ad se jure appellationis utpote ad Metropolitanum devolutas ceteraque juxta Sacros Canones et Apostolicas Constitutiones quomodolibet ad se pertinentia penitus agnoscere atque definitive decernere.

Iam vero ad novam Portus Principis Archiepiscopatus fundationem posteramque incolumitatem et incrementum ratas et quam solemnius acceptas esse decernimus eas recommendati Gubernii Haitani religiosas sponsiones ad hanc S.Sedem consulto perhibitas satisfaciendi nempe usque ad necessitatem et opportunitatem quae in hoc totum opus requiruntur. Ita igitur diligenti cura et pleno sumptu ipsius Gubernii Haitani protinus comparentur opportunaque supellectile decenter instructae adsignentur, perpetuoque adjudicentur tot satis commodae satis amplae satisque decorae aedes quot pro Archiepiscopi congrua residentia

eiusque Vicarii Generalis habitatione, nec non pro Curia seu Cancellaria Ecclesiastica solent oportere, commendantes ut archiepiscopale praesertim palatium quo fieri poterit Metropolitanae ipsi proximum sit, ac statuentes quod si forsan ibi desint adhuc aedes in praefatos usus attribuendos, intereaque, donec vel emantur vel aedificentur, eas pretio conducere oporteat, hoc in casu pretium ejusmodi, ut rei ratio postulat, ab eodem Gubernio rependatur, quin Archiepiscopalis mensa ullatenus ad illud teneatur.

Ceterum, cum praesto minime sint stabiles fundi ex quorum redditibus Metropolitanus de « Portu principe » Antistes valeat et debeat quo par est decore et munificentia Archiepiscopalem dignitatem tueri probeque satisfacere impendiis pro suae Dioecesis administratione obeundis, praeter ea, quae tum pro Vicarii Generalis honorario tum pro administrorum illius Ecclesiasticae Curiae et Cancellariae stipendiis convenienter a Gubernio praefato adeunda sunt. Hinc Nos, habita peculiarium circumstantiarum benigna ratione, dicta Apostolica auctoritate indulgemus, ut pro congrua hujus Metropolitani Archiepiscopatus mensa annua constituatur summa viginti millium francorum monetae illarum partium, quae ex publico Haitani Gubernii aerario, sicuti ab eo sponsum est, in duas aequas solutiones, altera videlicet die prima mensis Ianuarii, altera autem die prima mensis Iulii unoquoque obeunte anno diligenter rependatur, donec tot stabilia bona non minorem nullique deductioni obnoxium redditum quotannis allatura eidem mensae fuerint pleno et libero cum dominio suffecta.

Ad Capituli Metropolitani vero erectionem quod attinet, Nos habita ratione penuriae, quae illic hactenus perhibetur, presbyterorum, interea Apostolica auctoritate jubemus, ut, quamprimum fieri poterit, inibi juxta sacrorum canonum praescriptum instituatur Capitulum, quod initio septem saltem constet canonicis, quorum alter titulum et dignitatem primam Archidiaconi, alter secundam Theologi, et alter tertiam Poenitentiarii cum honoribus et oneribus ex jure canonico et Apostolicis constitutionibus respective adnexis praeseferant, ceteri autem quatuor sunto simpliciter titulares, quique omnes et singuli divina officia, ecclesiastica munia et cetera omnia quae istiusmodi capitulorum propria sunt rite diligenterque obire teneantur, ac cunctis honoribus, praerogativis, indultis, gratiis, privilegiis et ceteris quibuslibet quae obtinent, illisque utuntur et fruuntur, cetera illarum partium capitula metropolitana, dummodo legitime in usu sint nec ex peculiari concessione vel oneroso titulo postulata et adquisita gaudere debeant. Spe insuper Nos freti, quod pro zelo Domus Dei, spirituali Christifidelium aedificatione successu temporis iste canonicorum capitularium numerus aliquando augeatur, atque adeo aliquot mansionarii seu cappellani cooptentur; ac indulgentes, ut Archiepiscopus in tempore Portus Principis libere conferre valeat nominationem et institutionem, quam vocant investituram, ad hujusmodi Metropolitani capituli dignitates et canonicatus, itemque ad mansionarias vel cappellanias, quandocumque inibi fuerint institutae, nec non ad parochialia per totam Dioecesim obtinenda et possidenda beneficia, subindeque ad parochiales quoque Vica-

rias, coadiutorias adsciscendas, cauto ceteroquin, ut si constituendae Metropolitanae Ecclesiae animarum cura adnexa fuerit, ea habitualis penes Capitulum resideat, actualis vero per Parochum rite ab Archiepiscopo in posterum instituendo exerceatur, eique, si et quando ab ipso Antistite visum fuerit in Domino praestare, alter vel etiam plures coadiutores Presbyteri congruis pensionibus remunerandi addicantur.

Cui quidem futuro Capitulo, ut omnes et singuli ejus dignitarii ac canonici et mansionarii seu cappellani tam in dicta Metropolitana quam extra eam (Dioecesanos tamen intra limites) quoties nempe capitulariter, sive ad sacra solemnia, sive ad supplicationes publicas, sive ad alios Ecclesiasticos actus convenerint, indumenta et insignia choralia, quibus dignitarii ac canonici et mansionarii, seu cappellani aliorum viciniorum huiusmodi Capitulorum (non tamen ea indumenta neque insignia quae speciali ex gratia vel privilegio fortasse fuerint impetrata) respective utuntur, licite libereque deferre, adhibere et induere valeant simili Apostolica auctoritate etiam perpetuo concedimus, eidemque Capitulo, ubi fuerit sicuti desuper constitutum, ex nunc veniam et facultatem tribuimus et impertimur conficiendi sibi capitularia statuta, ordinationes et decreta Sacris porro Canonibus, Constitutionibus Apostolicis et Oecumenicae Synodo Tridentinae penitus consentanea minimeque adversantia, quae a Metropolitano ejus Antistite perpendenda et approbanda sint, prius quam robur efficacemque legis vim obtinere valeant.

Atque ut istius Capituli Metropolitani aliaeque Dioecesanae praebendae a probis semper, eruditis

idoneisque regantur Ecclesiasticis viris, qui uberes Christi Domini vineae fructus allaturi sint, hinc pari Apostolica auctoritate praecipimus, quod sicuti par est propensa effati Gubernii Haitani sollicitudine ac sumptu quamprimum pro Metropolitana Portus Principis erigatur et opportuna etiam supellectile instituatur, seminarium juxta canonicas leges et formas libere in omnibus dirigendum et administrandum ab Archiepiscopo, cujus erit Rectores inibi et Professores nominandi, et si quando intererit exonerandi et dimittendi, ibique eos alendos docendosque adolescentes admittendi, quos idoneos dignosque ad suae Dioecesis necessitatem atque utilitatem probe responsuros existimaverit. Qui quidem Archiepiscopus in suo officio obeundo super orthodoxae fidei morumque doctrina advigilandi, tum quoad istud seminarium, tum quoad universitates, academias et gymnasia, vel alias publicas privatasque scholas nullo modo erit impediendus.

Interim quum operae pretium quoque sit congruas dotationes necessario atque ad opportunitatem, sicuti est in more institutoque positum, componere tum pro annuis singulorum praesignati Capituli praebendis, tum pro quibusque impendiis in ejus Metropolitanae Ecclesiae fabricam et sacrarium divinumque cultum continuo conferendis, tum denique pro erigendi seminarii dioecesani sustentatione atque incremento; hinc dicta Apostolica auctoritate statuimus, ut quemadmodum a laudato Gubernio sponsum est hae singulae dotationes ad aliorum viciniorum huiusmodi Archiepiscopatuum normam quamprimum inter infrascriptum praesentium Exequutorem Apostolicum,

sin autem inter Metropolitam et Gubernium ipsum Haitanum concilientur, ac certo perpetuoqne modo adjudicentur, sarto tecto jure quocumque favore Archiepiescopalis Mensae et Metropolitanae Ecclesiae illiusque Capituli et seminarii, nec non aliarum quoque minorum Ecclesiarum et quorumvis piorum institutorum, quandocumque in ea tota Dioecesi extantium bona stabilia libere liciteque legandi, acquirendi, plenoque et absoluto cum dominio possidendi, administrandi et vindicandi, quin ea et cetera quarumque Ecclesiasticarum fundationum bona et pia quaeque instituta cum aliis conjungi vel commutari, multoque minus distrahi vel alienari queant absque sedis Apostolicae auctoritate, salvis tamen facultatibus a Sacro Concilio Tridentino Episcopis tributis, ac firmis Ecclesiae doctrinis ejusque disciplina ab eadem S. Sede approbata quoad cetera hic enucleatius non recensita, quae sive ad jura, sive ad munia sive ad personas, sive ad res intuitu Ecclesiastico pertinent.

Porro inspecto eventu vacationis praefatae Metropolitanae Sedis declaramus, quod statim ac ipsam Archiepiscopalem Ecclesiam viduari contigerit, protinus juxta Sacrorum Canonum praescriptum ii dignitarii et canonici rite satagant Vicarium Capitularem eligere ad ejusmet Ecclesiae Metropolitanae ac Dioecesis regimen administrationemque ordinariam interim probe utiliterque navandam, quodque si vacatio huiusmodi sive per dimissionem, sive alia quacumque de causa prius inciderit quam ibi praesignatum Capitulum confectum fuerit, hoc in casu illiusmet Ecclesiae Metropolitanae et Dioecesis ordinaria administratio licite valideque geratur ab eo qui Gene-

ralis ejus Metropolitae Vicarius tunc temporis extet; praecipiendo, quod si eo tempore plures ejusdem Vicarii in exercitio forsan comperiantur, ille praecipue hoc veluti Vicarii Capitularis munus peragendum obtineat, qui fuerit a Metropolita in id nominatim deputatus, sin autem ille qui actu supersit prior tempore in ejusdem Vicariatus generalis exercitio, cui quidem Vicario tanquam Praesuli ordinario ceteri quique Vicarii plane subesse debeant atque parere, donec successor Metropolita suffectus non fuerit. Pro nunc vero infrascripto praesentium Exequutori Apostolico veniam et potestatem facimus, ut Ecclesiasticum virum, quem ipsemet idoneum dignumque censuerit, in Vicarium utpote Capitularem delegatum constituat, qui eam Portus Principis Dioecesim regat et gubernet, quique ideo iis omnibus polleat facultatibus, quae ad Vicarios Capitulares de jure atque consuetudine pertinent, lege insuper adjecta, ut quoties et donec ipsius Metropolitanae Ecclesiae vacatio habeatur interea quotquot illius Mensae Archiepiscopalis annui redditus, deductis utique incumbentibus oneribus atque impendiis necessario in ejusmodi administratione obeundis, aeque in tres dividantur portiones, quarum una Vicario uti praefertur dioecesis Administratori in honorarium tribuatur, altera autem Metropolitae successori ad opportunitatem reservetur, et reliqua vel in ejusmet Metropolitanae Ecclesiae fabricam et sacrarium, vel in seminarii dioecesani utilitatem, vel denique in alios pios usus intra tamen dioecesanos Portus Principis limites obeundos erogetur, prout expediens opportuniusque in Domino visum ratumque fuerit.

Praeterea summopere commendantes dicti Haitani Gubernii studium impensamque munificentiam, unde satis nunc fieri datum est, ut singulae dotationes praedictae a publico eius aerario impendantur, donec totidem certi et puri redditus ex bonis stabilibus non fuerint plane subrogati, uti superius constituitur, ac eidem Gubernio benevolentiae Nostrae sensus ob id ostendere volentes Dilecto Filio illustri et honorabili viro hodierno, nec non pro tempore existenti ipsius Haitani Gubernii Praesidi, ut is tam hac prima vice quam in posteris quibusque dictae Metropolitanae Ecclesiae Portus Principis vacationibus intra tempus per sacros canones praefinitum idoneam dignamque personam Metropolitanae illi cathedrae per Nos vel Romanum in tempore Pontificem praeficiendam apud hanc Apostolicam sedem nominare seu praesentare valeat, servatis tamen quae ceteroquin de jure moreque servanda sunt, Apostolica auctoritate praedicta perpetuo similiter indulgemus, ac Canonicam taxam pro Litterarum Apostolicarum expeditione quoties Antistes eidem Metropolitanae Ecclesiae fuerit praeficiendus in aureis florenis de Camera triginta tribus cum tertia ejusdem floreni parte statuimus, sicque in libris Camerae Apostolicae sacrique Collegii inscribi et observari jubemus.

Praesentes quoque Litteras de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis, aliove quocumque vitio seu intentionis Nostrae, aut quolibet alio defectu quantumvis juridico et substantiali, etiam ex eo quod quicumque in praemissis omnibus et singulis quomodolibet interesse habentes, vel habere putantes et praetendentes cujuscumque qualitatis gradus, sta-

tus, conditionis et dignitatis existant ad id vocati citati, et auditi non fuerint ac eisdem praesentibus non consenserint, ac causae propter quas praemissa omnia et singula emanaverint minime vel minus sufficienter examinatae fuerint, et ex quacumque alia causa quantumvis legitima, pia, privilegiata ac speciali nota digna impugnari, invalidari, retardari, infringi aut irritari, seu ad viam et terminos juris reduci, ac adversus illas oris aperitionem, aut aliud quodcumque juris vel facti remedium etiam ex capite laesionis quantumvis enormis et enormissimae, vel cujuscumque praejudicii impetrari ac etiam scientia, motu et potestatis plenitudine paribus per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores Nostros quomodolibet contra praemissa concessum acceptari ac in judicio et extra illud alligari, deduci, illo quomodocumque uti non posse, quinimo omnia et singula praemissa semper et perpetuo firma, valida et efficacia existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illaque sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus etiam consistorialibus minime comprehendi neque comprehensa aliquo modo censeri, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restituta, reposita et plenarie reintegrata ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessa esse et fore, sicque et non aliter per quoscumque judices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. Romanae

Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, vice Legatos et Apostolicae sedis Nuncios ac alios quoscumque quavis auctoritate potestate praerogativa, privilegio, honore et praeeminentia fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate judicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane decernimus.

Quo circa Dilecto Filio Praesuli Martiali Mariae Testard de Cosquer Apostolicae Sedis Protonotario, et apud laudatum Gubernium Haitanae Reipublicae ad interim Delegato Apostolico per ipsas praesentes committimus et mandamus, quatenus ad exequutionem praemissorum omnium procedat, opportunas et necessarias ei impertiendo facultates, quibus is ad id negotii alteram idoneam probamque personam in Ecclesiastica tamen dignitate constitutam subdelegare valeat, ita tamen ut idem Praesul Martialis Maria, vel ejus subdelegatus ea cuncta possit et satagat declarare, curare atque etiam definitive, omni appellatione super quacumque animadversione quomodolibet forsan oritura penitus remota, decernere quae oportere censeantur ad praemissa omnia probe feliciterque perficienda.

Non obstantibus Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, etiam quoad gratias non concedendas ad instar, ac quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque indultis et Litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie, etiam sub quibuscumque

tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et efficacissimis ac insolitis clausulis irritantibusque et aliis Decretis, etiam motu scientia et potestatis plenitudine similibus ac etiam consistorialiter seu alia in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis approbatis confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso et forma in illi tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris latissime et plenissime ac specialiter et expresse ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum hac vice dumtaxat motu, scientia et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod dictus Praesul Martialis Maria ejusve subdelegatus in exequutoriali praemissorum omnium decreto fines novae Dioecesis Portus Principis perhibito singulorum oppidorum seu paroeciarum nomine ac incolarum numero describere, ac sex intra menses ab expleta eorumdem praesentium exequutione authenticum exemplar quorumvis decretorum, quae ad hoc opus ferenda fuerint, ad hanc Sanctam Sedem trasmittere teneatur, ut insimul in Archivio Congregationis Venerabilium Fratrum No-

strorum S. R. E. Cardinalium Consistorialibus negotiis praepositae ad perpetuam rei memoriam et normam adserventur.

Volumus pariter quod praesentium Litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, acceptationis, exemptionis, praefinitionis, evectionis, erectionis, creationis, subiectionis, largitionis, assignationis, jussi, concessionis, attributionis, praecepti, statuti, declarationis, indulti, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octigentesimo sexagesimo primo; quinto nonas octobris Pontificatus Nostri anno sexto decimo.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Proprium fuit semper Romanorum Pontificum impensa sollicitudine super universae Catholicae Ecclesiae bonum advigilare, ut integra ab Apostolis accepta doctrina servetur et diffundatur, ac Christifidelium commoditatibus consulatur. Hinc Nos ipsi assiduis studiis ex quo, licet immeriti, ad hanc Beati Petri Sedem evecti fuimus semper adlaboravimus, ne Dominico alendo gregi alacres congruentesque deessent Pastores qui illum ad salubriora pascua ducerent, eaque omnia constituerent, quae ad divini cultus majestatem augendam aeternamque animarum salutem comparandam facilius conducere posse videantur. Peculiari autem studio connixi fuimus in iis omnibus ubique terrarum componendis et ordinandis quae ad majorem ipsius gregis custodiam opus erant, ac nunquam destitimus Episcopales sedes constituere, quoties in Domino judicavimus melius hoc modo plebem sibi creditam posse a Praesulibus in justitiae semitis contineri.

Hac ratione ducti perlibenter cognovimus Haitanae Reipublicae in Indiis occidentalibus Gubernium apprime exoptare, ut suadente rerum opportunitate plures ex iis oppidis conficiantur Dioeceses Provinciam Ecclesiasticam composituræ, totidemque habiturae

Antistites, qui animarum sibi commissarum spirituali regimini, disciplinae et necessitatibus assidue occurrentes singulari etiam solertia et cura bonos industriosque inducant operarios Presbyteros ad fructiferas inibi plantationes studiose excolendas, ac dein ad succrescentem quotidie fructum in exultatione metendum.

Inspecta itaque et perpensa hujusmodi opportunitate ac etiam utilitate, Nos pia desideria et vota in id ab ejusdem Reipublicae Gubernio devotissime Nobis oblata benigno favore prosequuturi minime dubitavimus praeterito anno Domini millesimo octingentesimo sexagesimo sub die vigesima octava mensis martii providam ad hoc opus Conventionem cum eodem Gubernio inire, ipsamque die vigesima quinta posterioris septembris utrinque confirmatam solemni sanctione roborare, quo quidem foedere inter alia consultum est, ut, nova inibi statuta Ecclesiastica Provincia, quinque interim Ecclesiae cum suis Dioecesibus constituantur, quarum una Metropolitana, ceterae vero suffraganeae sint.

Verum per temporis angustias gravissimasque rerum circumstantias, quamvis videatur nondum posse eis singulis Ecclesiis proprium praefici Pastorem, tamen Gubernium ipsum enixas ad hanc Sanctam Apostolicam Sedem preces offerendas curavit, ut earum omnium erectio mox instituatur, quarum duae in administrationem alteri ex iis Praesulibus interea concredantur.

Nos igitur qui Pastoris divini vices in terris gerentes ea semper cogitare et statuere curamus, quae ad Christianum tutandum gregem salubriusque

depascendum potissimum benevertere censemus, postulationes effati Gubernii benigno favore prosequi volentes, ac in eis contentas aliasque ipsius Gubernii deliberationes, et confirmatas quoad opus est sponsiones acceptas ratasque inviolabiliter habentes, nec non omnium, et quorumcumque in hujusmodi negocio interesse habentium vel quomodolibet habere praesumentium ex suprema in singulas Ecclesias auctoritate Apostolica quam plenius harum serie supplentes, omnesque et singulos, quibus hae Nostrae Litterae favent a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existant ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie respective absolventes et absolutos fore censentes, cunctis quae inspicienda erant matura deliberatione perpensis; Motu proprio et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine totum illum provincialem circulum qui vernacule vocatur Departement du Nord ovest, quique praesertim haec continet oppida seu Paroecias, videlicet: Port de Paix – Saint Louis du Nord – Jean – Rabel – Ause – a Jonur annexe – Mole Saint Nicolas – et Rembardopolis annexe, ac ita quaeque alia censita loca una cum suis omnibus et singulis utriusque sexus incolis, Ecclesiis, oratoriis, et piis cujuscumque generis Institutis, bonis, juribus et ceteris quibuslibet accessoriis consuetis a quavis pristina jurisdictione, directione, administratione, et superioritate Ecclesiastica perpetuo Apostolica auctoritate eximimus penitusque liberamus.

Ipsumque circulum una profecto cum omnibus

et singulis supramemoratis oppidis seu paroeciis eorumque inhaerentibus accessoriis tum realibus, tum personalibus, tum mixtis e vestigio in propriam, et distinctam noviter erigendi Episcopatus Portus Pacis Dioecesim simili Apostolica auctoritate etiam perpetuo praefinimus, reservando tamen Nobis sanctaeque Apostolicae Sedi praefatae liberam facultatem Dioecesim ipsam, si et quando id expedire innotuerit, alia quatenus dismembrandi, ac impertiendo dumtaxat futuro et pro tempore existenti Antistiti Portus Pacis facultatem, qua si deinceps ratumfuerit oportere ut eius Dioecesis Paroeciae pro majori animarum commodo aliquatenus commodioribus finibus aptentur, vel etiam aliae inde novae instituantur Paroeciae, tum porro negotia huiusmodi, adhibitis cum Gubernio Haitano consiliis, ad ea etiam quibus canonice opus est pro unaquaque Parochiali Ecclesia et congruis praebendis earum Rectoribus et Parochorum vicariis coadiutoribus assignandis probe pertractare, atque intra Dioecesanos limites perficere valeat et satagat.

Et quoniam civicum oppidum quod – Port de Paix – appellatur in praefato provinciali circulo perhibetur, tum commodiori loci opportunitate, tum plurium adminiculorum idoneitate, tum titulorum praeeminentia ceteris circumsitis magis praestare, illud praecipue ad Civitatis Episcopalis fastigium evehimus, omnibus et singulis dein fruiturum juribus, honoribus, favoribus, gratiis, indultis, privilegiis et quibusque ceteris quibus aliae illarum regionum civitates Episcopali titulo atque decore insignitae ordinarie gaudent et fruuntur.

Propterea templum quod infrascripto Apostolico Delegato in id negocii specialiter deputando visum fuerit illic magis idoneum, ornatum ecclesiasticaque supellectile praeditum, et ab ipso prudenti ejus arbitrio seligatur ad Ecclesiae Cathedralis honorem pari Apostolica auctoritate etiam perpetuo attollimus, ita ut eadem Ecclesia priscum titulum seu invocationem eamdemque quam habere contingat parochialitatem et animarum curam continuo uti juris et moris est exercendam deinceps etiam servatura sit, ac in ea actutum erigatur sedes, cathedra et dignitas Episcopalis pro uno ejus futuro Antistite ordinario Portus Pacis nuncupando, qui eidem Episcopali Ecclesiae civitati et dioecesi ejusque clero et populo in Domino praesit, cooptando sibi suo lubitu in illius regimine Vicarium Generalem, cui unum vel etiam alterum superaddere ei fas erit, si pro nimia locorum inter se dissitorum longinquitate aliarumque circumstantiarum gravitate id ratio videatur necessario praestare. Itemque religionem Catholicam Apostolicam Romanam,sicuti consulto in praefata Conventione sancitum est plane sartam tectamque servare curet iis cum juribus et praerogativis, quibus ex Dei ordinatione ac sacrorum canonum sanctionibus frui debet, quique nimirum liber sit, quin ab ullo unquam quovis titulo impediri possit, pro Ecclesiasticarum rerum exercitio ac etiam pro suae Dioecesis regimine in Vicarium ipsum Generalem in consiliarios et in adjutores eligere et instituere eos quotquot Ecclesiasticos viros, quos ad hujusmodi officia opportunos idoneosque judicaverit, ad clericalem statum admittere, atque adeo ex approbatis juxta Sacros Canones

titulis eos praevio examine ad majores etiam Ordines promovere, quos et quotquot ipse censuerit dignos, et vel necessarios, vel utiles in vinea Domini; e contra eos ab ecclesiasticorum Ordinum susceptione arcere, quos vel prorsus inhabiles vel indignos compererit; testimoniales lubitu suo conferre, nec non litteras iis Dioecesanis Ecclesiasticis qui rationabiliter optent a propria Dioecesi migrare ut vel majoribus studiis ecclesiasticis alibi navent operam, vel convenientius queant sacros suscipere ordines vel ut valetudini rebusve suis honestis consulant, vel demum ut domicilium suum alio transferant; caute autem provideque testimoniales examinare literas exterorum qui ad suam venerint Dioecesim ubi cupiant ecclesiasticum quemque Ordinem suscipere aut etiam agendi gratia moram sive jugem, sive brevem trahere; insuper causas matrimoniales, atque alias ex Sacrorum Canonum praescripto ad Iudices ecclesiasticos pertinentes in suo foro cognoscere deque iis ferre sententiam; praeterea cum suo Clero et Populo Diocesano ad Pastoralis officii munus rite obeundum communicare, atque in id suas instructiones ordinationesque publicare, ac communionem cum Sancta Apostolica Sede prorsus liberam sibi suoque Populo, et Clero habere atque tueri.

Cui quidem Portus Pacis in tempore Antistiti pari Apostoliea auctoritate largimur, ut is fruatur et defungatur iis omnibus et singulis, quae ordinarie Episcoporum propria sunt, ac Episcopali cum jurisdictione praesidentia et auctoritate tam super ea Portus Pacis civitate Ecclesia Cathedrali et universa desuper in dicta Dioecesi, quam super omnibus, et

singulis utriusque sexus inhabitanibus personis (peculiari tamen exemptionis privilegio non gaudentibus) valeant et debeant illa quaeque sive personalia, sive realia, sive mixta jura et munia ac honores, facultates, privilegia, et quaevis cetera obtinere tueri et exercere, quae juxta sacros canones et Apostolicas constitutiones alii per eas regiones Episcopi ordinarie praeseferunt iisque gaudent atque defunguntur. Proinde proprio jure libereque queat super iis omnibus et singulis modo memoratis ea facere, gerere, administrare, inquirere, decernere, ac exequutioni mandare, quae per sacros canones, et Apostolicas constitutiones Episcopis in proprias Ecclesias, dioeceses atque incolas concredita , attributa , commissaque sunt; itemque synodum dioecesanam, quando et quomodo ei expedire visum fuerit, convocare atque peragere reliquamque ordinariam jurisdictionem et administrationem exercere, cauto tantum ne quis novus Portus Pacis Antistes ante suae consecrationis Episcopalis susceptionem super propositam sibi Ecclesiam ejusque Dioecesim ullatenus ordinariam jurisdictionem praesumere vel exercere audeat.

Iam vero ad novam Portus Pacis Episcopatus fundationem posteramque incolumitatem, et incrementum ratas et quam plenius acceptas esse decernimus eas commendati Cubernii Haitani religiosas sponsiones ad hanc s. Sedem consulto perhibitas, satisfaciendi nempe usque ad necessitatem et opportunitatem quae in hoc totum opus requiruntur. Ita igitur diligenti cura et pleno sumptu ipsius Haitani Gubernii comparentur perpetuoque cum dominio adjudicentur tot satis amplae et decentes aedes con-

grua etiam supellectile instructae, quot censeantur tum pro Episcopi residentia ejusque Vicarii generalis habitatione, tum pro Curia et Cancellaria Ecclesiastica oportere, commendantes ut Episcopale praesertim Palatium Cathedrali Ecclesiae proximum sit, ac statuentes, quod si aedes ipsae nequeant illico, uti praefertur, attribui, ac interim oporteat illas in praeenunciatos, usus aliquando conduci ejusdem conductionis pretium ab eodem Gubernio penitus erit persolvendum.

Ceterum cum praesto minime sint stabiles fundi, ex quorum redditibus Portus Pacis Antistes valeat et debeat suam decenter tueri dignitatem et satisfacere tot impendiis ad ejusdem Episcopatus administrationem necessariis, praeter cetera quae pro Vicarii Generalis honorario ac administrorum illius curiae et cancellariae stipendiis congrue ab Haitano Gubernio sunt obeunda; hinc Nos, habita peculiarium circumstantiarum benigna ratione, dicta Apostolica auctoritate indulgemus, ut pro congrua hujus Episcopatus mensa annua constituatur summa duodecim millium francorum monetae illarum partium, quae in binas aequas solutiones, alteram videlicet die prima mensis Ianuarii, alteram autem die prima Iulii cujuslibet anni e publico Haitani Gubernii aerario accurate rependatur, donec tot bona stabilia non minorem nullique deductioni obnoxium redditum quotannis adlatura eidem mensae pleno et libero cum dominio suffecta fuerint.

Ad Capitulum Cathedrale vero quod attinet, Nos habita ratione penuriae quae illic inest Presbyterorum, interea Apostolica auctoritate praedicta jubemus,

ut quamprimum, et quo melius fieri poterit, inibi juxta sacrorum canonum praescriptum instituatur Capitulum, qui primitus quinque saltem constet Canonicis, quorum alter titulum et dignitatem primam Archidiaconi, alter secundam Theologi et alter tertiam Poenitentiarii cum suis respective adnexis honoribus et oneribus praeseferant; alii autem duo vel plures Canonici habeantur et sint tantummodo simplices titulares, quique omnes et singuli divina officia et Ecclesiastica munia obire, et cetera onera et quaevis alia, quae Capitulo et canonicis cathedralium praescripta deque more illata comperiuntur, satisfacere diligenter riteque teneantur, ac cunctis honoribus, praerogativis, gratiis, juribus, favoribus, indultis et privilegiis quae alia viciniorum Cathedralium Capitula obtinuerunt legitimoque usu adhuc fruuntur, dummodo peculiari ex concessione vel oneroso titulo data et adquisita non fuerint, gaudere debeant. Spe insuper Nos freti, quod ad divinos ritus frequentius explendos et bonorum operum fruges inter eos Christifideles in dies magis multiplicandos aliquando effatus Canonicorum numerus augeatur, atque adeo aliquot cappellani seu mansionarii adsciscantur, ac indulgentes, ut Episcopus in tempore Portus Pacis libere conferre valeat nominationem et institutionem, quam vocant etiam investituram, ad huiusmodi Cathedralis Capituli dignitates et Canonicatus, itemque ad cappellanias vel mansionarias, quomodocumque inibi fuerint institutae, nec non ad Paroeciales per totam Portus Pacis Dioecesim obtinendas et possidendas, proindeque ad Parochiales quasque vicarias seu coadiutorias forsitan adsciscen-

das, cauto ceteroquin ut si constituendae Cathedrali Ecclesiae animarum cura adnexa fuerit, ea habitualis penes Capitulum resideat, actualis vero per Parochum rite deinceps ab Episcopo instituendum exerceatur, eique si et quando ipsimet Antistiti visum fuerit oportere, alter vel plures idonei Presbyteri congruis pensionibus remunerandi cooptentur.

Cui quidem futuro Capitulo, ut omnes et singuli Dignitarii, et Canonici nec non cappellani seu mansionarii tam in dicta Cathedrali Ecclesia quam extra eam (dioecesanos tamen intra limites) quoties capitulariter convenerint, indumenta et insignia choralia, quibus viciniorum Cathedralium Dignitarii et Canonici ac cappellani seu mansionarii respective utuntur (iis dumtaxat exceptis quae forsan peculiari ex privilegio vel oneroso titulo impertita fuerunt) libere et licite gestare ac adhibere valeant simili Apostolica auctoritate perpetuo quoque concedimus, eidemque Capitulo, ubi fuerit sicut desuper constitutum, ex nunc veniam et facultatem tribuimus et impertimur conficiendi sibi capitularia statuta, ordinationes et decreta sacris porro canonibus, Apostolicis constitutionibus et Tridentinae praesertim synodi praescriptis minime adversantia, sed prorsus consentanea, quae Portus Pacis Praesulis judicio subdenda sint, et nonnisi post ejus approbationem roboratam legis vim obtinere valeant.

Atque ut ipsius Capituli totiusque Portus Pacis Dioecesis praebendae bonis semper idoneisque committi queant Ecclesiasticis viris, qui strenuam pro sacrarum rerum exercitio, et uberiorem pro animarum salute operam navare satagant, hinc pari Apo-

stolica auctoritate praecipimus, quod, sicuti par est, propensa effati Haitani Gubernii sollicitudine et sumptu quam primum pro Episcopali Portus Pacis Ecclesia erigatur et opportuna etiam supellectile instituatur Seminarium juxta Canonicas leges et formas libere in omnibus dirigendum ab Episcopo, cujus erit Rectores inibi, Administratores et Professores nominandi, et si quando oportuerit exonerandi, et dimittendi, ibique eos alendos docendosque adolescentes admittere quos dignos idoneosque ad suae dioecesis necessitatem et utilitatem probe responsuros existimaverit. Qui quidem Episcopus in suo obeundo officio super orthodoxae fidei morumque doctrina sedulo advigilandi ne dum quoad illud seminarium , verum etiam quoad Universitates, vel Academias, vel Gymnasia vel alias per dioecesim scholas nullimode impediri queat.

Interim cum necesse dignoscatur congruas dotationes usque ad opportunitatem, sicuti est in more institutoque positum, tum pro annuis praesignati Capituli praebendis, tum pro quibusque impendiis in ejus Cathedralis Ecclesiae fabricam et sacrarium divinumque cultum continuo conferendis, tum denique pro erigendi Seminarii dioecesani sustentatione et incremento, hinc dicta Apostolica auctoritate statuimus, ut quemadmodum a laudato Gubernio sponsum est, hae singulae ad viciniorum hujusmodi Episcopatuum normam quamprimum inter infrascriptum praesertim Exequutorem Apostolicum, sin autem inter Portus Pacis Episcopum, et Gubernium ipsum Haitanum concilientur, ac certo perpetuoque modo adjudicentur, sarto tecto jure quocumque favore Epi-

scopalis mensae et Ecclesiae Cathedralis illiusque Capituli et Seminarii, nec non aliarum quoque minorum Ecclesiarum et quorumvis piorum Institutorum quandocumque in ea dioecesi extantium bona stabilia libere liciteque legandi, acquirendi, plenoque et absoluto cum dominio possidendi, administrandi et vindicandi, quin ea et cetera quarumvis Ecclesiarum fundationum bona et pia quoque Instituta cum aliis conjungi, vel commutari vel aere alieno gravari, multoque minus distrahi aut alienari, nisi prius Apostolicae Sedis auctoritas intercesserit, salvis tamen facultatibus a Concilio Tridentino Episcopis ad id consulto attributis, et firmis Ecclesiae doctrinis et disciplina ab eadem s. Sede approbata quoad cetera hic enucleatim non recensita, quae sive ad jura, sive ad munia, sive ad personas, sive ad res ecclesiastico ex titulo pertinent.

Porro vix erectio hujusmodi Portus Pacis Episcopatus cum sua dioecesi exequutioni demandata fuerit, Episcopalem illam Ecclesiam in suffraganeam novae metropolitanae Portus Principis cum omnibus, et singulis juribus, honoribus, praerogativis, favoribus, gratiis indultis privilegiis et ceteris quibuslibet quae aliae illarum partium suffraganeae Ecclesiae de communi jure habere et tueri solent dicta Apostolica auctoritate subjicimus, illiusque canonicam taxam in singulis Litterarum Apostolicarum sub plumbo expeditionibus, quoties illi cathedrae Antistes praeficiendus erit, in aureis florenis de Camera triginta tribus cum tertia ejusdem floreni parte statuimus, sicque in ejusdem Camerae Apostolicae et sacri Cardinalium Collegii libris ad perpetuam normam inscribi et

observari jubemus. Habita vero hodiernarum circumstantiarum convenienti ratione, ab initio eamdem Portus Pacis Ecclesiam in temporaneam administrationem Episcopi Capitis Haitani committi mandamus, donec et ipsi Episcopatui de proprio Pastore rite provideatur; iniuncto tamen eidem Episcopo, ut quae pro Portus Pacis Ecclesiae et dioecesis hujusmodi administratione continuo obeunda fuerint, commodius et celerius pro illorum Christifidelium spirituali bono atque instantibus necessitatibus expediri queant, id apprime servandum esto, ut praecipuus pro eamet dioecesi Vicarius Generalis ab eodem Capitis Haitani Episcopo eligendus et consuetis cum facultatibus opportunis deputandus residentiam in ea Portus Pacis civitate sit habiturus suoque munere utiliter in Domino defuncturus.

Quotiescumque vero vacatio praefatae Episcopalis Portus Pacis sedis evenerit, declaramus, quod statim ac ipsam Episcopalem Ecclesiam viduare contigerit, protinus juxta sacrorum canonum praescriptum ii dignitarii et canonici rite debeant Vicarium Capitularem eligere, qui vacationis tempore satagat ipsius Ecclesiae et dioecesis regimen probe et utiliter gerere; quod si vacatio hujusmodi forsan inciderit perdurante Ecclesiae administratione praedicta, vel etiam priusquam cathedrale Capitulum confectum actuque institutum fuerit, tunc in hisce duobus peculiaribus casibus ejusdem Ecclesiae et dioecesis ordinariam administrationem exerceat ille qui eo tempore in Vicarii Generalis munere comperiatur, praecipiendo quod si plures in eo exercitio per totam dioecesim extent Vicarii, hoc in casu ille praecipue munus Vi-

carii veluti Capitularis peragendum obtineat, qui sive ab Episcopo Administratore, sive etiam a proprio jam obtento Episcopo ante eorum decessum specialiter in id fuerit deputatus, sin autem ille qui tempore extiterit potior in Vicarii Generalis exercitio pro Portus Pacis dioecesis administratione, cui quidem Vicario tamquam Capitulari et Praesuli fere ordinario ceteri etiam Vicarii dioecesis, si qui fuerint, subesse et obtemperare debeant, usque dum eidem Ecclesiae successor Administrator vel etiam peculiaris Episcopus a S. Apostolica Sede rite suffectus fuerit. Pro nunc vero infrascripto praesentium Exequutore Apostolico veniam et potestatem facimus, ut Ecclesiasticum virum quem ipsemet idoneum dignumque censuerit in Vicarium veluti Capitularem deputet cum facultatibus necessariis et opportunis in id muneris de communi jure deque legitima consuetudine competentibus ad eam interea administrandam dioecesim, donec ab Episcopo Capitis Haitani temporaneo ejusdem dioecesis Portus Pacis Administratore vel in hujusmodi officio confirmatus vel ei alter substitutus fuerit, lege insuper adiecta, ut quoties et donec Portus Pacis Ecclesiam quomodocumque vacare contigerit, annui illius mensae proventus, detractis utique oneribus et ad hujusmodi impendiis administrationem necessariis et consuetis, interea dividantur in tres aequales portiones, quarum una Vicario, uti praefertur, dioecesis Administratori in sui honorarium adjudicetur, altera autem Episcopo successori ad opportunitatem reservetur, tertia denique vel in ejusdem Ecclesiae cathedralis fabricam et sacrarium, vel in Seminarium dioecesanum, vel in Paroecias melius dotandas, vel

etiam noviter in dioecesi fundandas erogetur, prout expediens aptiusque in Domino visum ratumque fuerit.

Praeterea summopere commendantes dicti Haitani Gubernii studium impensamque curam, unde nunc satis datum est, ut singulae dotationes praedictae a publico ejus aerario tuto solvantur, donec totidem certi penitusque puri redditus in bonis stabilibus ab eodem Gubernio singillatim adsignati plenoque cum dominio perpetuo fuerint attributi, ac ipsimet Gubernio benevolentiae Nostrae sensus ob id ostendere volentes, Dilecto Filio illustri et honorabili Viro hodierno nec non pro tempore existenti ipsius Haitani Gubernii Praesidi, ut is tam hac prima vice quam in posteris quibusque dictae Episcopalis Ecclesiae Portus Pacis vacationibus intra tempus per sacros canones praefinitum idoneam dignamque personam Episcopali illi Cathedrae per Nos seu Romanum Pontificem praeficiendam apud hanc S. Apostolicam Sedem nominare seu praesentare valeat, servatis tamen quae ceteroquin de jure moreque servanda sunt Apostolica auctoritate praefata perpetuo similiter indulgemus.

Praesentes quoque Litteras de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, alioque quocumque vitio, vel intentionis Nostrae, aut quolibet alio defectu quantumvis juridico et substantiali, etiam ex eo quod quicumque in praemissis omnibus et singulis quomodolibet interesse habentes, vel habere putantes ac praetendentes cujuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis et dignitatis existant ad id vocati, citati et auditi non fuerint, ac iisdem praesentibus non

consenserint, ac causae, propter quas praemissa omnia et singula emanaverint, minime vel minus sufficienter examinatae fuerint, et ex quacumque alia causa quantumvis legitima, pia, privilegiata, ac speciali nota digna impugnari, invalidari, retardari, infringi aut irritari, seu ad viam et terminos juris, reduci, ac adversus illas oris aperitionem , aut aliud quodcumque juris vel facti remedium, etiam ex capite laesionis quantumvis enormis et enormissimae, vel cuiuscumque praejudicii impetrari, ac etiam scientia, motu, et potestatis plenitudine paribus per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros quomodolibet contra praemissa concessum acceptumque, ac in iudicio vel extra illud allegari, deduci, aut alias illo quomodocumque uti non posse, quin imo omnia et singula praemissa semper et perpetuo firma, valida et efficacia existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illaque sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam consistorialibus minime comprehendi, neque comprehensa aliquo modo censeri, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restituta, reposita, etplenarie reintegrata, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessa esse et fore, sicque et non alias per quoscumque Iudices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum S. Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos et Apostolicae Sedis Nuncios, ac alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, praeroga-

tiva, privilegio, tenore et praeeminentia fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Quocirca Dilecto Filio Praesuli Martiali Mariae Testard du Cosquer Apostolicae Sedis Protonotario et apud laudatum Gubernium Haitanae Reipublicae ad interim Delegato Apostolico per ipsas praesentes committimus et mandamus, quatenus ad exequutionem praemissorum omnium procedat, opportunas et necessarias ei tribuendo facultates, quibus is ad id negotii alteram idoneam probamque personam, in Ecclesiastica tamen dignitate constitutam subdelegare valeat, ita tamen ut idem Praesul Martialis Maria, vel eius Subdelegatus ea cuncta possit et satagat declarare, curare atque etiam definitive, omni appellatione super quacumque animadversione quomodolibet forsan oritura penitus remota, decernere quae oportuerit ad praemissa omnia probe feliciterque perficienda.

Non obstantibus etc. *sequuntur clausulae, prout in praecedenti.*

Datum Romae apud s. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo primo, quinto nonas octobris, Pontificatus Nostri anno sexto decimo.

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Gravissimum sollicitudinis et procurationis Ecclesiarum omnium ministerium a supremo animarum Pastore humilitati Nostrae commissum enixe postulat, ut non modo nihil omittamus ad Christianam Religionem provehendam, atque augendam, sed hujusmodi rei occasiones, quoties opportune se offerant, lubenti animo amplectamur, et quaeramus. Idcirco Nos ab ipso Pontificatus Nostri initio ubique terrarum Episcopales Sedes, uti potuimus, constituendas curavimus, satis compertum habentes, nullam rem posse magis conferre ad civilis etiam societatis vulnera curanda, quam si statuantur Episcopi, qui in omnibus laborantes, et ministerium suum implentes sanam orthodoxamque doceant doctrinam, bonos tueantur pravosque corrigant mores, ac populum sibi creditum ad pacem, pietatem, obedientiamque legitimis potestatibus inflamment.

Praecipua igitur pontificii cordis Nostri voluptate accepimus, ut quo magis Christifidelium copia in Indiarum occidentalium Ditione vulgo Haiti, juvante Domino, increbrescit, eo impensius et catholicae Religionis studium, et rerum etiam ecclesiasticarum per ea loca promovendarum desiderium invalescere vi-

detur. Hinc in considerationem apprime vocatum est ratumque ad spirituale illorum incolarum regimen, pabulnm et disciplinam ne dum facilius, verum etiam fructuosius explendam iam oportere ac expedire, ut nova inibi conficiatur Ecclesiastica provincia, cuius Metropolitana quatuor saltem suffraganeas Ecclesias noviter item erigendas praesto sit habitura. Proindeque initis consiliis ad ea quaeque in id necessaria probeque convenientia feliciter tandem contigit, ut quae inter hanc S. Sedem Apostolicam et propensum Haitanae Reipublicae Gubernium die vigesima octava mensis martii anno Domini millesimi octingentesimi sexagesimi inita erat Conventio, ea sub die vigesima quinta insequentis septembris solemni more fuerit utrinque confirmata et roborata.

Quare in votis maxime quidem est, ut et praesignatae Metropolitanae et quatuor eius suffraganeis Ecclesiis, quemadmodum praefertur, erigendis, illico et singillatim proprii praeficiantur Antistites, qui Episcopali caractere, iurisdictione atque auctoritate praediti pro sua quisque Ecclesia et grege, ne dum ea quae Episcopalis ordinis sunt, verum etiam quae pastoralem vigilantiam, curam, consilium, atque operam requirunt, sedulo efficaciusque satagant navare. Ast propter temporum angustias nondumve maturrimas rationes id nonnisi pro Metropolitana eiusque duobus tantummodo suffraganeis confestim praestare posse censetur, nihilominus idem Gubernium Nobis devotissime offerendas curavit preces implorandi gratia, ut ad rem tanti ponderis et Ecclesiasticae utilitatis quoad melius hodiedum fieri potest consulto componendam, eas quoque quatuor suffraganeas nulla

intermissa mora erectioni mandare dignaremur; duabus tamen ex eis in commendam seu administrationem binis ex iis Praesulibus interea concreditis.

Nos igitur, qui Beati Petri cathedram licet indigni ascensi assiduam dedimus operam ad Christifidelium ea commoda augenda, quibus ad sanctitatem iustitiamque magis magisque hisce praesertim temporibus mores suos componerent, nullaque in re ardentius adlaboravimus, quam in universo terrarum orbe munere Nobis divinitus commisso impigre fungeremur; postulationes effati Gubernii benigno favore prosequi volentes, ac in eis contentas aliasque ipsius Gubernii deliberationes, et confirmatas quod opus est sponsiones acceptas ratasque inviolabiliter habentes, nec non omnium et quorumcumque in huiusmodi negocio interesse habentium vel quomodocumque habere praesumentium ex suprema in singulas Ecclesias auctoritate Nostra Apostolica quam plenius harum serie supplentes, omnesque et singulos, quibus hae litterae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie respective absolventes et absolutos fore censentes, cunctis quae inspicienda erant matura deliberatione perpensis, motu proprio et ex certa scientia deque Apostolicae potestatis plenitudine totum illum provincialem circulum qui vernacule illic vocatur *Departement de Artibonite*, quique praesertim haec continet loca seu paroecias, scilicet Gonaives — Gros, Morne — Saint Marc — Eneres — Terre Neuve — Verrettes = Grande Saline annexe — et

Despalines — ac ita quaeque consita oppida cum suis omnibus et singulis utriusque sexus incolis, nec non adnexis terris, Ecclesiis, oratoriis, piis cujuscumque generis Institutis, bonis, juribus, et quibuscumque ceteris de more inhaerentibus accessoriis a quavis pristina superioritate, jurisdictione, regimine et administratione Ecclesiastica perpetuo Apostolica auctoritate eximimus penitusque liberamus.

Ipsumque circulum nempe cum omnibus et singulis supra memoratis oppidis seu Paroeciis eorumque inhaerentibus atque ut moris est concomitantibus accessoriis, realibus, personalibus et mixtis e vestigio in propriam et distinctam noviter erigendi Episcopatus Gonaivesensis Dioecesim simili Apostolica auctoritate etiam perpetuo praefinimus, reservando tamen Nobis sanctaeque Apostolicae Sedis praedictae liberam facultatem Dioecesim ipsam, si et quando id expedire et oportere innotuerit, aliquatenus dismembrandi, ac impertiendo dumtaxat futuro et pro tempore existenti Antistiti Gonaivesensi facultatem, qua si deinceps ratum fuerit oportere, ut ejus dioecesis Paroeciae pro majori animarum commodo aliquatenus convicinioribus finibus aptentur, vel etiam aliae inde novae instituantur Paroeciae, tunc porro negotia hujusmodi, adhibitis cum Gubernio Haitano consiliis, ad ea etiam, quibus canonice opus est pro unaquaque Parochiali Ecclesia et congruis praebendis eorum Rectoribus et Parochorum Vicariis coadiutoribus assignandis, probe pertractare, atque intra dioecesanos limites praeficere valeat et satagat.

Et quoniam civicum oppidum quod Gonaives appellatur, prae ceteris perhibetur potioribus prae-

rogativis et adminiculis pollere, illud praecipue ad civitatis Episcopalis fastigium evehimus, omnibus et singulis dein fruiturum juribus, honoribus, favoribus, gratiis, indultis, privilegiis et quibusque ceteris, quibus aliae illarum regionum civitates Episcopali titulo atque decore insignitae ordinarie gaudent et fruuntur.

Propterea templum, quod infrascripto Apostolico Delegato in id negocii specialiter deputando visum fuerit, illic magis idoneum, ornatum, ecclesiasticaque supellectile praeditum, et ab ipso prudenti eius arbitrio seligatur, ad Ecclesiae Cathedralis honorem pari Apostolica auctoritate perpetuo etiam attollimus, ita ut eadem Ecclesia priscum titulum seu invocationem, ac eamdem quam habere contingat parochialitatem et animarum curam continuo, uti juris et moris est, exercendam deinceps etiam servatura sit, ac in ea actutum erigatur sedes, cathedra, et dignitas Episcopalis pro uno ejus futuro Antistite ordinario Gonaivesensi nuncupando, qui eidem Episcopali Ecclesiae civitati et dioecesi ejusque clero et populo in Domino praesit, cooptando sibi suo lubitu in illius regimine Vicarium Generalem, cui unum vel etiam alterum superaddere ei fas erit, si pro nimia locorum inter se dissitorum longinquitate aliarumque circumstantiarum gravitate id necessario videatur praestare, itemque Religionem Catholicam Apostolicam Romanam, sicuti consulto in praefata Conventione sancitum est, plane sartam tectamque servare curet iis cum juribus et praerogativis, quibus ex Dei ordinatione et sacrorum Canonum sanctionibus frui debet, quique nimirum liber sit, quin ab ullo unquam quovis titulo impediri possit, pro Ecclesiasticarum rerum exercitio ac

etiam pro suae Dioecesis regimine in Vicarium ipsum Generalem, in consiliarios et adiutores eligere et instituere eos quotquot Ecclesiasticos viros, quos ad hujusmodi officia opportunos idoneosque judicaverit, ad Clericalem statum admittere, atque adeo ex approbatis juxta sacros Canones titulis eos praevio examine ad majores etiam ordines promovere, quos et quotquot ipse censuerit dignos vel necessarios, vel utiles in' vinea Domini, e contra eos ab Ecclesiasticorum ordinum susceptione arcere, quos vel prorsus inhabiles, vel indignos compererit, testimoniales lubitu suo conferre nec non litteras iis Dioecesanis Ecclesiasticis, qui rationabiliter optent e propria Dioecesi migrare, ut vel majoribus studiis Ecclesiasticis alibi navent operam, vel convenientius queant sacros suscipere ordines, vel ut valetudini rebusve suis honestis consulant, vel demum ut domicilium suum alio transferant; caute autem provideque testimoniales examinare litteras exterorum, qui ad suam venerint Dioecesim, ubi cupiant Ecclesiasticum quemque ordinem suscipere, vel etiam agendi gratia moram sive jugem, sive brevem trahere, insuper causas matrimoniales atque alias ex sacrorum Canonum praescripto ad judices ecclesiasticos pertinentes in suo foro cognoscere, deque iis ferre sententiam. Praeterea cum suo Clero et populo Dioecesano ad pastoralis officii munus rite obeundum communicare, atque in id suas instructiones ordinationesque publicare, ac communionem cum S. Apostolica Sede prorsus liberam sibi suoque Clero et populo adhibere atque tueri.

Cui quidem Gonaivesensi in tempore Antistiti pari Apostólica auctoritate largimur, ut is fruatur et

defungatur iis omnibus et singulis, quae ordinarie Episcoporum propria sunt, ac Episcopali cum jurisdictione, praesidentia et auctoritate tam super ea Gonaivesensi Civitate, Ecclesia Cathedrali et universa desuper indita Dioecesi, quam super omnibus et singulis utriusque sexus inhabitantibus personis (peculiari tamen exemptionis privilegio non gaudentibus) valeat et debeat illa quaeque sive personalia, sive realia, sive mixta jura, et munia, ac honores, facultates, privilegia et quaevis alia obtinere, tueri et exercere, quae juxta ss. Canones et Apostolicas constitutiones alii per eas regiones Episcopi ordinarie praeseferunt, iisque gaudent atque defunguntur. Proinde proprio jure libereque queat super iis omnibus et singulis modo memoratis ea facere, gerere, administrare, inquirere, decernere ac exequutioni mandare, quae per sacros Canones et Apostolicas Constitutiones Episcopis in proprias Ecclesias, Dioeceses, atque incolas concredita, attributa, commissaque sunt, itemque synodum Dioecesanam, quando, et quomodo ei expedire visum fuerit, convocare, atque peragere reliquamque ordinariam jurisdictionem et administrationem exercere; cauto tantum ne quis novus Gonaivesensis Episcopus ante suae consecrationis Episcopalis susceptionem super propositam sibi Ecclesiam ejusque Dioecesim ullatenus ordinariam jurisdictionem praesumere vel exercere audeat.

Iam vero ad novam Gonaivesensis Episcopatus fundationem posteramque incolumitatem et incrementum ratam et quam plenius acceptam esse decernimus eas commendati Gubernii Haitani religiosas sponsiones ad hanc S. Sedem consulto perhibitas, satisfaciendi nempe usque ad necessitatem et opportu-

nitatem quae in hoc totum opus requiruntur. Ita igitur diligenti cura et pleno sumptu ipsius Haitani Gubernii comparentur perpetuoque cum dominio adjudicentur tot satis amplae et decentes aedes, congrua etiam supellectile instructae, quot censeantur tum pro Episcopi residentia ejusque Vicarii Generalis habitatione, tum pro curia et cancellaria Ecclesiastica oportere, commendantes ut Episcopale praesertim Palatium Cathedrali Ecclesiae proximum sit, ac statuentes quod si aedes ipsae nequeant illico, uti praefertur, attribui, intereaque oporteat illas in praeenunciatos usus aliquando conduci, ejusdem conductionis pretium ab eodem Gubernio penitus erit persolvendum.

Ceterum cum praesto minime sint stabiles fundi, ex quorum redditibus Gonaivesensis Antistes valeat et debeat suam decenter tueri dignitatem, et satisfacere tot impendiis ad ejusdem Episcopatus administrationem necessariis praeter cetera, quae pro Vicarii Generalis honorario, ac administrorum illius Curiae et Cancellariae stipendiis congrue ab Haitano Gubernio sunt obeunda; hinc Nos, habita peculiarium circumstantiarum benigna ratione, dicta Apostolica auctoritate indulgemus, ut pro congrua hujus Episcopatus mensa annua constituatur summa duodecim millium francorum monetae illarum partium, quae in binas aequas solutiones, alteram videlicet die prima mensis Ianuarii, alteram autem die prima Iulii cujuslibet anni ex publico Haitani Gubernii Aerario accurate rependatur, donec tot bona stabilia non minorem nullique deductioni obnoxium redditum quot-

annis allatura eidem mensae pleno et libero cum dominio suffecta fuerint.

Ad Capitulum Cathedrale vero quod attinet, Nos habita ratione penuriae quae illic est Presbyterorum, interea Apostolica auctoritate perpetuo jubemus, ut quamprimum et quo melius fieri poterit inibi juxta sacrorum Canonum praescriptum instituatur Capitulum, quod primitus quinque saltem constet Cauonicis, quorum alter titulum et dignitatem primam Archidiaconi, alter secundam Theologi et alter tertiam Poenitentiarii cum suis respective adnexis honoribus et oneribus praeseferant; alii autem duo vel plures Canonici habeantur et sint tantummodo simplices titulares, quique omnes et singuli divina officia et ecclesiastica munia obire, ac cetera onera et quaevis alia, quae Capitulo et Canonicis cathedralium praescripta deque more illata comperiuntur, satisfacere diligenter riteque teneantur, ac cunctis honoribus, praerogativis, juribus, gratiis, favoribus, indultis, et privilegiis, quae alia viciniorum cathedralium Capitula obtinuerunt legitimoque usu adhuc fruuntur, dummodo peculiari ex concessione vel oneroso titulo data et adquisita non fuerint, gaudere debeant. Spe insuper Nos freti, quod ad divinos ritus frequentius explendos et bonorum operum fruges inter eos Christifideles in dies magis multiplicandos aliquando effatus Canonicorum numerus augeatur, atque adeo aliquot cappellani seu mansionarii adsciscantur; ac indulgentes ut Episcopus in tempore Gonaivesensis libere conferre valeat nominationem et institutionem, quam vocant etiam investituram, ad hujusmodi Cathedralis Capituli dignitates et canonicatus, itemque

ad cappellanias et mansionarias, quandocumque inibi fuerint institutae, nec non ad Paroeciales per totam Gonaivesensem Dioecesim obtinendas et possidendas, proindeque ad Parochiales quoque vicarias seu coadjutorias forsitan adsciscendas; cauto ceteroquin, ut si constituendae Cathedrali Ecclesiae animarum cura adnexa fuerit, ea habitualis penes Capitulum resideat, actualis vero per Parochum rite deinceps ab Episcopo instituendum exerceatur, eique si et quando ipsimet Antistiti visum fuerit oportere, alter vel plures idonei Presbyteri congruis pensionibus remunerandi cooptentur.

Cui quidem futuro Capitulo ut omnes et singuli Dignitarii et Canonici, nec non Cappellani seu Mansionarii tam in dicta cathedrali Ecclesia, quam extra eam (Dioecesanos tamen intra limites) quoties capitulariter convenerint indumenta et insignia choralia, quibus viciniorum Cathedralium Dignitarii et Canonici, ac Cappellani, seu Mansionarii respective utuntur (iis dumtaxat exceptis quae forsan peculiari ex privilegio vel oneroso titulo impertita fuerint) libere et licite gestare ac adhibere valeant simili Apostolica auctoritate perpetuo quoque concedimus, eidemque Capitulo, ubi fuerit sicuti desuper constitutum, ex nunc veniam et facultatem tribuimus et impertimur conficiendi sibi capitularia statuta, ordinationes et decreta sacris porro Canonibus, Apostolicis constitutionibus et Tridentini praesertim Concilii praescriptis minime adversantia, sed prorsus consentanea, quae Gonaivesensis Praesulis judicio subdenda sint, et nonnisi post ejus approbationem roboratam legis vim obtinere valeant.

Atque ut ipsius Capituli totiusque Gonaivesensis Dioecesis praebendae bonis semper idoneisque committi queant Ecclesiasticis Viris, qui strenuam pro sacrarum rerum exercitio et uberiorem pro animarum salute operam navare satagant, hinc pari Apostolica auctoritate praecipimus, quod sicuti par est propensa effati Gubernii Haitani sollicitudine, et sumptu quam primum pro Episcopali Gonaivesensi Ecclesia erigatur et opportuna etiam supellectile instituatur seminarium juxta canonicas leges et formas, libere in omnibus dirigendum ab Episcopo, cujus erit rectores inibi, administratores et professores nominare, et si quando oportuerit exonerare et dimittere, ibique eos alendos edocendosque adolescentes admittere, quos dignos et idoneos ad suae Dioecesis necessitatem et utilitatem probe responsuros existimaverit, qui quidem Episcopus in suo obeundo officio super orthodoxae fidei morumque doctrina sedulo advigilandi nedum quoad illud seminarium, verum etiam quoad universitates vel academias vel gymnasia, vel alias per Dioecesim scholas nullimode impediri queat.

Interim quum necesse dignoscatur congruas dotationes usque ad opportunitatem, sicuti est in more institutoque positum, componere tum pro annuis praesignati Capituli praebendis, tum pro quibusque impendiis in ejus Cathedralis Ecclesiae fabricam et sacrarium divinumque cultum continuo conferendis, tum denique pro erigendi seminarii Dioecesani sustentatione et incremento, hinc dicta Apostolica auctoritate statuimus, ut, quemadmodum a laudato Gubernio sponsum est, hae singulae ad viciniorum

hujusmodi Episcopatuum normam quamprimum inter infrascriptum praesentium Exequutorem Apostolicum, sin autem inter Gonaivesensem Episcopum, et Gubernium ipsum Haitanum concilientur ac certo perpetuoque modo adjudicentur, sarto tecto jure quaecumque favore Episcopalis mensae et Ecclesiae cathedralis illiusque Capituli et seminarii, nec non aliarum quoque minorum Ecclesiarum et quorumvis piorum Institutorum quandocumque in ea Dioecesi extantium bona stabilia libere liciteque legandi, acquirendi, plenoque et absoluto cum dominio possidendi, administrandi et vindicandi, quin ea et cetera quorumvis Ecclesiarum fundationum bona et pia quaeque Instituta cum aliis conjungi vel commutari vel aere alieno gravari, multoque minus distrahi aut alienari, nisi prius Apostolicae Sedis auctoritas intercesserit, salvis tamen facultatibus a Concilio Tridentino Episcopis ad id consulto attributis, ac firmis Ecclesiae doctrinis et disciplina ab eadem S. Sede approbata, quoad cetera hic enucleatim non recensita quae sive ad jura, sive ad munia, sive ad personas, sive ad res ecclesiastico titulo pertinent.

Porro vix erectio hujusmodi Gonaivesensis Episcopatus cum sua Dioecesi exequutioni demandata fuerit, Episcopalem illam Ecclesiam in suffraganeam novae Metropolitanae Portus Principis cum omnibus et singulis juribus, honoribus, praerogativis, favoribus, gratiis, indultis, privilegiis et ceteris quibuslibet, quae aliae illarum partium suffraganeae Ecclesiae de communi jure habere et tueri solent, dicta Apostolica auctoritate subjicimus, illiusque ca-

sae proventus, detractis utique oneribus et impendiis ad ejusdem administrationem necessariis et consuetis, interea dividantur in tres aequales portiones, quarum una Vicario, uti praefertur, Dioecesis administratori in sui honorarium adjudicetur, altera autem Episcopo successori ad opportunitatem reservetur, tertia denique, vel in ejusdem Ecclesiae Cathedralis fabricam et sacrarium, vel in seminarium Dioecesanum vel in Paroecias melius dotandas ac etiam noviter in Dioecesi fundandas erogetur, prout expediens aptiusque in Domino visum ratumque fuerit.

Praeterea summopere commendantes dicti Haitani Gubernii studium impensamque curam, unde satis tunc datum est, ut singulae dotationes praedictae a publico ejus aerario tuto solvantur, donec totidem certi penitusque puri redditus ex bonis stabilibus ab eodem Gubernio singillatim adsignati plenoque cum dominio perpetuo fuerint attributi, ac ipsimet Gubernio benevolentiae Nostrae sensus ad id ostendere volentes, Dilecto Filio illustri et honorabili viro hodierno, nec non pro tempore existenti ipsius Haitani Gubernii Praesidi, ut tam hac prima vice quam in posteris quibusque dictae Episcopalis Ecclesiae Gonaivesensis vacationibus intra tempus per sacros Canones praefinitum idoneam dignamque personam Episcopali illi Cathedrae per Nos, vel Romanum in tempore Pontificem praeficiendam apud hanc Apostolicam Sedem nominare seu praesentare valeat, servatis tamen quae ceteroquin de jure moreque servanda sunt, Apostolica auctoritate praedicta perpetuo similiter indulgemus.

Praesentes quoque Litteras de subreptionis, vel ob-

reptionis, aut nullitatis alioque quocumque vitio, seu intentionis Nostrae aut quolibet alio defectu quantumvis juridico et substantiali, etiam ex eo quod quicumque in praemissis omnibus et singulis quomodolibet interesse habentes, vel habere putantes et praetendentes cujuscumque qualitatis, status, gradus et conditionis et dignitatis existant ad id vocati, citati, et auditi non fuerint, ac iisdem praesentibus non consenserint, ac causae, propter quas praemissa omnia et singula emanaverint, minime vel minus sufficienter examinatae fuerint, et ex quacumque alia causa quantumvis legitima pia, privilegiata, ac speciali nota digna impugnari, invalidari, retardari, infringi aut irritari, seu ad viam et terminos juris reduci, adversus illas oris aperitionem, aut aliud quodcumque juris vel facti remedium, etiam ex capite laesionis quantumvis enormis vel enormissimae impetrari, ac etiam motu et potestatis plenitudine paribus per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros quomodolibet contra praemissa concessum acceptari, ac in judicio et extra illud allegari, deduci, aut alias illo quomodocumque uti non posse, quin immo omnia et singula praemissa semper et perpetuo, firma, valida et efficacia existere suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illaque sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam Consistorialibus minime comprehendi, nec comprehensa aliquo modo censeri, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restituta, reposita

et plenarie reintegrata, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessa esse et fore, sicque et non alias per quoscumque Iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes; etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. Ecclesiae Cardinales etiam de latere legatos vice legatos et Apostolicae Sedis Nuncios ac alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, praerogativa, privilegio, honore, et praeeminentia fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane decernimus.

Quocirca Dilecto Filio Praesuli Martiali Mariae Testard du Cosquer Apostolicae Sedis Protonotario et apud Gubernium Haitanae Reipublicae ad interim Delegato Apostolico per ipsas praesentes committimus et mandamus, quatenus ad exequutionem praemissorum omnium procedat, opportunas et necessarias Ei impertiendo facultates, quibus is ad id negotii alteram idoneam probamque personam in Ecclesiastica tamen dignitate constitutam subdelegare valeat, ita tamen, ut idem Praesul Martialis Maria, vel ejus subdelegatus ea cuncta possit et satagat declarare, curare atque etiam definitive, omni appellatione super quacumque animadversione quomodolibet forsan oritura penitus remota, decernere, quae oportuerit ad praemissa omnia probe feliciterque perficienda.

Non obstantibus etc. *sequuntur clausulae, prout in praecedenti.*

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo primo; quinto nonas octobris, Pontificatus Nostri anno sexto decimo.

PIVS EPISCOPVS

SERVUS SERVORVM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

In procuranda universalis Ecclesiae administratione humilitati Nostrae, Deo sic volente, jamdiu concredita inter tot tantasque angustias, quibus undique premimur, non leve consolationis atque gaudii Nobis solatium est catholicam religionem in aliquibus Americae regionibus prosperare, Christifidelium numerum de die in diem augeri, novasque opus esse Episcopales Sedes erigere, quo melius dominico gregi sacrisque rebus prospiciatur. Quod quidem jure meritoque dicendum est de Peruviana Republica, cujus Gubernium probe sciens unam Sanctam Catholicam Ecclesiam posse cives in officio continere, eosque subditos legibus etiam propter conscientiam reddere, nihil intentatum relinquit, ut vere et ex animo omnes ejus regionis Christifideles fidem profiteantur, ideoque omnia illis auxilia ad hoc convenienter suppeditare non desinit. Quibus curis obsequendo fel: rec: Gregorius PP. XVI Praedecessor Noster quum anno Domini millesimo octingentesimo trigesimo octavo Apostolicae Litterae pro novo Guzscanae Ecclesiae Episcopo expedirentur, nempe pro Eugenio de Mendoza cl: mem: ad illam tunc promoto expressis verbis Sibi et Apostolicae Sedi facultatem reservavit novam de-

cernendi ejusdem Ecclesiae circumscriptionem quandocumque ejusdem Sanctae Sedis arbitrio faciendam. Quam tamen longinquitate, disjunctione, locorum vastitate aliisque gravissimi momenti rebus, nec ipse Gregorius Praedecessor, nec Nosmetipsi usque ad hanc diem absolvere haud potuimus. Nunc vero ex Dilecti Filii inclyti Ducis Raymundi Castillo Peruvianae Reipublicae Praesidis, qui eam peculiarem in hac quoque re industriam sollicitudinemque ostendit, qua ardentissime flagrat in tuenda ac provehenda christiana religione, precibus Nobis per dilectum quoque filium Aloisium Mesones utriusque juris Doctorem ejusque Peruvianae Reipublicae apud Sanctam hanc Sedem egregium negotiorum gestorem oblatis tempus advenisse duximus, quo tam clari Praesidis ejusque Reipublicae desideriis satisfaciendo omnium illorum Christifidelium vota exaudiantur, et nova ex superius memoratae Episcopalis Sedis Guzscanae limitatione tandem aliquando Episcopalis Cathedra Puniensis appellanda constituatur.

Mature igitur omnibus, quae animadvertenda erant, perpensis, suprema Nostra auctoritate etiam consensui omnium interesse habentium, vel quomodocumque habere praesumentium, quatenus opus sit, omnino supplentes, et singulos quibus hae Nostrae Litterae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes; motu proprio et ex certa scientia deque Apostolicae potestatis plenitudine quinque illas Provincias, quas vernaculo

idiomate appellant Chicuito, Huancane, Lampa, Azangaro, et, Caraboya, nempe totam sectionem territorialem, quae inibi Departement de Puno vocatur, et in qua quinquaginta septem Paroeciae et triginta octo viceparochiales Ecclesiae, cum biscentum supra quinquaginta incolarum millibus reperiuntur, Apostolica auctoritate a quavis Ecclesiastica ordinaria Antistitis Cuzscensis superioritate, regimine, et jurisdictione eximimus et dismembramus, ipsasque quinque provincias cum omnibus et singulis quibusque civitatibus, sive oppidis, sive pagis et ruribus, atque adeo utriusque sexus incolis, Ecclesiis, Oratoriis, piis cujusque generis Institutis, eorumque bonis, rebus, juribus ceterisque inhaerentibus, vel de more concomitantibus accessoriis, in propriam et separatam Dioecesim pro nova mox erigenda Ecclesia Puniensi constabilimus atque adjudicamus.

Idcirco Oppidum Punium (Puno) vernaculo sermone nuncupatum civilis illius Departementi caput, quod cetera illarum partium oppida praestat, potioribusque praerogativis magisque opportunis commodis atque adminiculis commendatur, in Episcopalem Civitatem adsignamus, illique praeclarum hoc summi honoris incrementum perpetuo etiam adjicimus fruiturum in posterum omnibus illis juribus, praerogativis, praeeminentiis, favoribus, gratiis, indultis, privilegiis, et aliis quibuslibet, quibus aliae illarum partium civitates praeconio et residentia Episcopali condecoratae jure communi fruuntur et gaudent.

Illam vero Ecclesiam, quae singulas omnes antecellit, quamque harum Nostrarum Apostolicarum Litterarum Exequutor inferius nominandus arbitra-

bitur dignam, ad Cathedralitatis honorem extollimus, cum omnibus pariter juribus, honoribus, privilegiis, ceterisque quibusque, quae aliae illarum partium Cathedrales communi jure obtinent, servato tamen primaevae invocationis titulo, eademque si forsan obtineat parochialitate atque animarum cura pari modo uti antea in posterum quoque exercenda; ac ita ut in ipsa Ecclesia erigatur perpetuoque constituatur Sedes, Cathedra, et dignitas Episcopalis pro eius ordinario Antistite Puniensi nuncupando, qui eidem Episcopali Ecclesiae, Civitati ejusque universae Dioecesi, ac proinde cuncto Clero et populo in Domino praesit, ac Catholicam Romanam et Apostolicam Religionem non modo enixe tueatur, sed illam augendam de die in diem summopere curet, illisque omnibus utatur juribus, praeeminentiis atque praerogativis, quibus alias ex sacrorum Canonum sanctionibus Ecclesias etiam de jure habere Nobis compertum est. Absolutam itaque plenamque novus hic Antistes Puniensis habeat facultatem, quin ab ullo unquam quovis titulo possit impediri, ea disponendi, ordinandi, statuendi, ac decernendi, quae pastoralis ministerii sui onus, dignitas, opportunitas et conscientia requirant, libereque prorsus valeat satagatque pro Ecclesiasticarum rerum exercitio atque recta Dioecesis suae administratione, eos quotquot voluerit in generalem Vicarium, in Consiliarios, et Adjutores eligere, atque constituere, quos ad hujusmodi officia opportunos probiter judicaverit; ad Clericalem statum admittat juxta sacrorum Canonum et praesertim Concilii Tridentini normam eos, quos in sortem Domini a Deo vocatos esse cogno-

verit, ad majores Ordines nullo modo eos promoveat, qui aut ingenii periculum minime fecerunt, aut titulis a sacris legibus praescriptis careant, omnia, quae utilia et opportuna esse existimaverit in vinea Domini fideliter excolenda peragat, indignos a sacrorum Ordinum susceptione arceat, testimoniales litteras lubitu suo conferat Dioecesanis illis Ecclesiasticis, qui rationabiliter (secus non) optent ac postulent extra Dioecesim commigrare. Ea qua interest charitate prudentique consilio externorum Ecclesiasticorum, qui ad suam Dioecesim vénerint, testimoniales Litteras perpendat, illosque inibi moram facere juxtis ex causis permittat, matrimoniales causas atque alias ex sacrorum Canonum praescripto ad Ecclesiasticos Iudices pertinentes in suo foro cognoscat, pertractet, feratque sententiam; cum Clero populoque suo in iis, quae pastoralis officii sunt, libere communicet, suasque instructiones, ordinationes et decreta ad munus suum obeundum evulget, nec non liberrimam plenamque una cum suo Clero et populo cum Sancta Sede habeat et tueatur communicationem.

Quisque tandem Puniensis pro tempore Antistes ea cum adnexis quidem et de more concomitantibus tam honoribus et praerogativis, quam oneribus et muniis omnia et singula obtineat et exerceat, quae comuni de jure deque salutari opportunoque usu pastorali Episcoporum sunt propria et competentia: libere nempe teneat habeatque ordinariam jurisdictionem, regimen, administrationem, Praesidentium vigilantiam, disciplinam, atque auctoritatem Ecclesiasticam super eadem Puniensi Ecclesia Ca-

thedrali, Civitate, universaque uti praefertur constituta et attributa Dioecesi, adeoque super omnibus et singulis utriusque sexus incolis, dummodo peculiari non gaudeant exemptionis indulto, aut privilegio, ea qua par est sollicitudine et diligentia expleat, sacram Visitationem dioecesanam statutis per sacros Canones temporibus naviter obeat, dioecesanam Synodum aliquando indicat riteque conficiat, illa quaeque denique sive personalia, sive realia, sive mixta jura, munera, facultates, et quaevis alia, quae ad sacrorum Canonum Apostolicarumque Constitutionum normam ordinarie obtinent, iisque utuntur atque fruuntur illarum regionum Episcopi, praeseferat, tueatur, atque exerceat; ita ut proprio liberoque jure valeat ea quoque super iis itidem omnibus et singulis ordinare, facere, inquirere, ac demum exequutioni efficaciter mandare, quae Praesulibus Episcopis per sacros Canones Apostolicasque Constitutiones probatamque Ecclesiae Catholicae praxim in proprias Cathedrales, Dioeceses, incolas et res jure ecclesiastico concreditae et demandatae comperiuntur.

Quam quidem Cathedralem Puniensem Ecclesiam a Nobis noviter erectam illico et immediate suffraganeam Limanae Metropolitanae constituimus, una cum suo pro tempore Episcopo, Clero et populo dioecesano, obtemperaturam ordinationibus et superioritati Limani Archiepiscopi, illisque omnibus privilegiis ceterisque fruituram, quibus in iis locis Ecclesiae suffraganeae potiuntur. Utraque igitur Ecclesia, Metropolitana nempe et Episcopalis, mutuo deinceps amore se complectentur, eaque invicem prae-

stabunt, quae ab eadem Metropolitana ceterisque suis suffraganeis habentur atque exercentur.

Iam vero ad novam dicti Puniensis Episcopatus fundationem posteramque incolumitatem et incrementum ratas et quam solemnius acceptas esse decernimus eas Peruvianae Reipublicae Praesidis Gubernii religiosas sponsiones huic Sanctae Sedi ultro datas, nempe mediis et modis omnibus in sua facultate positis juvandi, ac ea qua par est munificentia et propedum ad normam aliorum per ea loca extantium Episcopatuum congrue stabiliter consulendi iis omnibus et singulis, quae ad opus hoc perficiendum necessaria et opportuna dignoscentur.

Ita igitur comparentur perpetuoque adjudicentur tot satis commodae habitationes bene instructae decentesque aedes illi Cathedrali Ecclesiae quoad fieri poterit proximiores, quot pro Puniensis Episcopi residentia, nec non pro Curia et Cancellaria Ecclesiastica convenienter oportere solent; quod si nequeant tot hujusmodi aedes in praefatos usus libero cum dominio adjudicari, interea temporis, donec vel emantur, vel aedificentur, decentesque comparentur, pretio conducantur ab ipso Gubernio, quin Episcopalis Mensa ob id gravetur, neque ulla in re teneatur.

Ut autem Puniensis Antistes eo quo par est decore suam dignitatem tueatur, nec non oneribus atque impendiis, quae in suo Episcopali munere opportuna comperiuntur, satis facere valeat, ideo Episcopalem Mensam illi constituimus eodem prorsus modo et norma pro Episcopatu de Mayinas, seu de Chachapoyas Antistite a Republica Peruviana

usque ab anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo tertio ultro libenterque oblatis atque sancitis infrascripto Apostolico Exequutori injungentes, ut ipse congruentibus cum eodem Gubernio adhibitis consiliis et argumentorum momentis eodem fere modulo et ratione provide statuat atque componat. Interea tamen temporis, habita rerum ratione neque parvi momenti circumstantiarum, indulgemus, ut nunc Puniensis Mensa quoque constituatur in numerario seu in numeranda pecunia in duas portiones quotannis dividenda atque fideliter diligenterque a Gubernio persolvenda, nempe die prima januarii et die prima julii unoquoque anno, idque praestandum erit donec tot stabiliantur bona non minorem redditum habentia, quae pleno dominio Episcopalis Mensae plene libereque subdantur. Idem insuper Puniensis Antistes libero efficacique modo valeat sicuti ceteri Peruvianae Ditionis Antistites sibi quartam, uti ajunt, Episcopalem a suis Parochis recipere non solum, sed eos quoque proventus, qui *tricesimam* appellant, piarum impositionum, census, atque omnia ea Episcopalia emolumenta, quae in illis regionibus consueta sunt.

Interim maximopere Nobis cordi esset, ut illico et immediate haec nova Cathedralis Ecclesia suo frueretur condecenti Canonicorum Capitulo cum convenienti Cappellanorum seu Beneficiatorum numero: sed cum inter alias difficultates ad hoc negotium peragendum accedat exiguus Presbyterorum numerus seu potius penuria, volumus atque mandamus, ut usque ad hujusmodi Capituli constitutio-

nem (quemadmodum pro Cathedrali Ecclesia de Chachapoyas consultum est) pari modo et congrua cum dotatione a Peruviano Gubernio quotannis persolvenda duo Adsistentes statuantur, qui simpliciter et extra ordinem Canonici appellati Episcopo pro tempore Puniensi in Pontificalibus, et in quibus ei libuerit ministerii sui functionibus assistant, in dioecesanae administrationis negociis juvent, eoque impensius ipsi Cathedrali Ecclesiae pro divinarum rerum exercitio, et Christifidelium aedificatione quoad melius ac frequentius fieri poterit,sedulo religioseque inserviant; commendantes autem , ut quocitius fieri itidem poterit Capitulum istud ex sacrorum Canonum praescripto et juxta vigentem Ecclesiae praxim erigatur, et praesto sit, ut ad instar ceterarum Cathedralium par esse queat ad divinum cultum ea qua par est frequentia, diligentia, et modestia promovendum, ac praecipientes , ne primitus institui proprieque Capitulum haberi valeat, nisi ex una saltem dignitate ac tribus Canonicis constet. Ubi autem vel sic, vel ex plurium Canonicorum et Cappellanorum numero, quemadmodum desponsum est , comprebensis quoque Theologali et Poenitentiario Canonicis, efformabitur, tunc omnes porro singulique teneantur tam divina officia et munia Ecclesiastica , quam onera et quaeque alia , quae Capitulorum Cathedralium propria sunt, rite diligenterque obire; cauto ceteroquin, quod si Cathedrali huic novae Ecclesiae parochialis animarum cura adnexa fuerit , ea tantummodo habitualis penes ipsum Cathedrale Capitulum

futura erit; actualis vero a Parocho rite ab Episcopo instituendo, uti moris est, exerceatur.

Cui quidem Capitulo simul ac inibi erectum fuerit concedimus, ut omnes et singuli ejus Canonici et si et quando adfuerint, Cappellani seu Beneficiati in choralibus et capitularibus quibusque functionibus peragendis ea decenter gestare atque adhibere libere valeant et debeant ornamenta et insignia ecclesiastica tam in dicta Cathedrali, quam extra illam dioecesanos inter limites, quae viciniorum Cathedralium Canonicis et Cappellanis respective concessa comperiuntur, iis vero exceptis, quae singulari ex indulto, aut privilegio fuerint impertita: interea tamen temporis permittimus, ut bini adsistentes Canonici, uti praefertur, nominandi ejusmodi choralia indumenta et ecclesiastica insignia assumere sibi atque gestare valeant.

Facultatem quoque huic Capitulo sic erigendo facimus conficiendi sibi capitularia statuta, ordinationes, decreta, sacris quippe Canonibus, Apostolicis Constitutionibus ac Tridentinae praesertim Synodo penitus consentanea, quae nihilominus nullam vim legis atque efficaciam habere valeant, nisi ab ordinario Antistite adprobentur; atque insuper utendi fruendique omnibus et singulis quibusque juribus, honoribus, privilegiis, praerogativis, gratiis, favoribus, et quibusque ceteris, quae alia illarum partium Capitula Cathedralia, eorumque singuli respective Canonici et Cappellani seu Beneficiati ordinario legitimo et approbato usu gaudent atque fruuntur.

Cum autem Nobis multum intersit congruis praebendis tum binorum Adsistentium, tum ceterorum

Canonicorum atque Cappellanorum seu Beneficiatorum providere; Peruviano Gubernio commendamus atque edicimus, ut, confestim adsignatis atque adjudicatis singulis pensionibus pro unoquoque ex praedictis Adsistentibus absque ulla dilatione et mora ab eodem Gubernio praestandis, actutum vel paulo post etiam summa nummorum praestabiliatur, quae convenienter sufficiat ad ejus quamprimum futuri Capituli et Canonicorum et Cappellanorum seu Beneficiatorum pra bendas juxta normam et consuetudinem ceterorum Capitulorum viciniorum Cathedralium nunc pro tunc singulatim praefiniendas, ut suo tempore ab ipso Gubernio itidem in numerata pecunia persolvantur. Quod quidem negotium conficietur vel ab eodem Apostolico harum Litterarum Exequutore, vel ab Episcopo Puniensi, collatis cum Gubernio consiliis, ut omnia providenter, prudenter et concorditer concilientur, certoque et stabili modo non solum huic gravissimae rei provideatur, sed etiam Cathedrali Ecclesiae, Fabricae, Sacrario, ceterisque hujus generis impendiis pro divinarum rerum cultu inibi jugiter decoreque obeundo, tum etiam pro Ecclesiasticorum Seminario inibi erigendo prospereque instituendo, ac certis dotationibus perpetuo in Domino providendo, sarcto tecto jure favore ipsius Mensae Cathedralis, adeoque favore Cathedralis Ecclesiae illiusque Capituli nec non Seminarii Dioecesani et aliarum quoque minorum Ecclesiarum atque piarum quarumvis Institutionum quomodolibet in ea Dioecesi extantium alia bona stabilia licite, libere, valideque legandi adquirendi, plenoque jure administrandi. Quae quidem et alia quaecum-

que bona et quarumvis fundationum pia Instituta nequeant cum aliis conjungi vel commutari vel alieno aere onerari, multoque minus distrahi atque alienari, nisi praevia Apostolicae Sedis auctoritate, salvis tamen facultatibus a Concilio Tridentino Episcopis consulto tributis. Cetera vero, quae sive ad jura, sive ad munia, sive ad personas, sive ad res, sive ad quaestiones Ecclesiastico intuitu pertinent, singulariter et singillatim administranda atque adimplenda erunt juxta promulgatam Ecclesiae doctrinam ejusque disciplinam ab ipsa Apostolica Sede adprobatam.

Ut vero queant probi doctique Presbyteri ceu Olivae in vinea Domini in ampla vastaque Dioecesi Puniensi succrescere, atque uberem fructum afferre, animarum sanctificationi pabulum, aeternaeque salutis subsidia assidue conferre, quam maxime commendamus, atque praecipimus, ut Seminarii Dioecesani juxta Tridentinum decretum fundatio cito fiat, et, quemadmodum ab ipso Peruviano Gubernio promissum est, pro Puniensis Dioecesis Alumnis in sortem Domini vocatis Seminarium erigatur, congruaque dotatione ejus incolumitati prosperoque incremento perpetuo stabilique modo provideatur, quod pro majori Ecclesiae bono sit, plane in omnibus ab Episcopo ipso Puniensi juxta Canonicas leges, et formas dirigendum, administrandum, atque gubernandum erit, illos admittendo sive Magistros sive adolescentes, quos sibi placuerit, et in Domino crediderit expedire, illas condendo leges, quas ad finem consequendum opportuniores existimabit, ejusque Seminarii sive Rectores seu Administratores

constituendo, aut si opus fuerit dimittendo. Qui quidem Episcopus in suo obeundo officio super orthodoxae fidei doctrina morumque disciplina atque honestate advigilandi non solum in dioecesano Seminario, sed in omnibus sive Universitatibus, sive Academiis, sive Gymnasiis, sive aliis cujuscumque generis scholis intra suae Dioecesis limites, sive introductis, sive quocumque modo introducendis nullo modo erit impediendus.

Eidem insuper Episcopo facultatem impertimur, statim ac in futurum Cathedrale Capitulum, uti superius diximus, constitutum atque efformatum fuerit, prudenti suo arbitrio nominandi atque instituendi, seu, uti vocant, investituram dandi ad singulos ejusdem Capituli Cathedralis Canonicatus tam dignitarios, quam non dignitarios, Cappellanos seu Beneficiatos, Mansionarios quandocumque inibi instituti fuerint, nec non ad Parochialia per totam Puniensem Dioecesim obtinenda atque retinenda Beneficia, proindeque ad Parochiales quoque Vicarias seu Coadjutorias, quae vel jam vel etiam in posterum extiterint; prudenti insuper suo lubitu eligendi sibi unum aut plures generales Vicarios, si ita locorum difficultas, atque distantia requirat, et quemadmodum in Domino expedire judicaverit, dummodo in Presbyteratus ordine sit constitutus, eaque virtute et probitate praeditus, quae in tam gravi munere exercendo necessaria esse comperiuntur.

Praeterea declaramus et jubemus, quod quoties Episcopalis Ecclesia Puniensis vacaverit, ejus Cathedrali Capitulo fas sit ex sacrorum Canonum et praesertim Concilii Tridentini decretis Vicarium Ca-

pitularem eligere, qui probe utiliterque satagat ejusdem Ecclesiae ac Dioecesis regimen, et ordinariam vacationis tempore in eadem Civitate et Dioecesi administrationem habere. Si vero et quoties praefata vacatio acciderit antequam Cathedrale Capitulum, uti dictum a Nobis est, constituatur, tum illico et immediate Dioecesanum regimen et administrationem suscipiat et peragat qui tunc in Vicarii Generalis officio comperietur. Quod si plures per eam Dioecesim Vicarii Generales hoc munere fruentur, ille praecipue officium ipsum navare pergat, qui ab Episcopo ante vacationem fuerit speciatim ad id maturo judicio deputatus, aut ille qui prior nominatus fuerit ab Episcopo in officio Vicarii gerendo. Cui quidem Vicario veluti Capitulari et Praesidi Dioecesis sic electo omnes Dioecesis alii Vicarii, Presbyteri, et incolae, cujuscumque gradus fuerint, parere in Domino teneantur, donec novus huic Dioecesi Puniensis Antistes non fuerit suffectus. Interveniente autem casu, quo nondum Cathedrali Capitulo confecto Episcopus diem obierit supremum, neque ullum specialiter deputaverit Vicarium, tunc ad illius Ecclesiae Cathedralis atque Dioecesis Puniensis regimen tempore vacationis gerendum competenter ad Metropolitanum Antistitem Limanum recurratur, ut huic negotio prospiciatur, ac ea recte probeque adhibeantur atque serventur, quae a jure canonico sancita atque jussa comperiuntur. Interea tamen temporis saepedicto Apostolico Exequutori committimus, quod simul ac novi hujus Episcopatus Puniensis erectionem confecerit, si Cathedrale Capitulum constituere nondum potuerit, protinus ipse prudenti

suo arbitrio probum eligat idoneumque Presbyterum, cui Vicarii Generalis tribuat munus cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, ut de jure legitimaque consuetudine universam Dioecesim regat atque administret; lege insuper adjecta, ut quoties et quamdiu ea Sedes Puniensis vacaverit, annui ejus mensae redditus, deductis utique omnibus et singulis expensis in ejus Episcopatus administratione necessariis, in tres aequales partes dividantur, quarum una Vicario in suum honorarium seu stipendium adjudicetur, altera Episcopo successori ad ejus opportunitatem reservetur, tertia demum vel in ejusdem Ecclesiae Cathedralis fabricam et Sacrarium, vel in Dioecesanum Seminarium vel in alios pios usus intra ejus Dioecesis limites probe religioseque impendatur, prout Cathedrali Capitulo, si extiterit, sin autem Vicario praefato magis placuerit; reservantes Nobis plenam liberamque facultatem Puniensem Dioecesim adeo vastam aliquando, et cum Nobis congruum opportunumque visum fuerit, circumscribendi, ut commodius et fructuosius valeat ipse Antistes Dioecesis suae ordinariam gerere procurationem, animarumque sibi concreditarum spirituali bono prospicere, ac impertientes dumtaxat futuro et pro tempore existenti Puniensi Praesuli facultatem, quatenus opus fuerit, paroeciales Ecclesias sive aliquatenus circumscribendi, sive noviter constituendi semper in Dioecesis Puniensis limitibus, prudenter cum Limano Gubernio collatis consiliis, praesertim super iis quae canonice oportent tum ad unamquamque Parochialem Ecclesiam congrue dotandam, tum ad praebendas pro singulis earum Rectoribus eorum-

que Coadjutoribus atque Vicariis perpetuo stabiliterque praestandas, sarctis ceteroquin tectisque servatis favore singularum quarumvis Ecclesiarum, vel quae jam vel in posterum extiterint, iis etiam proventibus, qui dummodo legitimo usu atque auctoritate comprobati sint per ea loca percipi atque haberi solent ex piis et numerosis tum Confraternitatibus tum fundationibus, vel ex iis titulis ibi vulgari idiomate – *pie de Altar* – nuncupatis, vel ex alia quavis religiosa causa adsignatis, eidem Peruvianae Reipublicae seu Gubernio enixe commendantes solutionem quadraginta centena millia ponderum argenteorum, seu scutatorum romanorum pro sarcitione, substentatione et incolumitate Ecclesiarum omnium in eadem Peruviana Republica consitarum. Quam quidem nummorum summam in Comitiis sponsam et deliberatam minime dubitamus Gubernium esse illico soluturum pro eo quo afficitur zelo christianae Religionis efficaciter provehendae.

Quo vero ad dotationes, quae novam hanc Puniensem Cathedralem respiciunt, ejusque pro tempore Antistitem, jubemus, eas omnes constitui atque inscriptas esse permanenter super publico Aerario ejusdem Peruviensis Reipublicae, donec uti Nobis maxime cordi est, ut ab eodem Gubernio promissum, totidem certi penitusque puri redditus ex bonis stabilibus singillatim adsignandis plenoque cum dominio adjudicandis confici commode potuerint; adsignantes taxam de more adhibendam pro Litterarum Apostolicarum expeditione favore cujusque novi Antistitis in aureis florenis de Camera triginta tribus cum

tertia ejusdem floreni parte in Libris Apostolicae Camerae sacrique Collegii de more inscribendam.

Quae a Nobis jussa atque sancita, ut sollicite fideliter diligenterque conficiantur, atque exequutioni mandentur specialiter deputamus Venerabilem Fratrem Iosephum Sebastianum Limanae Ecclesiae Metropolitanae Antistitem cum facultate et potestate ad hoc tantummodo opus explendum subdelegandi seu delegandi idoneum probumque Virum in Ecclesiastica dignitate constitutum cum necessariis et opportunis facultatibus quibuslibet, ut ipsemet delegatus per se vel per suum subdelegatum ea omnia et singula ordinare, statuere, atque etiam definitive, omni et quacumque appellatione remota, valeat quae oportuerit ad hoc negotium rite conficiendum decernere feliciterque ad exitum optatum perducere; injungentes eidem Exequutori Nostro ut intra sex menses ab expleta harum Apostolicarum Litterarum exequutione in authentica forma decreti exequutorialis exemplar, aliorumque quorumvis, quae super erectione novi hujus Puniensis Episcopatus fuerint quocumque modo ferenda.

Praesentes quoque Litteras et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari; sicque et non alias per quoscumque Iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, Vice legatos dictaeque Se-

dis Nuncios judicari ac definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane volumus atque decernimus.

Non obstantibus etc. *sequuntur clausulae, prout in praecedenti.*

Datum Romae apud s. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo primo, nonis octobris, Pontificatus Nostri anno sexto decimo.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXIII DECEMBRIS MDCCCLXI.

VENERABILES FRATRES

Inter plurima ac splendidissima sane argumenta, quae divinam omnino esse sanctissimam nostram religionem luculenter ostendunt, merito recensetur, uti Vobis compertum exploratumque est, Venerabiles Fratres, eximia illa, ac plane admirabilis vitae sanctitas et fortitudo, qua innumerabiles Catholicae Ecclesiae filii cujusque nationis, ordinis, aetatis, sexus et conditionis mirifice fulgentes, Christi Domini praecepta, consilia, vestigia sequuti, et spectaculum facti mundo, Angelis et hominibus omnium egregiarum virtutum copia, et miraculorum fama maxime eminuerunt, atque, ubi opus fuit, pro catholica fide strenue dimicantes, et crudelissimos quosque cruciatus constanter perpessi, triumphali sanguine effuso, martyrii palmam adepti sunt.

Atque in clarissimis, innumerisque nostrae religionis heroibus, qui illustribus suis triumphis, virtutibus et prodigiis sanctam exornarunt, ac decorarunt Ecclesiam, numerantur quoque tum viginti tres ex iis, qui Ordini sancti Francisci adscripti in Japonia primi pro Christo omnis generis ludibria,

tormenta impavide subeuntes praeclarum fecere martyrium, tum Michael De Sanctis Ordinis Reformatorum Excalceatorum Sanctissimae Trinitatis captivis redimendis, quos omnes jam inter Beatos Caelites veneramur. Cum autem turbulentissimis hisce et asperrimis temporibus incredibili animi Nostri dolore haec Apostolica Sedes tot divexetur injuriis, Ecclesia tot laceretur vulneribus, in Italia praesertim, et in variis Americae, aliisque regionibus, ubi ipsius Ecclesiae libertas, jura, ac doctrina miserandum in modum violantur, oppugnantur, ac civilis societas tot affligatur malis, iccirco summopere optamus novos apud Deum habere patronos, qui, in tanto rerum discrimine validissimis suis precibus impetrent, ut, tam horribili discussa malorum procella, optatissimam Catholica Ecclesia, et civilis societas assequatur pacem, omnesque praevaricantes meliorem induant mentem, redeant ad cor, ac resipiscant, et ubique terrarum virtus, religio, pietas ac justitia vigeat ac dominetur. Quamobrem causas Canonizationis Beatorum viginti trium in Japonia Martyrum, et Michaelis De Sanctis promovendas decrevimus, ut, insignibus illorum meritis universae Ecclesiae venerationi propositis, omnes fideles populi ad illorum virtutes imitandas praesidiumque implorandum excitentur et inflammentur. Itaque ex more institutoque Praedecessorum Nostrorum hodierno die in hoc amplissimo vestro conventu de eorumdem Beatorum vita rebusque praeclare gestis, ac prodigiis ad Nos referri, et a Vobis audiri expetimus.

Hic Cardinalis Patrizi SS. Rituum Congregationis Praefectus relationem facit de tribus et viginti Japoniae Martyribus. Deinde Sanctitas Sua

Accepistis, Venerabiles Fratres, quam admirabilis fuerit Deus in his servis suis, qui eximiis refulgentes virtutibus, ac divinae caritatis igne inflammati acerbissima ludibria ac tormenta animo excelso et invicto despicientes in crucem acti lanceisque confossi in odium catholicae fidei interfecti fuerunt, ac pretiosam martyrii coronam sunt consequuti. Accesserunt etiam prodigia accuratissimo examine perpensa, cunctisque suffragiis probata. Placet ne igitur Vobis, ut ad solemnem eorumdem Beatorum Martyrum Canonizationem iuxta consuetum Apostolicae Sedis morem procedamus?

Postea, facta ab eodem Cardinali relatione causae Beati Michaelis De Sanctis, idem Summus Pontifex sic loquutus est:

Venerabiles Fratres, ex iis, quae audistis, clare aperteque perspectum est, quam praeclare Beatus Michael De Sanctis, omnibus spretis mundi illecebris, absconditam cum Christo vitam egerit et qua singulari innocentia, humilitate, poenitentia, obedientia claruerit, et flagrantissima caritate exarserit, quibusque mirabilibus signis Omnipotens Deus ejus sanctitatem comprobare voluerit. Videtur ne itaque Vobis, ut ad illius quoque Canonizationem solemni ritu deveniamus?

Postquam omnes responderunt Placet, *Sanctitas Sua sic prosequuta est :*

Summae quidem voluptati Nobis fuerunt, Venerabiles Fratres, Vestrae sententiae, quas de hac re rogavimus. Cum vero de tanti momenti negotio alia consuetis solemnitatibus habenda sint Consistoria, iccirco illorum diem Vobis significandum curabimus.

PIUS PP. IX.

PIVS PP. IX.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Romani Pontifices, quibus ab ipso Christo Domino in persona Beatissimi Apostolorum Principis fuit commissa suprema cura et potestas universam regendi ac moderandi Ecclesiam, nunquam intermiserunt indefessis consiliis et laboribus sanctissimam Christi fidem, religionemque diffundere per omnes terras, et secundum Domini praeceptum confirmare Fratres, et homines nutantes sustinere, et imperitos docere, et laborantes erigere, et devios revocare, et incertos ducere, ac vel haeresis, vel schismatis contagione infectos ad catholicae unitatis centrum reducere, et spirituali omnium populorum bono consulere, et omnia peragere, quae majori Ecclesiae utilitati quovis modo conducere possent. Cum autem Ecclesia a Christo Domino fundata una omnino sit, eaque ex Occidentis et Orientis populis constet, tum iidem Romani Pontifices suas omnes paternas curas cogitationesque in Orientalis quoque Ecclesiae gentes assidue contulerunt, quae tot habuit viros ingenio, consilio, sacraque praesertim doctrina, eruditione, eloquentia, ac sapientissimis scriptis magnorumque recte factorum et sanctitatis gloria insignes.

Et sane ut in Oriente integrum inviolatumque catholicae fidei servaretur depositum, utque Eccle-

siastica disciplina prospere procederet, et sacra liturgia omni sanctitate ac splendore fulgeret iidem Pontifices, ubi primum Ecclesiae pax fuit donata et plura convocarunt Concilia, et varias edidere Constitutiones, decreta, nihilque intentatum reliquere, ut Orientalium utilitatem promoverent. Quod quidem singulare Romanorum Pontificum, et huius Sanctae Sedis erga orientales populos studium et amor semper viguit, ac vel maxime enituit, cum aliqua praesertim oborta est haeresis aut schisma excitatum, quandoquidem iidem Pontifices nullis sibi curis parcendum esse duxerunt, ut in Oriente catholica servaretur, et magis in dies propagaretur unitas. Atque haec fidei unitas cum legitimorum rituum varietate optime consistit, ex quibus immo maior in Ecclesiam ipsam splendor et maiestas mirifice redundat. Hinc ipsi Decessores Nostri non solum in animo numquam habuere orientales gentes ad ritum latinum ducere, verum etiam, quoties opportunum esse existimarunt, luculentissimis verbis clare aperteque declararunt, se nolle proprios Orientalium Ecclesiarum ritus, utpote venerabili suae originis antiquitate, et Sanctorum Patrum auctoritate commendatos destruere vel immutare, sed unice velle ne quid in ritus ipsos forsitan induceretur, quod fidei catholicae adversetur, vel periculum generet animarum, vel ecclesiasticae deroget honestati, quemadmodum immortalis memoriae Benedictus XIV Decessor Noster copiose demonstravit suis Encyclicis Litteris ad orientales Missionarios die 16 Julii anno 1755 datis, quarum initium « *Allatae sunt.* » Quod si orientales ritus alicuius arbitrio aliquando

immutati fuerint, id numquam Apostolicae huic Sedi est tribuendum.

Maiores vero, ac potissimae post funestissimum, et nunquam satis lugendum Photii schisma curae et sollicitudines pro Orientalibus a Romanis Pontificibus, et ab hac Apostolica Sede adhibitae fuere, quae optatissimum in Florentino Concilio assequutae sunt exitum, cum in eodem Concilio sancta catholica unio iamdiu tam vehementer expetita fuerit restituta. Cum vero Marcus Archiepiscopus Ephesinus tamquam novus Photius huiusmodi unionem insigni prorsus audacia convellere et labefactare est conatus, Romani Pontifices omnem dederunt operam, ut Graecos ad catholicam unitatem reducerent, ac spiritualibus omnium Orientalium necessitatibus studiosissime occurrerent. Quocirca eorumdem Pontificum cura et Missionarii ad Orientales gentes missi, et orientalium rituum libri recogniti, et peculiaria S. R. E. Cardinalium Consilia instituta, quae eorum negotia sedulo examinarent ac definirent. Et quidem pluribus annis ante Clementis VIII Pontificatum specialis instituta fuit Congregatio *de rebus Graecorum*, ac alia deinde sub eodem Pontifice erecta *super negotiis fidei et religionis catholicae*, paulo post appellata *de Propaganda Fide*, quae tum Graecorum, aliorumque Orientalium negotia, tum fidei propagationem in occidentalibus regionibus curaret. Atque haec Congregatio eumdem habebat finem, quem deinde habuit, et in praesentia habet Congregatio generalis eodem titulo *Propagandae fidei* insignita et a Gregorio XV Apostolicis Litteris die 23 Maii anno 1622 datis et inci-

pientibus « *Inscrutabili* » erecta cum munere *praesidendi Missionibus omnibus ad praedicandum et docendum Evangelium et catholicam doctrinam.*

At vero, inspecta Orientalium cum ritus tum disciplinae varietate , vel facile fuit statim agnoscere, etiam post praedictae Congregationis generalis de Propaganda Fide institutionem, necesse esse ut quemadmodum Occidentalium ita et Orientalium graviora negotia, quae maiori examine et studio indigerent, peculiariter a nonnullis eiusdem Congregationis generalis Cardinalibus tractarentur. Quocirca, Urbano VIII Pontifice, qui in locum Gregorii XV fuit suffectus, duae speciales ex ipsius generalis Congregationis de Propaganda Fide gremio Congregationes constitutae fuere, quarum altera appellata *super dubiis Orientalium*, altera *super correctione Euchologii Graecorum.* Ut vero opus ab hac postrema Congregatione inceptum ad finem perduceretur, et studia eidem pro Euchologio Graecorum commissa omnes Orientalium libros complecterentur, nova Congregatio uti stabilis et distincta a Congregatione de Propaganda Fide erecta fuit a Clemente XI *super correctione librorum Orientalium* proprium habens Praefectum et Secretarium, et constans ex quinque Cardinalibus, pluribus theologis virisque orientalium rituum et linguarum peritis. Ex ipsius autem Congregationis Christianae Fidei Propagandae actis apparet quomodo fere semper, ubi de aliquibus summi momenti Orientalium negotiis erat peragendum, eorum cura et examen fuerit demandatum peculiaribus Consiliis, seu Congregationibus. S. R. E. Cardinalium eiusdem Congre-

gationis de Propaganda Fide, quemadmodum praestitum fuit de rebus, quae Graecos Melchitas, Armenios, Cophtos, Maronitas, Ruthenos, aliasque orientales nationes respiciebant.

Haec autem agendi ratio, quam ipsa rerum natura et indoles exposcit, Nobis viam munivit ad ea deliberanda, quae Nostris hisce Litteris constituere existimavimus. Cum enim arcano Divinae Providentiae consilio in hac Petri Cathedra licet immerentes collocati pastoralis Nostrae vigilantiae, sollicitudinis et caritatis curas cogitationesque ad universum humanum genus indesinenter debeamus extendere, ac simul omni contentione eniti et efficere, ut omnes cognoscant solum Deum verum, et quem misit Iesum Christum, et omnes occurrentes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei vitam habeant, et abundantius habeant, iccirco vel ab ipso Nostri Pontificatus exordio curas Nostras ad Orientales studiosissime aeque ac amantissime convertimus, clementissimum misericordiarum Patrem sine intermissione orantes et obsecrantes, ut qui in fidei unitate cum hac veritatis Cathedra sunt consociati magis in dies stabiles et immoti persistant, et crescentes in scientia Dei, et cognitione Domini Nostri Iesu Christi per bona opera certam eorum vocationem et electionem faciant, qui vero ab unico Christi ovili, extra quod salus esse non potest, misere aberrant, ad illud redire properent, atque festinent. Ea porro spe sustentamur fore, ut dives in misericordia Deus hisce Nostris humillimis et ferventissimis precibus propitius annuere velit. Interim vero prae oculis habentes praesentem Orienta-

lium conditionem, et noscentes, in aliquibus locis quaedam impedimenta, Deo auxiliante, ita fuisse remota, ut orientalis ritus gentes possint cum hac Apostolica Sede libere communicare, et iccirco facilius Nobis sit gravibus illarum indigentiis occurrere, Apostolici Nostri ministerii esse duximus, Nostras paternas curas et sollicitudines ingeminatis studiis adhibere, ut spirituali eorumdem Orientalium bono et necessitatibus maiorem in modum prospicere valeamus. Itaque selectae S. R. E. de Propaganda Fide Cardinalium et Romanae Curiae Praesulum Congregationi commisimus, ut, rebus sedulo perpensis, Nobis proponeret quae potiora essent suscipienda consilia ad Orientalium utilitatem magis magisque procurandam. Qui quidem Cardinales et Praesules ex una parte apprime noscentes quam multiplices gravesque sint Orientalium indigentiae, et quam necesse sit, ut illorum negotia propter linguae, ritus, disciplinaeque varietatem peculiari ratione quotidie magis dirigantur, ex altera vero animadvertentes quae quantaeque sint curae et occupationes eiusdem Congregationis Fidei Propagandae ob mirum sanctissimae nostrae religionis progressum, hoc potissimum ineunte saeculo, divina adspirante gratia, in America septentrionali, in Indiis orientalibus, in Sinis, in Oceania, aliisque Europae locis singulari eiusdem Congregationis opera studioque effectum, et ob auctum Sedium Episcopalium et Apostolicorum Vicariatuum, et sacrarum expeditionum seu Missionum numerum, vel facile sibi persuaserunt, eamdem Congregationem novis indigere auxiliis, ut sine gravibus difficultati-

bus Orientalium negotiis speciali modo providere queat. Quamobrem sensere opportunum omnino esse ad huiusmodi assequendum finem, ut ex ipsius Congregationis Fidei Propagandae more, formandi scilicet speciales Congregationes pro rerum ac temporum gravitate, institueretur peculiaris Congregatio, quae stabili modo omnia tum ritus, tum disciplinae orientalium Ecclesiarum negotia tractanda ac dirigenda, unice curaret. Quamobrem Nobis proposuere consilium formandi ex ipsa Congregatione Fidei Propagandae specialem et stabilem Congregationem, quae Orientalium libris corrigendis, omnibusque et singulis cuiusque generis Orientalium negotiis tractandis unice operam navet, quaeque constet ex nonnullis eiusdem Congregationis Fidei Propagandae Cardinalibus, atque a generalis ipsius Congregationis Cardinali Praefecto pendeat, et proprium habeat Secretarium, proprios Consultores, ac proprios Officiales. Nos igitur de maiori Orientalium bono summopere solliciti, et ea omnia peragere vehementer cupientes, quae spirituali eorumdem prosperitati magis in dies conducere queant, de eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio ac sententia hisce Litteris auctoritate Nostra Apostolica praedictam specialem Congregationem pro omnibus Orientalium Ecclesiarum negotiis unice tractandis ac dirigendis perpetuum in modum erigimus et constituimus, iis tamen legibus et conditionibus, quas hisce Nostris Litteris statuimus, et quas perpetuo servandas esse praecipimus.

Omnia itaque negotia, quae ex commemoratis Decessoris Nostri Gregorii XV Litteris « *Inscrutabili* » aliorumque Romanorum Pontificum Constitutionibus ad eamdem Congregationem de Propaganda Fide pertinent, erunt in posterum in duas plane distinctas classes divisa, nempe in negotia latini ritus, et negotia orientalis ritus. Nova Congregatio a Nobis instituta omnia Orientalium negotia, etiamsi mixta, quae scilicet sive rei, sive personarum ratione Latinos attingant, tractare debebit, nisi eadem Congregatio negotia ipsa ad generalem Propagandae Fidei Congregationem deferenda esse interdum existimaverit. Atque haec Congregatio pro negotiis Ecclesiarum ritus orientalis, cui praeerit Cardinalis Praefectus Congregationis Propagandae Fidei, constabit ex sufficienti numero Cardinalium ipsius Congregationis Fidei Propagandae, et proprios habebit Consultores, ac distinctum Secretarium, et Secretariam cum suis propriis Officialibus. Ut autem huic Congregationi a Nobis statutae praesto sint viri, qui Ecclesiarum orientalium linguas, ritum ac disciplinam calleant, in hanc almam urbem Nostram nonnullos arcessivimus ecclesiasticos viros doctrina, et orientalium rerum peritia spectatos, qui suis studiis, et scientia eidem Congregationi a Nobis erectae auxilio sint in iis praesertim, quae orientalium Ecclesiarum ritus ac disciplinam, et orientalium librorum emendationem respiciunt.

Haec autem Congregatio retinebit titulum *De Propaganda Fide* cum hac tantum accessione *Pro negotiis ritus orientalis*, et eodem utetur sigillo, quo Congregatio Fidei Propagandae utitur. Cum au-

tem inter omnia orientalia negotia huic Congregationi a Nobis commissa contineatur etiam quidquid ad eiusdem ritus librorum emendationem spectat, iccirco declaramus iam nunc extinctam Congregationem hac de causa a Clemente XI institutam, veluti per has Litteras auctoritate Nostra Apostolica plane supprimimus et abolemus. Volumus tamen, ut in eadem Congregatione hisce Nostris Litteris constituta existat Cardinalis *Ponens* a Nobis, et a Nostris Successoribus stabili modo semper eligendus, qui munere fungatur sedulo dirigendi studia, quae necessaria sunt ad colligendos Ecclesiae orientalis canones et ad examinandos, ubi opus fuerit, omnes orientales libros cuiusque generis sint, sive huiusmodi libri respiciant Sacrorum Bibliorum versiones, sive catechesim, sive disciplinam.

Praeterea volumus, ut Cardinales huiusce novae Congregationis a Nobis hisce Litteris delecti in primo conventu dividant inter se propria cuiusque orientalis nationis negotia. Atque huiusmodi divisio ita efficiatur, ut unusquisque Cardinalis stabili modo penes se habeat negotia unius vel plurium orientalium nationum, prout ei in divisione contigerit. Cum vero eveniat, ut aliquis Cardinalis suscepto munere perfungi non amplius queat, volumus, ut huius novae Congregationis Cardinales in ipsius Congregationis conventu praesentes optionis iure potiantur, ita ut ultimus ex praedictis Cardinalibus post peractam optionem, illius orientalis nationis negotia procuranda suscipiat, quae Cardinalis curatione vacaverint, quo omnes orientales nationes suum semper habeant Cardinalem Relatorem, qui Congrega-

tionem accuratissime certiorem faciat de iis negotiis, in quae ipse incumbit.

Iam vero cum haec Congregatio praescripto modo a Nobis excitata pars sit Congregationis Fidei Propagandae, tum eidem novae Congregationi, eiusque omnibus Officialibus concedimus et impertimur omnes facultates et privilegia Congregationi Fidei Propagandae a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris attributa ea plane ratione, qua eadem privilegia et facultates in praesentia vigent. Huius autem Congregationis, cui praeerit pro munere, quo fungitur, Praefecti generalis Congregationis de Propaganda Fide, Dilectus Filius Noster Alexander Presbyter Cardinalis Barnabò, Cardinales eligimus et nominamus Venerabiles Fratres Nostros Constantinum Patrizi Episcopum Portuensem et S. Rufinae, ac Ludovicum Altieri Episcopum Albanensem, itemque Dilectos Filios Nostros Camillum Di Pietro S. Ioannis ante Portam Latinam, Carolum Reisach S. Caeciliae, et Antonium Mariam Panebianco SS. XII Apostolorum Presbyteros Cardinales, nec non Dilectos Filios Nostros Petrum Marini S. Nicolai in Carcere Tulliano, Iacobum Antonelli S. Agathae ad Suburram, et Prosperum Caterini S. Mariae de Scala Diaconos Cardinales, ex quibus destinamus *Ponentem* pro cognoscendis orientalium Ecclesiarum libris, earumque canonibus colligendis, veluti supra constituimus, Cardinalem Carolum Reisach.

Quod si quaelibet ecclesiastica Congregatio semper habuit Consultores doctrina praestantes, qui graviora ac difficiliora negotia sedulo perpenderent, eaque prudenti sapientique Cardinalium examini, consilio, iudicioque exponerent, ac subiicerent, id

vel maxime memoratae Congregationi a Nobis pro Orientalium negotiis institutae est necessarium ob idiomatum praesertim,ac rituum varietatem,sine quarum rerum cognitione nec accuratum iudicium, nec opportuna consilia suscipi possunt. Atque iccirco volumus, ut huic Congregationi semper praesto sint sufficienti numero Consultores non solum theologica scientia, verum etiam rerum orientalium peritia instructi, aliisque dotibus ornati, quibus eidem Congregationi utilitati et auxilio esse valeant. Cum vero inter negotia Congregationis latini ritus, et illa orientalis ritus mutua communicatio, et vinculum intercedere interdum possit, tum statuimus ac decernimus, ut alterius Congregationis Secretarius sit alterius Congregationis Consultor. Ut autem praedictae Congregationi nunquam desint viri, qui orientalium linguarum rerumque scientia praediti Consultoris munus exerceant, eidemque Congregationi quovis modo utilem operam praebeant, Cardinalis Praefectus Congregationis Fidei Propagandae Nobis, Nostrisque Successoribus proponet eo, quo fieri potest, numero ecclesiasticos viros delectos, seu ex illis, qui Urbaniani Collegii fuerunt alumni, sive ex variis Religiosis Familiis, ut Romam venientes omnia eorum studia commemoratum in finem sedulo conferant. Interim vero huius novae Congregationis Consultores nominamus Venerabiles Fratres Alexandrum Franchi Archiepiscopum Thessalonicensem S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretarium, Iosephum Cardoni Episcopum Caristensem, ac Dilectos Filios Aloisium Ferrari Pontificiarum caeremoniarum Praefectum, Dominicum Bartolini SS. Rituum Congregationis Secretarium,

Josephum Fessler iuris Canonici in Universitate Vindobonensi Professorem Antistites Domesticos, et Bonifacium Haneberg Ordinis S. Benedicti Abbatem Monasterii S. Bonifacii ac Professorem S. Scripturae in Universitate Monacensi, Aloisium Vincenzi linguae Hebraicae, Paulum Scapaticci linguae Siro-Chaldaicae, Philippum De Angelis iuris canonici in hac Romana Universitate Professores, Carolum Vercellone Procuratorem Generalem Congregationis CC. RR. SS. Pauli et Barnabae Apostolorum, J. Baptistam Franzelin S. J. Sacrae Theologiae in Collegio Romano Professorem, Augustinum Theiner Presbyterum Oratorii S. Philippi Nerii, J. Baptistam Pitra, Pium Zingerle, Bernardum Smith sodales Ordinis S. Benedicti. Volumus etiam, ut nonnulli ex Romano Clero iuvenes, qui eorum ingenio, et studiorum curriculo cum laude exacto maiorem felicis exitus spem ostendunt, in ecclesiasticarum orientalium rerum studia, aliquo Consultore duce, naviter incumbant, quo ipsi Consultoris munus in tempore sustinere possint; itemque volumus, ut qui ex eisdem ecclesiasticis cum progressu huiusmodi studiis vacaverint, praeferantur, dum ecclesiastica beneficia erunt conferenda.

In eadem Congregatione, uti constituimus, proprius Secretarius existere debet, qui omnia eiusdem Congregationis munia exerceat eo prorsus modo, quo alter Secretarius Congregationis latini ritus exercet, et eadem omnino tum in tractandis orientalis ritus negotiis, tum in novae Congregationis conventibus habendis, methodo servata, quae in praesentia a Congregatione Fidei Propagandae adhibetur. Ad

hoc autem Secretarii officium deligimus et nominamus Dilectum Filium Joannem Simeoni Protonotarium Apostolicum. Ut autem uterque Secretarius probe noscat omnia tum latini, tum orientalis ritus negotia, iubemus, ambos Secretarios interesse Conventibus utriusque Congregationis, ita tamen, ut Secretarius Congregationis generalis Fidei Propagandae alterum Congregationis pro negotiis ritus orientalis ratione officii praecedat, et Protonotarius Apostolicus post utrumque Secretarium sedeat. Quod autem attinet ad novae Secretariae Officiales volumus, ut in ea sufficienti numero Officiales existant, prout opus fuerit temporis decursu. Ambae Congregationes eodem Tabulario, eademque Typographia omnino utentur. Cum vero ex huius novae Congregationis institutione impendia augeantur Congregationis Fidei Propagandae, iccirco congruos assignavimus fundos.

Atque hic levantes oculos Nostros ad miserationum Dominum, ab Ipso humiliter enixeque exposcimus, ut divinae suae gratiae divitias super orientales nationes copiose effundens, efficiat, ut tot olim illustres in Oriente Episcopales Cathedrae Apostolorum auctoritate constitutae, quae nunc, heu miserum! a petra, cui Ecclesia innititur, seiunctae et collapsae iacent, denuo pristino exornatae splendore reviviscant, atque uti antea vigeant, floreant fideliter custodientes fidei depositum, morumque disciplinam.

In eam profecto spem erigimur fore, ut bonorum omnium auctor et largitor Deus Nostris hisce curis propitius benedicere velit, utque omnes Orien-

tales qui catholicam veritatem profiteri gloriantur, hisce paternis Nostris studiis magis in dies respondeant, nihilque antiquius habeant, quam ut arctiori usque amoris et obsequii vinculo huic Petri Cathedrae firmiter constanterque adhaereant, ac miseros errantes ad catholicam unitatem reducere contendant.

Haec volumus, statuimus, praecipimus et mandamus decernentes has Nostras Litteras, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere praetendentes vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel alio quolibet etiam substantiali defectu notari impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari, vel in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque iuris vel facti, aut iustitiae remedium impetrari posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari, ac praedictae novae Congregationi pro negotiis ritus orientalis, nec non personis, quarum favorem praesentes Nostrae Litterae concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, neque ad probationem, seu verificationem quorumcumque in iisdem praesentibus narratorum unquam teneri, nec ad id in iudicio, vel extra cogi, seu compelli posse, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scien-

ter vel ignoranter contigerit attentari, irritum ac inane esse ac fore volumus et declaramus.

Non obstantibus commemoratis Apostolicis Litteris Gregorii XV incipientibus « *Inscrutabili* » itemque Clementis XI aliisque omnibus Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, nec non de iure quaesito non tollendo, aliisque Nostris, et Cancellariae Apostolicae Regulis, itemque Congregationis Propagandae Fidei etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et concessionibus, quamvis expressa, specifica et individua mentione dignis; quibus omnibus et singulis, eorum totis tenoribus et formis, praesentibus pro insertis habentes, ad praemissorum dumtaxat effectum latissime et plenissime, ac specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque,

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die sexta mensis Ianuarii Anno MDCCCLXII. Pontificatus Nostri Anno decimosexto

G. B. CARD. PIANETTI

PIUS PAPA IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad universalis Ecclesiae regimen, Deo sic disponente, vocati, pro pastorali, qua urgemur, sollicitudine haud praetermisimus ad religiosas quoque familias mentis aciem, animique curas intendere, ut eae, de christiana et civili republica optime meritae, ad pristinum splendorem revocarentur, et incrementum acciperent. Probe autem agnovimus tristissimis hisce temporibus, quibus inimici Crucis Christi humana divinaque omnia pessumdare, ac mores pervertere student, maximam adhibendam esse curam, sollicitudinem, diligentiam ad eorum spiritum, uti par est, probandum, qui vota solemnia Deo nuncupare postulant, ne quis admittatur, qui saeculi contagione pollutus electum Christi gregem inficiat; vel verae vocationis expers, susceptique Instituti pertaesus gravem sodalibus molestiam inferat cum disciplinae perturbatione, et regularis observantiae discrimine. Iccirco, audito voto VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregationis super statu Regularium nonnulla hac super re mandavimus edi decreta, inter quae illud praesertim in praesens commemorandum est, quod per Litteras encyclicas die XIX Martii MDCCCLVII a Ven. Fratre Archiepiscopo Philippensi memoratae Nostrae Congregationis Secretario signatas publicatum est.

In praefatis autem Litteris haec, quae sequuntur, quoad religiosos virorum Ordines, ac Instituta ex Nostro expresso mandato, et Apostolica auctoritate sancita fuere scilicet « *Peracta probatione et novitiatu ad praescriptum S. Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum, et Statutorum ordinis a S. Sede adprobatorum, novitii vota simplicia emittant postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Tridentino Concilio statutam, vel aliam majorem quae forsan a Statutis proprii Ordinis a S. Sede approbatis requiratur, et quoad laicos et conversos postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in Constitutione Clementis VIII. incipiente* « In Supremo » *praefinita est. Professi post triennium a die, quo vota simplicia emiserint, computandum si digni reperiantur ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi fartasse pro aliquibus locis, uti nonnullis Institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus jam concessa fuerit. Poterit vero Superior generalis ac etiam Superior provincialis ex justis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum vigintiquinque expletorum. Si vero in Ordine seu Instituto Provinciales non habeantur, eadem differendi professionem votorum solemnium facultas attribuitur etiam Superiori domus Novitiatus, de consensu tamen Magistri novitiorum, et duorum Religiosorum, qui in Instituto aliquo gradu sint insigniti. Decreta Congregationis super statu Regularium incipientia* « Romani Pontifices, et Regulari Disciplinae » *anno MDCCCXLVIII promulgata omnino*

serventur in receptione ad habitum, novitiatum, et professionem votorum simplicium ». Postquam hoc decretum executioni demandatum fuit ex ipsa experientia comperimus quantum utilitatis ex eo religiosae Familiae retulerint, et referre possint. Verum nuper agnovimus aliquos novitios, praetermissa professione votorum simplicium, ad vota solemnia nuncupanda admissos fuisse, et exinde circa dictorum votorum solemnium validitatem gravia dubia suborta esse. Nos igitur cupientes in re tanti momomenti omnem ambigendi causam in posterum removere, motu proprio, et certa scientia, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, quoad religiosas virorum Familias cujuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti in quibus solemnia vota emittantur statuimus, ac decernimus nullam omnino, irritam, et nullius roboris fore professionem votorum solemnium tam scienter, quam ignoranter, quovis modo, praetextu, et colore factam a novitiis quibuscumque etiam laicis, et conversis, qui licet probationem, et novitiatum prout de jure expleverint, non emittant prius professionem votorum simplicium, et in ea per triennium integrum non permanserint, quamvis vel a Superioribus, vel a novitiis, vel ab utrisque intentio habeatur respective recipiendi ad vota solemnia, et ea emittendi, ac omnes ritus adhibeantur ad professionem votorum solemnium praescripti. Haec volumus, statuimus, praecipimus, mandamus non obstantibus, quatenus opus est, Constitutione Benedicti XIV Praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque Apostolicis, et in universalibus, provincialibusque,

et Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, regulis, statutis, et consuetudinibus cujusque Ordinis, Congregationis, et Instituti etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, innovatis, quamvis specifica et individua mentione dignis, quibus omnibus et singulis illorum tenoribus praesentibus pro insertis habentes ad praemissorum effectum specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Decernentes has Nostras Litteras semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat, et in futurum spectabit plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum, ac inane esse et fore volumus, et declaramus.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VII Februarii MDCCCLXII. Pontificatus Nostri Anno decimo sexto.

B. CARD. BARBERINUS.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE VII APRILIS MDCCCLXII.

VENERABILES FRATRES

Si semper, Venerabiles Fratres, hisce potissimum luctuosissimis christianae civilisque reipublicae temporibus novos apud Deum patronos nobis adsciscamus oportet, qui validissimis suis precibus ab Ipso impetrent, ut velit hos tristissimos breviare tentationis dies, et Ecclesiam suam sanctam undique tam vehementer divexatam, oppressam a tantis calamitatibus eripere, eamque novis ubique terrarum exornare et augere triumphis, et ad nostram defensionem dexteram divinae suae Majestatis extendere, et omnes errantes de iniquitatis ac perditionis via ad justitiae salutisque semitas omnipotenti sua virtute reducere. Hanc praesertim ob causam, uti, optime meministis, in Consistorio secreto decimo kalendas proximi mensis Ianuarii a Nobis habito loquuti sumus de Canonizationis causa viginti trium Beatorum Caelitum, qui clarissimo Sancti Francisci Ordini adscripti primi in Iaponia pro christo vitam profuderunt, et martyrii palmam adepti sunt, ac vestras de hac re sententias libentissime rogavimus. Cum autem inter commemoratos strenuos sanctissimae nostrae religionis propugnatores fuerint quoque tres invicti inclytae Societatis Iesu sodales, scilicet Paulus Miki, Ioannes Soan de

Goto, et Iacobus Didacus Kisai, qui nullis laboribus, nullisque curis unquam parcentes, et aspera quaeque subeuntes pericula, catholicam fidem, doctrinamque in eadem Iaponia propagarunt, quique eodem anno ac die una cum illis animo invicto et excelso pro ipsa fide idem fecere martyrium, iccirco horum quoque trium societatis Iesu Beatorum Caelitum Canonizationis causam alacri libentissimoque animo proponendam statuimus. Quapropter ex hujus Apostolicae Sedis more et instituto in hoc amplissimo vestro consessu hodie eorumdem vitam, resque praeclare gestas, ac prodigia ad Nos referri, et a Vobis audiri exoptamus.

Hic Cardinalis Patrizi SS. Rituum Congregationis Praefectus relationem facit de tribus Societatis Iesu in Iaponia Martyribus. Deinde Sanctitas Sua:

Audistis, Venerabiles Fratres, qua vitae sanctitate hi tres Societatis Iesu sodales enituerint, quo ardentissimo in Deum et proximum amore flagraverint, quo miro sane studio sanctissimam nostram religionem in Iaponia praedicare, propagare non destiterint, et qua mirabili sane constantia, et animi fortitudine de Christi principaliter amore concepta (1) probra, irrisiones, contumelias, tormenta despicientes pro divina nostra Fide atrocissimam sane mortem obire, ac triumphalem sanguinem effundere non dubitaverint. Adsunt etiam prodigia accurato

(1) *S. Leo serm. in fest. S. Laurentii*

examine perpensa, quibus Deus eorumdem sanctitatem comprobare est dignatus. Placet ne igitur Vobis, ut ad illorum quoque Canonizationem solemni ritu deveniamus ?

Postquam omnes responderunt : Placet *Sanctitas Sua sic prosequuta est* :

Maxima quidem laetitia perfundimur, Venerabiles Fratres, cum vestras noscamus de hoc tanti momenti negotio sententias. Verum cum alia consuetis solemnitatibus de hac ipsa re habenda sint Consistoria, illorum diem Vobis manifestandum curabimus.

PIVS PAPA IX.

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Amantissimus humani generis Redemptor Christus Dominus Unigenitus Dei Filius volens, ut optime nostis, Venerabiles Fratres, omnes homines a daemonis captivitate, et a peccati iugo vindicare, eosque de tenebris in admirabile lumen suum vocare et salvos facere, cum delesset, quod adversus nos erat, chirographum decreti, affigens illud cruci, catholicam Ecclesiam suo sanguine acquisitam tamquam unam *domum Dei vivi* (1), unumque *regnum caelorum* (2), vel unam *civitatem supra montem positam* (3), aut *unum ovile* (4) et *unum corpus uno spiritu* consistens vigensque, et una fide, spe, caritate, et unis eisdemque sacramentorum, religionis, doctrinaeque vinculis compactum et coagmentatum (5) conformavit, constituit, et rectoribus a se nominatis ac delectis instruxit, eamque ita a se conformatam et constitutam, quamdiu mundus ipse non intereat et concidat, permanere, et omnes universi terrarum orbis populos, nationes complecti decrevit,

(1) I. ad Timoth. III.
(2) Matth. XIII. ac saepe alias.
(3) Matth. V.
(4) Ioan. X.
(5) Ephes. IV. tum alibi.

ut cuiusvis gentis homines divinam suam religionem et gratiam acciperent, quam ad extremum usque spiritum retinentes aeternam adipiscentur salutem et gloriam. Ut autem haec fidei, doctrinaeque unitas semper in sua servaretur Ecclesia, Petrum ex omnibus selegit unum, quem Apostolorum Principem, suumque in terris Vicarium, et inexpugnabile Ecclesiae suae fundamentum et caput constituit, ut cum honoris gradu, tum omni praecipuae auctoritatis, potestatis et iurisdictionis amplitudine ceteris omnibus quam maxime praestans pasceret oves et agnos, confirmaret Fratres, atque universam regeret et gubernaret Ecclesiam. Cum autem Christus hanc suam Ecclesiam unam, et immaculatam usque ad consummationem saeculi permansuram voluerit, et unam fidem, unam doctrinam, ac regiminis formam servandam esse mandaverit, tum quae Petro dignitatis, potestatis ac iurisdictionis amplitudo, fideique integritas, ac stabilitas data, eadem prorsus eiusdem Petri successoribus Romanis Pontificibus est tradita, qui in hac Romana ipsius Petri Cathedra collocantur, et quibus in persona Beatissimi Principis Apostolorum ab ipso Christo Domino suprema totius Dominici gregis cura divinitus est commissa, ac supremum universalis Ecclesiae regimen demandatum. Ac Vobis apprime compertum exploratumque est, Venerabiles Fratres, quomodo hoc divinae nostrae religionis dogma unanimi ac perenni Synodorum Patrumque mente ac voce fuerit semper praedicatum, defensum, et inculcatum. Siquidem ipsi numquam cessarunt edocere « unum esse Deum, unum Chri-
» stum, unam Ecclesiam, et cathedram unam su-

» per Petrum Domini voce fundatam (1), cui tam-
» quam petrae, lapidique firmissimo tota quanta
» quanta est christianae reipublicae moles divinitus
» est superinstructa (2). Enimvero haec Petri Ca-
» thedra et dicta semper et habita, quae unica est
» et prima de dotibus (3), quae per totum terra-
» rum orbem primatum obtinens lucet (4), quae-
» que radix et matrix unde unitas sacerdotalis exor-
» ta (5), quae omnium Ecclesiarum non modo ca-
» put sed mater et magistra (6), ac pietatis me-
» tropolis, in qua est integra christianae religionis
» ac perfecta stabilitas (7), et in qua semper Apo-
» stolicae Cathedrae viguit Principatus (8), quaeque
» illi innixa est petrae, quam superbae non vincunt
» inferorum portae (9), et cui totam doctrinam
» Apostoli cum sanguine profuderunt (10), ex qua
» in omnes venerandae communionis iura dima-
» nant (11), ad quam omnis obedientia et honor
» est deferendus (12), quam qui deserit in Ecclesia
» frustra esse confidit (13), extra quam qui come-

(1) S. Cyprian. Epist. 40.
(2) S. Cyrill. Alexand. in Ioan. Lib. II. c. 12.
(3) S. Optat. Milevit. lib. II. cont. Parmen.
(4) Synod. Nicaen. II. Act. 2.
(5) S. Cyprian. Epist. 15. et 55.
(6) Pelag. II. Epist. I. Ad Episcop. Oriental. et Synod. Tridentin. Sess. VII. de Baptism. can. 3.
(7) Litter. synodic. Ioan. constantinopolit. ad Hormisd. Pont. et Sozom. Histor. lib. III. cap. 8.
(8) S. Aug. Epist. 162.
(9) S. Aug. in psalm. contra part. Donat.
(10) Tertull. de praescript. c. 36.
(11) S. Ambros. Epist. 12 ad Damas.
(12) Conc. Ephesin. Act. IV.
(13) S. Cyprian. de unit. Ecclesiae.

» derit agnum profanus est (1). Atque insuper Pe-
» trus, qui in propria Sede et vivit et praesidet;
» praestat quaerentibus fidei veritatem (2), Petrus
» qui ad hoc usque tempus, et semper in suis Suc-
» cessoribus vivit, et iudicium exercet (3), ipse per
» Leonem loquutus est (4) Romanus Pontifex, qui
» in universum orbem tenet primatum, Successor
» est Beati Petri Apostolorum Principis, et verus
» Christi Vicarius, totiusque Ecclesiae caput, et om-
» nium christianorum Pater et Doctor existit » (5), et alia fere innumera ex luculentissimis testibus deprompta, quae clare aperteque edocent, ac declarant quanta fide, religione, observantia et obedientia hanc Apostolicam Sedem, Romanumque Pontificem ii omnes prosequi omnino debent, qui ad veram, unicam, sanctamque Christi Ecclesiam pertinere volunt, ut aeternam assequantur salutem.

Iam vero catholicae Ecclesiae unitati nihil plane adversatur multiplex sacrorum, legitimorumque rituum varietas, quin immo ad ipsius Ecclesiae dignitatem, maiestatem, decus ac splendorem augendum maxime conducit. Neminem autem Vestrum latet, Venerabiles Fratres, quomodo nonnulli incautos praesertim et imperitos decipere, et in errorem inducere nitantur hanc Sanctam calumniantes Sedem, perinde ac si ipsa dissidentes Orientales ad catholicam fidem excipiens velit, ut ii proprium deserant

(1) S. Hieronym. Epist. 51. ad Damas.
(2) S. Petrus Chrysol. Epist. ad Eutich.
(3) Synod. Ephes. Act. 3.
(4) Synod. Chalced. Act. 2.
(5) Concil. Florentin. in Decreto union. Graecorum.

ritum, ac illum latinae Ecclesiae amplectantur. Quod quidem quam falsum sit, et a veritate alienum evidentissime ostendunt, ac testantur tot Decessorum Nostrorum Constitutiones et Apostolicae Litterae ad ecclesiastica Orientalium negotia spectantes, quibus iidem Praedecessores Nostri non solum constanter declararunt, id sibi in animo numquuam fuisse, verum etiam professi sunt, se omnino velle, ut Orientalium Ecclesiarum ritus, in quos nullus circa catholicam fidem, vel morum honestatem irrepsisset error, sarti ac tecti haberentur. Quibus repetitis clarissimisque Decessorum Nostrorum declarationibus plane respondent tum vetera, tum recentia facta, cum dici nunquam possit, hanc Apostolicam Sedem, vel sacrorum Antistitibus, vel ecclesiasticis viris, vel populis Orientalibus ad catholicam unitatem reversis praecepisse, ut suum legitimum ritum mutarent. Atque universa Constantinopolitana civitas nuper vidit, quomodo Venerabilis Fratrer Meletius Archiepiscopus Dramensis, qui cum summa animi Nostri consolatione, et omnium bonorum gaudio ad catholicae Ecclesiae gremium rediit, proprio ritu, ac solemnibus caeremoniis et pompa rem divinam magna populi frequentia peregerit. Itaque, Venerabiles Fratres, pro eximia vestra episcopali sollicitudine ne desinatis vestrarum Dioecesium Clero etiam atque etiam inculcare, ut opportunis quibusque modis detegere ac refellere studeat calumniam, qua malevoli homines imperitorum animos in errorem inducere, et invidiam odiumque contra hanc Apostolicam Sedem excitare conantur.

Nos porro cum in hac Petri Cathedra arcano di-

vinae providentiae consilio collocati ad supremum universae Christi Ecclesiae regimen evecti simus Nostram omnem spem et fiduciam in Christo Iesu habentes Apostolici Nostri ministerii partes implere contendimus, veluti a Nobis postulat instantia quotidiana, et sollicitudo omnium Ecclesiarum. Siquidem divino Illius auxilio freti, cuius vicariam hic in terris licet immerentes gerimus operam, et qui dixit ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, et confirmavit, inferi portas contra Ecclesiam suam nunquam esse praevalituras, nihil metuimus tot nefarias sacrilegasque molitiones, conatus et impetus, quibus in hac tanta temporum iniquitate inimici homines catholicam religionem, si fieri unquam posset, funditus evertere connituntur, sed spirituali omnium gentium bono et saluti consulere non desistimus. Etenim charitas Christi urget Nos , ac nihil Nobis potius esse potest, quam ut omnes curas, labores, consilia libentissime suscipiamus, quo omnes populi occurrant in unitatem fidei, et crescant in scientia Dei, et cognitione Domini Nostri Iesu Christi, « qui est » via et veritas et vita; via scilicet conversationis » sanctae, veritas doctrinae divinae, et vita beatitudinis sempiternae » (1). Neque vero Vos ignoratis , Venerabiles Fratres , quo singulari amore , et assiduo studio paternas Nostras curas ad istam electam Dominici gregis partem vestrae vigilantiae commissam, vel ab ipso supremi Nostri Pontificatus initio contulerimus, atque ex recentissimis No-

(1) S. Leo Serm. II. de Resurrect. Domini.

stris Litteris Annulo Piscatoris obsignatis, et VII Idus proximi mensis Ianuarii editis magis magisque intelligere potuistis, quam vehementer Nobis cordi sit istarum Orientalium Ecclesiarum bonum, utilitas ac prosperitas. Namque iisdem Litteris peculiarem ex Congregatione Fidei propagandae conflatam Congregationem constituimus, quae eidem Congregationi Fidei propagandae tot assiduis gravissimisque occupationibus pene obrutae maiori sit auxilio, quaeque operam ab ipsa Fidei propagandae Congregatione hactenus omni studio, ac summa cum laude praestitam ita exerceat, ut omnia Orientalium Ecclesiarum negotia unice tractanda et expedienda curet. Ea profecto spe sustentamur fore, ut, Deo bene iuvante, ex huiusmodi Nostro consilio et sollicitudine in omnes Orientales nationes spiritualis utilitas quotidie magis redundet. Etenim plane confidimus, hanc novam specialem Congregationem nuper a Nobis institutam nihil unquam iuxta Nostra desideria intentatum esse relicturam, quod in vestris tractandis negotiis ad catholicam unionem magis in dies promovendam, ad vestrarum Ecclesiarum felicitatem augendam, ac vestrorum legitimorum rituum integritatem tuendam, atque ad maiorem fidelium spiritualem utilitatem procurandam quovis modo possit pertinere.

Verum ut haec Congregatio omni cura et industria demandatum sibi a Nobis munus exercere, suosque labores et studia in maiorem istarum Ecclesiarum prosperitatem conferre possit, opus omnino est, ut optime noscat spirituales Orientalium nationum indigentias, quibus opportune ac provide sit

consulendum. Et quoniam Vobis, Venerabiles Fratres, apprime nota est conditio et status gregis curae vestrae traditi, iccirco pro vestra sapientia probe nostis, maxime oportere, ut de rebus omnibus, quae vestras Ecclesias, vestrumque gregem respiciunt, maiore, qua fieri potest, celeritate Nos diligentissime certiores facere velitis, et accuratam de vestrarum Dioecesium statu relationem mittatis, in qua sedulo exponatur quidquid ad ipsas Dioeceses spectet, quo fidelium in eisdem Dioecesibus degentium necessitatibus omni cura prospicere possimus. Summa certe erit Nostra consolatio, si quisque Vestrum, Venerabiles Fratres, omnes suae propriae Dioecesis res sedulo ad Nos referens significaverit, quot fideles in ipsa versentur Dioecesi, quot sint ecclesiastici viri, qui proprii ministerii munia obeuntes ipsis fidelibus adsistant, quae eorumdem fidelium agendi ratio, tum quoad fidem, tum quoad morum honestatem, qua doctrina clerus sit praeditus, quaeque ipsius cleri educatio, et quomodo populus ad sanctissimam nostram religionem, morumque disciplinam instituatur, et qua ratione populus idem ad pietatem, morumque probitatem quotidie magis conformari et excitari queat. Optamus etiam summopere agnoscere qualis sit vestrarum scholarum conditio, et qua frequentia illas iuventus adire soleat. Cum vero probe sciatis, Venerabiles Fratres, omnes rei cum sacrae, tum publicae spes positas esse in recta, salutari ac religiosa puerorum educatione, iccirco maxime interest, ipsos vel a teneris annis catholicas celebrare scholas, quo divinae nostrae religionis veritatem, ac praeceptiones sedulo discen-

tes a periculo amoveantur, ne tenerae eorum mentes pravis imbuantur principiis. Neque omittatis Nobis manifestare si libris indigeatis, ac simul exponere qui potissimum libri ex vestra sententia et cleri doctrinae curandae, et populi institutioni promovendae, et acatholicorum placitis confutandis, et fidelium pietati fovendae magis opportuni esse possint. Insuper cum acceperimus, in aliquibus locis liturgicos, ac rituales adhiberi libros, in quos vel aliquis irrepsit error, vel aliqua ad arbitrium invecta immutatio, Vestrum erit Nobis patefacere qui libri apud Vos adhibeantur, itemque dicere, si huiusmodi libri aliquo tempore fuerint ab hac Sancta Sede approbati, vel si ex vestro iudicio errores corrigendos contineant, atque etiam si quae dubia dirimenda habeatis, vel adsint abusiones tollendae. Atque etiam praecipue expetimus a Vobis accipere quos in vestris Dioecesibus progressus habeat sancta catholica unio, quae impedimenta eidem obstent, quibusque opportunioribus modis huiusmodi impedimenta amoveri possint, ut ipsa unio magis in dies promoveatur et augeatur.

Videtis profecto, Venerabiles Fratres, quanto amore, quantoque studio istas orientales prosequamur Ecclesias, et quam vehementer optemus, ut in orientalibus populis sanctissima nostra fides, religio, pietas maiora in dies incrementa suscipiat, ac vigeat et efflorescat. Ac certi sumus, Vos pro episcopalis vestri ministerii munere, et pastorali zelo vestras omnes curas cogitationesque in divina nostra religione tuenda et propaganda, atque in vestri gregis salute curanda studiosissime impendere.

Cum vero inimicus homo hisce praesertim luctuosissimis temporibus non cesset in Dominico agro superseminare zizania tum pestiferis libris et ephemeridibus, tum monstrosis quibusque opinionum portentis, quae catholicae fidei ac doctrinae plane adversantur, iccirco probe intelligitis quanta sollicitudine, vigilantia, et constantia Vobis sit allaborandum et excubandum, ut fideles Vobis commissos ab hisce venenatis pascuis arceatis, et ad salutaria propellatis, eosque catholicae Ecclesiae doctrina maiorem in modum imbuatis. Ut autem id facilius assequi valeatis, animarum Curatorum praesertim zelum assidue excitare ne intermittatis, Venerabiles Fratres, ut ipsi suo munere diligenter fungentes nunquam desinant evangelizare Dei evangelium sapientibus et insipientibus, et omni sacrorum ope christianam plebem sibi commendatam iuvare, ac pueros praesertim, et rudes homines catholicae fidei documenta, morumque disciplinam patienter, amanterque docere, omnesque continenter exhortari in doctrina sana, ne circumferantur omni vento doctrinae. Omnes quoque vestrarum Dioecesium Presbyteros semper monete, ut animo serio reputantes ministerium, quod acceperunt in Domino, illud sedulo implendum curent, ut virtutum omnium exempla christiano populo praebeant, orationi instent, ac sacras praesertim disciplinas assidue excolant, et in sempiternam fidelium salutem procurandam totis viribus incumbant. Atque ut facilius navos et industrios operarios habere possitis, qui in vinea Domini excolenda auxiliariam Vobis operam in tempore ex-

hibere valeant, nullis parcite curis, nullisque consiliis, Venerabiles Fratres, ut adolescentes clerici vel ab ineunte aetate per lectissimos magistros ad pietatem, verumque ecclesiasticum spiritum mature fingantur, ac litteris et disciplinis praecipue sacris ab omni cuiusque erroris periculo omnino alienis diligentissime erudiantur. Equidem haud ignoramus, Venerabiles Fratres, quae quantaeque sint difficultates, quibus in episcopali vestro ministerio exercendo obnoxii estis. Sed confortamini in Domino, et in potentia virtutis eius memoria repetentes, Vos pro Christo legatione fungi, qui tradidit animam suam pro ovibus suis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius.

Nemo vero ignorat quanto usui et ornamento catholicae Ecclesiae in Oriente fuerint Religiosae Monachorum Familiae. Namque ipsae vitae integritate, morumque gravitate, ac religiosae disciplinae laude spectatae, et bonorum operum exempla fidelibus exhibere, et iuventutem instituere, et litteras ac disciplinas excolere, et auxiliariam utilemque Sacrorum Antistitibus operam navare studebant. Tristissimis autem rerum ac temporum vicibus hae sacrae Familiae de christiana et civili republica egregie meritae in aliquibus locis vel a proprii Ordinis disciplina declinarunt, vel omnino extinctae fuerunt. Cum autem magnum emolumentum sanctissimae nostrae afferretur religioni, si hae Sacrae Familiae, ubi praesertim interierunt, denuo reviviscerent, et inter orientales nationes pristino fulgerent splendore, iccirco a Vobis exposcimus, ut Nobis significetis quid de hac re sentiatis, et qua ratione huiusmodi Sacrarum Familiarum instauratio effici possit.

Persuasissimum Nobis est, Vos, Venerabiles Fratres, non solum hisce Nostris desideriis ac postulationibus alacri ac libentissimo animo esse satisfacturos, verum etiam singulari diligentia expósituros alia omnia, quae ex vestra ad maiorem in istis regionibus sanctissimae nostrae religionis ac tum cleri, tum populi fidelis utilitatem procurandam sint peragenda. Cum autem ex Encyclica Cardinalis Praefecti Nostrae Concilii Congregationis epistola noveritis, gratissimum Nobis fore Venerabilium Fratrum Sacrorum Antistitum praesentia frui in solemni plurium Sanctorum Canonizatione, quam proximo Pentecostes die, Deo favente, celebraturi sumus, tum ea spe nitimur fore, ut hac occasione, si vestrarum Dioecesium rationes permittant, vos praesentes intueri, amanterque complecti, et a Vobis ipsis earumdem Dioecesium relationes accipere possimus. Interim vero pro eximia vestra pietate, et episcopali zelo pergite, Venerabiles Fratres, maiore usque alacritate et contentione ministerium vestrum implere, et omni studio vestrorum fidelium saluti prospicere, eosque etiam monere et exhortari, ut in catholicae religionis professione magis in dies stabiles et immoti persistant, et omnia Dei, eiusque Sanctae Ecclesiae mandata religiose custodiant, et ambulent digne Deo per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes. Consueta autem vestra benignitate eos paterno affectu excipite, qui cum ingenti animi Nostri laetitia ad catholicae Ecclesiae gremium redeunt, et omnem impendite curam, ut illi magis in dies amanter enutriti verbis fidei, et per gratiarum charismata confirmati in

sancta vocatione immobiles permaneant, et alacriori usque pede incedant per semitas Domini, atque instent viam, quae ducit ad vitam. Ac pro egregia vestra religione nunquam desinite omnia conari, ut in omni bonitate, patientia, doctrina, mansuetudine, lenitate miseros errantes Christo lucrifacere, atque ad unicum eius ovile reducere, et in spem aeternae haereditatis restituere possitis. Inter angustias vero et difficultates, quae hisce potissimum asperrimis temporibus ab episcopali vestro munere abesse non possunt, confidite in gratia Domini Nostri Iesu Christi prae oculis habentes, quod qui ad iustitiam erudiunt multos fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates. Denique, Venerabiles Fratres, pro certo habeatis velimus, praecipuam esse, qua Vos in Domino prosequimur, benevolentiam. Atque interim haud omittimus in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione a Deo Optimo Maximo humiliter enixeque petere, ut uberrima quaeque suae bonitatis dona super Vos propitius semper effundat, quae in dilectas quoque oves vigilantiae vestrae commissas copiose descendant. Atque horum auspicem, et propensissimae Nostrae in Vos voluntatis pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque clericis, laicisque fidelibus cuiusque Vestrum curae concreditis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 8 Aprilis anno 1862.

Pontificatus Nostri Anno decimosexto.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SEMIPUBLICO DIE XXII MAII

ANNO MDCCCLXII.

VENERABILES FRATRES

Quanto studio Beatus Petrus Baptista, illiusque duo et viginti Sodales sancti Francisci Ordini adscripti, ac Beatus Paulus Miki, ejusque duo socii Societatis Iesu christianam fidem in Iaponia propagandam curaverint, quantaque animi constantia et fortitudine pro Christo minas, ludibria, tormenta perpessi, ac triumphali sanguine effuso, vitam profuderint, Vobis satis compertum exploratumque esse arbitramur, Venerabiles Fratres, tum ex iis quae de egregiis horum vigiuti sex Beatorum factis et insignibus miraculis in publico Consistorio praeteritis diebus habito relata audivistis, tum ex fideli alia narratione, quam ad Vos transmitti jussimus. Nunc vero restat, ut in hoc sacro amplissimoque vestro consessu de sanctorum cultu hisce sex et viginti Beatis decernendo deliberemus, qui venerunt ex magna tribulatione, et pro testamento Dei sua corpora tradiderunt et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Caelesti autem rerum dispensatione evenisse existimamus, ut asperrimis hisce temporibus, quibus catholica Ecclesia acerrimo undique

bello divexatur, et haec sancta Petri Sedes tot oppugnatur injuriis, hi viginti sex fortissimi nostrae religionis propugnatores in Sanctorum album referantur, ac Nostrae, vestrae, omniumque fidelium populorum imitationi proponantur ad divinam nostram fidem strenue profitendam ac tuendam, atque ad aspera quaeque constanter toleranda pro ipsius fidei defensione. Itaque de hac gravissima re, dum divini luminis opem humillime imploramus, vestras quoque sententias ex Praedecessorum Nostrorum more et instituto quam libentissime exquirimus.

Omnibus auditis sententiis, Sanctitas Sua hisce verbis allocutionem absolvit:

Venerabiles Fratres, summo quidem gaudio afficimur, cum vestra suffragia unanimiter in eum conveniant sensum qui Noster est, scilicet horum viginti sex Beatorum Canonizationem in magnam omnipotentis Dei gloriam, ejusque sanctae Ecclesiae decus et praesidium esse cessuram. Brevi autem indicemus diem, quo illam solemni ritu celebraturi sumus, postquam in futuro Consistorio vestras exceperimus sententias de alio Beato Sanctorum ordini adscribendo. Interim vero pergamus orationibus, jejuniis, aliisque piis operibus Deum humiliter exorare, ut in tanti momenti negotio dignetur ostendere quod et quale sit divinae suae Sapientiae beneplacitum.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORO SEMIPUBLICO DIE 24 MAI ANNO 1862.

VENERABILES FRATRES

Cum eximias Beati Michaelis de Sanctis Sacerdotis professi Ordinis Sanctissimae Trinitatis Fratrum Discalceatorum captivis redimendis virtutes, merita ac prodigia divinitus patrata animo sedulo reputemus, Venerabiles Fratres, in ipso ea omnia esse arbitramur, quae requiruntur, ut eorum numero possit adscribi, quos Sanctorum nomine et cultu sancta veneratur Ecclesia. Atque id ipsum Vobis visum esse censemus, cum orationem de eodem Beato in sacro consessu habitam audiveritis, et vitae compendium legeritis, quod Vobis tradendum curavimus.

Etenim ipse animam porro sortitus bonam vel a teneris annis singulari vitae integritate, religionis, pietatis, humilitatis, castitatis studio, et patiendi amore, omniumque virtutum laude enituit. Ac terrestria plane despiciens, et unice spectans caelestia, relictis omnibus, ut proxime sequeretur Christum ingressus Ordinem Sanctissimae Trinitatis redimendis captivis, ibi solemnia vota nuncupavit, maximisque refulsit virtutibus. Nunquam enim destitit solidissimam praesertim exercere humilitatem, et mortificationem Christi Iesu in suo corpore circumferre, et adversa quaeque singulari patientia ac fortitudine

libentissime perpeti. Egregia vero in proximum dilectione animatus nunquam intermisit aegrotantibus, et calamitosis omni ope occurrere, et captivorum redemptioni strenuam operam navare, et errantes ad virtutis semitas revocare, ac sempiternam hominum salutem modis omnibus studiosissime curare, ac pia quaeque opera indesinenter obire, ceterisque omnibus christianis virtutibus fulgere. Tanto vero in Deum amore exarsit, tantaque erga Christi passionem, et augustum Eucharistiae Sacramentum, atque Immaculatam Sanctissimamque Dei Genitricem Virginem Mariam caritate flagravit, ut in divinarum rerum commentatione semper defixus meruerit a Domino uberrima caelestium omnium charismatum copia mirandum in modum cumulari. Verum cum de gravissimo sane negotio agatur, in quo maxime laborandum est, ne quid vel minimum studiosissimae curae a Nobis neglectum esse videatur, vestrum consilium exquirimus, vestrasque de Beato Michaele De Sanctis in Sanctorum numerum referendo sententias postulamus.

Auditis Suffragiis S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum, Sanctitas Sua prosequuta est:

Libentissimo quidem animo intelleximus vestras omnes de Beati Michaelis causa sententias eo tendere, ut illum Sanctorum numero adscribamus. Cum autem in praecedenti Consistorio id ipsum mira consensione de viginti sex Beatis in Iaponia martyrio defunctis, de quibus agebatur, efflagitaveritis, rem suprema Nostra auctoritate perficere festinabimus. Itaque Nobis in animo est, die octavo proximi men-

sis Iunii Pentecostes solemnitati sacro Pontificium proferre Decretum, quo Beatos Petrum Baptistam, ac duo et viginti illius sodales Ordinis Sancti Francisci, et Beatos Paulum Miki, ejusque duos Socios e Societate Iesu, et Beatum Michaelem De Sanctis inter Sanctos referemus. Interea non solum minime intermittendae, verum etiam ferventiores Deo sine intermissione adhibendae sunt preces et obsecrationes, ut, Eo benedicente, rem tantam absolvere possimus ad majorem Sui nominis laudem et gloriam, atque ad Ecclesiae suae sanctae decus et utilitatem.

ALLOCUTIO

HABITA IN XYSTINO SACELLO DIE 6 IUNII 1862.

DILECTI FILII

Mirabile quoddam, et visu iucundissimum exhibet Nobis insueta frequentia vestra, auspicatissimo hoc tempore, quo vos cum Venerabilibus Episcopis ex Orbe universo circa Nos et principem hanc B. Petri Sedem cernimus congregatos. Quod cum intuemur, acerbitates Nostras nedum leniri sentimus, sed eas ferme obliviscimur. Scilicet id effecit unus pacis et concordiae auctor Deus, qui Ecclesiae suae dedit *servare unitatem in vinculo pacis*, ut fideles omnes *unum corpus, unus spiritus essent*. In ea unitate sita est maxime fidelium gloria, in ea decus Ecclesiae, in ea hostium formido, quibus iccirco Ecclesia ipsa terribilis apparet tamquam castrorum acies ordinata. In hac acie constituti sub pastoribus vestris, quibus praeest Supremum Caput, unusquisque in suo ordine, ad instar exercitus sub Imperatore et ducibus, mandata peragite. Hoc sane inter causas doloris aetati nostrae feliciter obvenit, ut pastores cum Capite arctissime iungerentur. Eorum vestigiis insistite, vosque Apostolicae Sedi vinculum triplex, orationis, charitatis, doctrinaeque coniungat. Orationis, *quae penetrat nubes*, per quam *impetratur obtentio omnis boni, et liberatio ab omni malo*. Charitatis, qua *cre–*

scimus in illo per omnia, qui est Caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum augmentum facit in aedificationem. Doctrinae demum, qua retinetur fidei depositum illibatum, qua *velut Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit Ecclesia*. Scimus utique tristissimis Nos versari temporibus, et Petri Sedem potissime impugnari. Sed ipsa tanta est divinitus soliditate munita, *ut eam neque haeretica unquam corrumpere pravitas, nec pagana potuerit superare perfidia*. Sic incredulae impietatis ausus huic lapidi impingent, et *tamquam somnia et fabulae abolita et antiquata evanescent*. Haec discant a vobis in regiones vestras reversis fideles vigilantiae vestrae concrediti, et catholico spiritu usque magis imbuantur, quem de ipso fonte unitatis vos plenius hausistis: sciant *rivos a fonte praecisos arescere*; sciant eos coronari, qui legitime certaverint; sciant *Ecclesiae unitatem firmiter tenere omnes, et vindicare* oportere. Ita animo comparati et Pastorum vestrorum aemulantes exempla, pro certo habete, Deum Optimum Maximum hoc unitatis vinculum benedictione caelesti confirmaturum; cuius solidum pignus esto Apostolica Benedictio Nostra, quam vobis omnibus amantissime impertimur; nec vobis modo, sed et fidelibus vigilantiae vestrae commissis, quibus hanc praesentiam vestram apud Nos spirituales fructus allaturam speramus. Itaque veniam libenter tribuimus, ut die a proprio cuiusque vestrum Episcopo designanda quicumque ex vestris regionibus profecti hic adestis Apostolicam Benedictionem cum applicatione Plenariae Indulgentiae Fidelibus spirituali vestrae curae

concreditis semel impertire possitis, dummodo illorum singuli Sacramentali Confessione expiati et Sacra Synaxi refecti pro Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione et triumpho ferventes ad Patrem misericordiarum preces effuderint.

MONITVM

Apostolica Benedictio, de qua supra mentio est, danda erit in forma Ecclesiae consueta, et ab iis tantummodo dari poterit, qui aut Parochi sunt, aut Parochorum auxiliares, aut Religiosarum Domuum, aliorumve Piorum Locorum, aut Institutorum christianae iuventuti educandae, aut Hospitalium, aut carcerum poenalium moderatores.

HOMILIA

HABITA IN SOLEMNI CANONIZATIONE SANCTORVM VIGINTI SEX MARTYRVM IN IAPONIA, ET MICHAELIS DE SANCTIS INTER MISSARVM SOLEMNIA IN BASILICA VATICANA, DIE VIII IVNII PENTECOSTES SOLEMNITATI SACRO ANNO MDCCCLXII.

Exultat cor Nostrum in Domino et Vos quoque, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, summa laetitia perfusos esse plane non dubitamus. Hoc enim laetissimo die, quem Spiritus Sanctus excellentissimo sui muneris miraculo consecravit, ubi tuba evangelicae praedicationis intonuit, et imbres charismatum flumina benedictionum omne desertum, et universam aridam rigaverunt ad renovandam faciem terrae et ad veteres tenebras abigendas (1), Nobis clementissimus Deus concessit sanctorum honores cultumque decernere septem et viginti invictissimis divinae nostrae religionis heroibus Petro Baptistae, ejusque duobus et viginti sociis Ordini sancti Francisci adscriptis, ac Paulo Miki, et duobus illius sodalibus Societatis Iesu praeclare in Iaponia pro Christi fide martyrio defunctis, ac Michaeli De Sanctis Ordinis Sanctissimae Trinitatis redimendis captivis. Hi nimirum in agone justitiae strenue dimicantes, ac de prostratis hostibus trophaea ferentes caelesti excepti Ierusalem cum Christo nunc exultant, et gloria atque honore coronati possident palmam. Est enim

(1) S. Leo Serm: 1.^{e} de Pentec;

vero cur Sancta Mater Ecclesia carissima Christi Sponsa, quae inter persecutiones mundi, et consolationes Dei peregrinando procurrit (1), vehementer exultet sorte istorum filiorum, quos ad pugnandum adversus potestates tenebrarum armavit, et in eorum gloria se summopere consoletur hisce diebus afflictionis suae. Siquidem omnipotens et admirabilis Deus in ipsa tantum eximiam cujusque aetatis, sexus, ordinis et conditionis servorum suorum sanctitatem manifestans, illamque stupendis miraculis confirmans, non desinit hoc etiam splendidissimo sane argumento omnibus clare aperteque declarare, unam, veramque esse catholicam Ecclesiam a se pro omnium salute divinitus fundatam et institutam, omnibusque caelestibus ditatam thesauris, eamque esse columnam, et firmamentum veritatis, quae non habet maculam, aut rugam, sed sancta et immaculata, cum qua se omnibus diebus futurum esse promisit usque ad consummationem saeculi. Magnus quidem Dominus, et laudabilis nimis, qui dum Ecclesia sua tot tantisque exagitatur turbinibus ac tempestatibus, illam insignibus militum suorum triumphis exornat, ut ipsa veluti fulgidissima lucerna super candelabrum posita omnibus luceat, ac verae fidei, veritatis et salutis iter ostendat. Itaque, Venerabiles Fratres, ac dilecti Filii, cum et Nos *sortem adepti simus inter sanctos per fidem* (2) corde et animo maximo clementissimo misericordiarum Patri agamus gratias, enixe deprecantes, ut inter-

(1) S, Aug: de Civit: Dei lib 18. c. 51.
(2) Actor. c. 26. v. 18.

cedentibus his sanctis suis et nobis fidem adaugeat, et ab iis, qui propter caecitatem cordis tanto in splendore nihil vident, tenebras depellat, quo ipsi etiam, cognita veritate, ad sanctae Matris Ecclesiae gremium venire festinent.

Sed in verae fidei confessione teneamus quoque oportet spei nostrae confessionem (1). Namque iccirco Deus secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nobis abunde, per Iesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius haeredes simus secundum spem vitae aeternae (2). Talis autem esse debet spes nostra, qualem se velle ipse docet, qui in se sperare nos jubet, cum in Deo sperantibus, ac bene usque in finem operantibus reposita sit vita aeterna. Itaque spe gaudentes magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis (3). In hoc autem vestrae salutis studio omnia vestra in caritate fiant, quae a Christo Domino tantopere commendata et inculcata, est vinculum perfectionis. Qui enim in caritate manet, in Deo manet, et Deus in eo. Atque utinam nostrum omnium corda divini amoris igne ita flagrarent, ut singuli profecto cum Apostolo dicere possemus: Quis separabit nos a caritate Christi? Tales quidem fuerunt isti heroes, quorum hodie gloriam celebramus. Hi namque Deum super omnia diligentes, et propter Deum proximum,

(1) Hebr: c. 10. v. 23.
(2) Tit. cap. 3. v. 5. 6. 7.
(3) II. Petr: c. 1. v. 10.

induti loricam fidei, et galeam spem salutis (1) omnes mundi illecebras, fallacias et insanias plane despexerunt, ac pro Christo fortiter pugnantes, omnibusque splendidissimis fulgentes virtutibus in variis licet constituti tentationibus stabiles steterunt et fortes, semper quae placita erant coram Deo facientes.

Horum igitur exempla, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, nobis ad imitandum sancta proponit Ecclesia. Hi quidem heroes homines erant similes nobis passibiles, eadem circumdati infirmitate, et carni suae eodem vinculo naturalis affectionis inhaerentes (2), sed tamen sibi diffisi et habentes fiduciam in Domino ex toto corde suo, eumque assidue invocantes atque euntes de virtute in virtutem assequuti sunt ut sanctitatis gloria fulgentes nunc Deum non jam per speculum et in aenigmate, sed videant facie ad faciem, et cognoscant sicut et cogniti sunt. Quapropter, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, nos etiam propriis viribus diffidentes, omnemque nostram spem in divino auxilio collocantes, quandoquidem omnia possumus in Eo, qui nos confortat, illustria horum exempla alacri, libentissimoque animo imitemur, ac strenue praeliantes cum antiquo serpente, et abnegantes impietatem, et saecularia desideria sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc saeculo, aspera quaeque pro sanctissima nostra fide, et animae nostrae salute perlibenter tolerantes. Ac mente integra, fide firma, virtute robusta, caritate

(1) 1 Thessal: c. 5. v. 8.
(2) S. Bernard. Serm. de S. Clement. Pap. et Mart. n. 3.

perfecta parati ad omnem Dei voluntatem simus, conservantes fortiter dominica mandata, in simplicitate innocentiam, in caritate concordiam, modestiam in humilitate, diligentiam in administratione, vigilantiam in adiuvandis laborantibus, misericordiam in fovendis pauperibus, in defendenda veritate constantiam, in disciplinae severitate censuram. Haec enim sunt vestigia, quae nobis Sancti revertentes in patriam reliquerunt, ut illorum semitis inhaerentes sequeremur et gaudia (1).

Nec ad exemplum tantum Sanctos hos viros nobis proponit Ecclesia, sed etiam ad praesidium. Nostri enim sunt apud Deum patroni, qui in caelesti patria memores fratrum, quos in hoc exilio reliquerunt, suis apud thronum gratiae precibus nos adjuvant, ac suas orationes offerentes Deo per Filium ejus Redemptorem nostrum cum quo regnant, divina nobis beneficia possunt impetrare. Quantum autem ab eorum patrocinio sperare possimus, declarant et magnitudo eorumdem apud Deum meritorum, et mirabilia sane, quae praeter naturae ordinem ad merita ipsa confirmanda divinitus patrata sunt. Novos igitur apud Deum nacti patronos, nemo nostrum aliena ab eorum exemplis vitae ratione ipsorum deprecationis beneficio se reddat indignum. Sed pio ac religioso, uti par est, animo comparati, et eorum, qui adeo Deo placuerunt, precibus confisi dicamus et obsecremus omnes.

Omnipotens, miserator, et misericors Deus, respice, quaesumus, Ecclesiam tuam sanctam tantis

(1) Ven. Beda Serm. 18. de Sanctis.

nunc calamitatibus afflictam, nec dispergas misericordiam tuam a nobis propter istos Sanctos tuos, et per eorum merita fac, ut Ecclesia tua, omnibus profligatis erroribus omnibusque amotis difficultatibus, magis in dies a solis ortu usque ad occasum vigeat ac dominetur, et novis ac splendidioribus exornetur et augeatur triumphis, et omnes populi, gentes, nationes cognoscant Te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum. Ac sicut istos Dilectos tuos sancto tuo replevisti spiritu, qui inspirator est fidei, doctor scientiae, fons dilectionis. ac totius causa salutis, ita et nos ejusdem Sancti Spiritus gratia donisque reple ac robora per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, cui pariter ac Tibi, et eidem Sancto Spiritui sit sempiterna laus, virtus, honor et gloria.

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO DIE IX IVNII MDCCCLXII.

VENERABILES FRATRES

Maxima quidem laetitia affecti fuimus, Venerabiles Fratres, cum Sanctorum honores et cultum, Deo bene iuvante, septem et viginti invictissimis divinae nostrae religionis heroibus hesterno die decernere potuerimus, Vobis lateri Nostro adstantibus, qui egregia pietate ac virtute praediti, et in sollicitudinis Nostrae partem vocati in hac tanta temporum asperitate strenue dimicantes pro Domo Israel summo Nobis solatio et consolationi estis. Utinam vero dum huiusmodi perfundimur gaudio, nulla moeroris, luctusque causa Nos aliunde contristaret. Non possumus enim non vehementer dolere et angi, cum videamus tristissima, et nunquam satis deploranda mala ac damna, quibus cum permagno animarum detrimento catholica nunc Ecclesia, et ipsa civilis societas miserandum in modum premitur ac divexatur. Optime enim noscitis, Venerabiles Fratres, teterrimum sane bellum contra rem catholicam universam ab iis hominibus conflatum, qui inimici Crucis Christi sanam non sustinentes doctrinam, ac nefaria inter se societate coniuncti quaecumque ignorant, blasphemant, ac pravis cuiusque generis artibus sanctissimae nostrae religionis, et humanae societatis fundamenta labefactare, immo, si fieri unquam posset, penitus evertere, omniumque animos

mentesque perniciosissimis quibusque erroribus imbuere, corrumpere et a catholica religione avellere moliuntur. Nimirum callidissimi isti fraudum artifices, et fabricatores mendacii non cessant monstrosa quaeque veterum errorum portenta iam sapientissimis scriptis toties profligata ac depulsa, gravissimoque Ecclesiae iudicio damnata e tenebris excitare, eaque novis, variis ac fallacissimis formis verbisque expressa exaggerare, et modis omnibus usquequaque disseminare. Hac funestissima ac diabolica prorsus arte rerum omnium scientiam contaminant, deturpant, mortiferum ad animarum perniciem virus diffundunt, effrenatam vivendi licentiam, et pravas quasque cupiditates fovent, religiosum ac socialem ordinem invertunt, et omnem iustitiae, veritatis, iuris, honestatis et religionis ideam extinguere conantur, et sanctissima Christi dogmata, doctrinam irrident, contemnunt, oppugnant. Horret quidem refugitque animus, ac reformidat vel leviter attingere praecipuos tantum pestiferosque errores, quibus huiusmodi homines miserrimis hisce temporibus divina et humana cuncta permiscent.

Nemo Vestrum ignorat, Venerabiles Fratres, ab huiusmodi hominibus plane destrui necessariam illam cohaerentiam, quae Dei voluntate intercedit inter utrumque ordinem, qui tum in natura, tum supra naturam est, itemque ab ipsis omnino immutari, subverti, deleri propriam, veram germanamque divinae revelationis indolem, auctoritatem, Ecclesiaeque constitutionem et potestatem. Atque eo opinandi temeritate progrediuntur, ut omnem veritatem, omnemque legem, potestatem et ius divinae originis

audacissime denegare non metuant. Siquidem haud erubescunt asserere, philosophicarum rerum, morumque scientiam, itemque civiles leges posse et debere a divina revelatione, et Ecclesiae auctoritate declinare, et Ecclesiam non esse veram perfectamque societatem plane liberam, nec pollere suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis esse definire, quae sint Ecclesiae iura et limites, intra quos eadem iura exercere queat. Hinc perverse comminiscuntur, civilem potestatem posse se immiscere rebus, quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent, atque etiam impedire, quominus Sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice supremo totius Ecclesiae Pastore divinitus constituto libere ac mutuo communicent, ut plane dissolvatur necessaria et arctissima illa coniunctio, quae inter membra mystici corporis Christi, et adspectabile suum Caput ex divina ipsius Christi Domini institutione esse omnino debet. Nihil vero timent omni fallacia ac dolo in vulgus proferre, sacros Ecclesiae ministros, Romanumque Pontificem ab omni rerum temporalium iure ac dominio esse omnino excludendos.

Summa praeterea impudentia asserere non dubitant, divinam revelationem non solum nihil prodesse, verum etiam nocere hominis perfectioni, ipsamque divinam revelationem esse imperfectam, et iccirco subiectam *continuo* et *indefinito* progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat. Nec verentur proinde iactare, prophetias et miracula in sacris Litteris exposita et narrata esse poetarum

commenta, et sacrosancta divinae fidei nostrae mysteria philosophicarum investigationum summam, ac divinis utriusque Testamenti libris mythica contineri inventa, et ipsum Dominum Nostrum Iesum Christum, horribile dictu! mythicam esse fictionem. Quare hi turbulentissimi perversorum dogmatum cultores blaterant, morum leges divina haud egere sanctione, et minime opus esse, ut humanae leges ad naturae ius conformentur, aut obligandi vim a Deo accipiant, ac propterea asserunt, nullam divinam existere legem. Insuper inficiari audent omnem Dei in homines mundumque actionem, ac temere affirmant, humanam rationem, nullo prorsus Dei respectu habito, unicum esse veri et falsi, boni et mali arbitrum, eamdemque humanam rationem sibi ipsi esse legem, ac naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficere. Cum autem omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi perverse derivare audeant, tum cuique homini quoddam veluti primarium ius tribuunt, ex quo possit libere de religione cogitare et loqui, eumque Deo honorem et cultum exhibere, quem pro suo libito meliorem existimat.

At vero eo impietatis et impudentiae deveniunt, ut caelum petere, ac Deum ipsum de medio tollere conentur. Insigni enim improbitate ac pari stultitia haud timent asserere, nullum supremum sapientissimum providentissimumque Numen divinum existere ab hac rerum universitate distinctum, ac Deum idem esse ac rerum naturam, et iccirco immutationibus obnoxium, Deumque reapse fieri in homine et mundo, atque omnia Deum esse, et ipsissimam

Dei habere substantiam, ac unam eamdemque rem esse Deum cum mundo, ac proinde spiritum cum materia, necessitatem cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et iustum cum iniusto. Quo certe nihil dementius, nihil magis impium, nihil contra ipsam rationem magis repugnans fingi et excogitari unquam potest. De auctoritate autem et iure ita temere effutiunt, ut impudenter dicant, auctoritatem nihil aliud esse, nisi numeri, et materialium virium summam ac ius in materiali facto consistere, et omnia hominum officia esse nomen inane, et omnia humana facta iuris vim habere.

Iam porro commenta commentis, deliramenta deliramentis cumulantes, et omnem legitimam auctoritatem, atque omnia legitima iura, obligationes, officia conculcantes nihil dubitant in veri legitimique iuris locum substituere falsa ac mentita virium iura, ac morum ordinem rerum materialium ordini subiicere. Neque alias vires agnoscunt, nisi illas, quae in materia positae sunt, et omnem morum disciplinam honestatemque collocant in cumulandis et augendis quovis modo divitiis, et in pravis quibusque voluptatibus explendis. Atque hisce nefariis abominandisque principiis reprobum carnis spiritui rebellis sensum tuentur, fovent, extollunt, illique naturales dotes ac iura tribuunt, quae per catholicam doctrinam conculcari dicunt, omnino despicientes monitum Apostoli clamantis « si secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis » (1). Omnia praeterea le-

(1) Ad Rom. c. 8. v. 13.

gitimae cuiusque proprietatis iura invadere, destruere contendunt, ac perperam animo et cogitatione confingunt et imaginantur ius quoddam *nullis circumscriptum limitibus*, quo reipublicae Statum pollere existimant, quem omnium iurium originem et fontem esse temere arbitrantur.

Dum vero hos praecipuos infelicissimae nostrae aetatis errores dolenter ac raptim perstringimus, recensere omittimus, Venerabiles Fratres, tot alias fere innumerabiles falsitates et fraudes Vobis apprime notas ac perspectas, quibus Dei hominumque hostes rem tum sacram tum publicam pertubare et convellere connituntur. Ac silentio praetermittimus multiplices gravissimasque iniurias, calumnias, convicia, quibus sacros Ecclesiae ministros, et hanc Apostolicam Sedem dilacerare et insectari non desinunt. Nihil loquimur de iniqua sane hypocrisi, qua funestissimae in Italia praesertim perturbationis ac rebellionis duces et satellites dictitant, se velle, Ecclesiam sua gaudere libertate, dum sacrilego prorsus ausu omnia ipsius Ecclesiae iura et leges quotidie magis proculcant, eiusque bona diripiunt, et Sacrorum Antistites, ecclesiasticosque viros suo munere praeclare fungentes quoquo modo divexant, et in carcerem detrudunt, et Religiosorum Ordinum Alumnos, ac Virgines Deo sacras e suis coenobiis violenter exturbant, suisque propriis bonis spoliant, nihilque intentatum relinquunt, ut ipsam Ecclesiam in turpissimam redigant servitutem, et opprimant. Ac dum singularem certe ex optatissima Vestra praesentia voluptatem percipimus, Vos ipsi videtis, quam libertatem nunc habeant Venerabiles Fratres

Sacrorum in Italia Antistites, qui strenue constanterque praeliantes praelia Domini minime potuerunt cum summo animi Nostri dolore, adversantium opera, ad Nos venire, et inter Vos versari, atque huic adesse conventui, quod summopère optavissent, quemadmodum infelicis Italiae Archiepiscopi et Episcopi suis Litteris summi erga Nos, et hanc Sanctam Sedem amoris et obsequii plenissimis significarunt. Neminem etiam ex Sacrorum in Lusitania Antistitibus hic adesse cernitis, ac non parum dolemus, inspecta difficultatum natura, quae obstiterunt, quominus ipsi romanum inter aggredi possent. Recensere autem omittimus tot alia sane tristia et horrenda, quae ab hisce perversarum doctrinarum cultoribus cum incredibili Nostro ac vestro, et omnium bonorum luctu patrantur. Nihil item dicimus de impia conspiratione, et pravis cuiusque generis molitionibus ac fallaciis, quibus civilem huius Apostolicae Sedis principatum omnino evertere ac destruere volunt. Iuvat potius hac de re commemorare miram prorsus consensionem, qua Vos ipsi una cum aliis Venerabilibus Fratribus universi catholici orbis Sacrorum Antistitibus nunquam intermisistis et epistolis ad Nos datis, et pastoralibus litteris ad fideles scriptis huiusmodi fallacias detegere, refutare, ac simul docere, hunc civilem Sanctae Sedis principatum Romano Pontifici fuisse singulari divinae providentiae consilio datum, illumque necessarium esse, ut idem Romanus Pontifex nulli unquam Principi aut civili potestati subiectus supremam universi Dominici gregis pascendi regendique potestatem auctoritatemque ab ipso Christo Domino divinitus ac-

ceptam per universam Ecclesiam plenissima libertate exercere, ac maiori eiusdem Ecclesiae, et fidelium bono, utilitati et indigentiis consulere possit.

Quae hactenus lamentati sumus, Venerabiles Fratres, luctuosum plane exhibent spectaculum. Quis enim non videt tot pravorum dogmatum iniquitate, ac tot nequissimis deliramentis et machinationibus magis in dies christianum populum misere corrumpi, et ad exitium impelli, et catholicam Ecclesiam, eiusque salutarem doctrinam ac veneranda iura et leges, sacrosque ministros oppugnari, et iccirco omnia vitia et scelera invalescere ac propagari, et ipsam civilem societatem exagitari?

Nos itaque Apostolici Nostri ministerii probe memores, ac de spirituali omnium populorum bono et salute Nobis divinitus commissa vel maxime solliciti, cum « aliter » ut sanctissimi decessoris Nostri Leonis verbis utamur « Nobis commissos regere non » possimus, nisi hos, qui sunt perditores et perditi, » zelo fidei Dominicae persequamur, et a sanis mentibus, ne pestis haec latius divulgetur, severitate, qua possumus, abscindamus » (1), in hoc amplissimo Vestro consessu Apostolicam Nostram attollentes vocem omnes commemoratos praesertim errores non solum catholicae fidei ac doctrinae, divinis ecclesiasticisque legibus, verum etiam ipsi sempiternae ac naturali legi et iustitiae, rectaeque rationi omnino repugnantes et summopere adversos reprobamus, proscribimus atque damnamus.

Vos autem, Venerabiles Fratres, qui estis sal

(1) Epist. VII ad Episc. per Ital. c. 2 Edit. Baller.

terrae, et Dominici gregis custodes, ac pastores, etiam atque etiam excitamus et obtestamur, ut pro eximia Vestra religione et episcopali zelo pergatis, veluti adhuc cum summa Vestri Ordinis laude fecistis, omni cura, sedulitate et studio fideles Vobis traditos ab hisce venenatis pascuis arcere, et qua voce, qua opportunis scriptis tot perversarum opinionum monstra refellere et profligare. Optime enim scitis de summa re agi, cum agatur de sanctissimae fidei nostrae, ac de catholicae Ecclesiae, eiusque doctrinae causa, de populorum salute, et humanae societatis bono ac tranquillitate. Itaque, quantum in Vobis est, ne desinatis unquam a fidelibus avertere tam dirae pestis contagia, idest ab eorum oculis manibusque perniciosos libros et ephemerides eripere, ipsosque fideles sanctissimis augustae nostrae religionis praeceptionibus assidue imbuere et erudire, ac monere et exhortari, ut ab hisce iniquitatis magistris, tamquam a facie colubri effugiant. Pergite Vestras omnes curas cogitationesque in id potissimum conferre, ut Clerus sancte scienterque instituatur, omnibusque virtutibus fulgeat, ut utriusque sexus iuventus ad morum honestatem, pietatem, omnemque virtutem sedulo formetur, ut salutaris sit studiorum ratio. Ac diligentissime advigilate et prospicite, ne in humaniores litteras, severioresque disciplinas tradendas aliquid unquam irrepat quod fidei, religioni, bonisque moribus adversetur. Viriliter agite, Venerabiles Fratres, et ne animo unquam concidatis in hac tanta temporum perturbatione et iniquitate, sed divino auxilio omnino freti, ac *sumentes in omnibus scutum inexpugnabile ae-*

quitatis et fidei, atque assumentes gladium spiritus, quod est verbum Dei, ne intermittatis omnium catholicae Ecclesiae, et huius Apostolicae Sedis hostium conatibus obsistere, eorumque tela retundere et impetus frangere.

Interim vero dies noctesque, sublatis ad caelum oculis, non desistamus, Venerabiles Fratres, clementissimum misericordiarum Patrem, et Deum totius consolationis, qui de tenebris facit lucem splendescere, quique potens est de lapidibus suscitare filios Abrahae, in humilitate cordis nostri ferventissimis precibus indesinenter orare et obsecrare, ut per merita Unigeniti Filii sui Domini Nostri Jesu Christi velit christianae et civili reipublicae auxiliariam porrigere dexteram, omnesque disperdere errores et impietates, ac divinae suae gratiae lumine omnium errantium mentes illustrare, illosque ad se convertere et revocare, quo Ecclesia sua sancta optatissimam assequatur pacem, et ubique terrarum maiora in dies incrementa suscipiat, ac prospere vigeat et efflorescat. Ut autem quae petimus et quaerimus, facilius consequi possimus, ne cessemus adhibere primum deprecatricem apud Deum Immaculatam Sanctissimamque Deiparam Virginem Mariam, quae misericordissima et amantissima nostrum omnium mater cunctas semper interemit haereses, et cuius nullum apud Deum praesentius patrocinium. Petamus quoque suffragia tum sancti eiusdem Virginis Sponsi Iosephi, tum sanctorum Apostolorum Petri et Paulli, omniumque caelitum, et illorum praesertim, quos nuper Sanctorum fastis adscriptos colimus et veneramur.

Antequam vero dicendi finem faciamus Nobis temperare non possumus, quin iterum testemur et confirmemus, summa Nos uti consolatione, dum iucundissimo Vestrum omnium conspectu fruimur, Venerabiles Fratres, qui tanta fide, pietate et observantia Nobis et huic Petri Cathedrae firmiter obstricti, ac ministerium Vestrum implentes maiorem Dei gloriam, et animarum salutem omni studio procurare gloriamini, quique concordissimis animis, atque admirabili sane cura et amore una cum aliis Venerabilibus Fratribus totius catholici orbis Episcopis et fidelibus Vestrae et illorum curae commissis gravissimas Nostras angustias et acerbitates modis omnibus lenire et sublevare non desinitis. Quocirca hac etiam occasione amantissimi aeque ac gratissimi animi Nostri sensus erga Vos, et alios omnes Venerabiles Fratres, et ipsos fideles amplissimis verbis palam publiceque profitemur. A Vobis autem exposcimus, ut cum ad Vestras redieritis Dioeceses velitis eisdem fidelibus Vestrae vigilantiae concreditis hos animi Nostri sensus Nostro nomine nuntiare, illosque certiores facere de paterna Nostra in illos caritate, deque Apostolica Benedictione, quam ex intimo corde profectam, et cum omnis verae felicitatis voto coniunctam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, et eisdem fidelibus impertire vehementer laetamur.

PIUS PAPA IX.

Pontificiae Nostrae largitatis testimonio notandam censemus illorum dierum celebritatem, qui rei catholicae fausti laetique illuxerunt. Hoc Nos consilio Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis, qui ex diversis orbis partibus Romam convenientes Nobis in Basilica Vaticana frequentes adstiterunt, dum BB. Martyribus Japoniensibus, et B. Michaeli de Sanctis Confessori Sanctorum Caelitum honores solemnibus caeremoniis decrevimus, facultatem concedimus, ut Benedictionem Apostolicam, praeter ordinarias vices, in suo quisque Cathedrali Templo fidelibus inibi congregatis cum applicatione Plenariae Indulgentiae ritu solemni impertiri queant. Eam porro facultatem memoratis Antistitibus in actu Sacrae visitationis in praecipuis tamen suae Dioecesis locis exercendam pariter elargimur. Has vero facultates semel tantum valituras decernimus cum omnibus conditionibus ab Ecclesia praescriptis. Id concedimus, atque indulgemus contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die X Junii MDCCCLXII Pontificatus Nostri anno XVI.

B. Card. Barberinus.

DILECTO FILIO NOSTRO EMMANUELI BENEDICTO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI RODRIGUES PATRIARCHAE LISBONENSI, ET VENERABILIBUS FRATRIBUS IOSEPHO IOACHIMO ARCHIEPISCOPO BRACARENSI, IOSEPHO ANTONIO ARCHIEPISCOPO EBORENSI EORUMQUE SUFFRAGANEIS IN LUSITANIA EPISCOPIS.

PIVS PAPA IX.

Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. Quo graviora ex nefariis adversariorum machinationibus sanctissimae nostrae religioni, et fidelium incolumitati imminent mala, eo alacriorem in iis propulsandis operam impendere debent Episcopi, a quibus omni studio ipsa religio est propugnanda, et fidelium salus procuranda. Itaque inter maximas, quibus premimur, acerbitates summo certe afficimur dolore noscentes, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, in qua deploranda sane conditione catholicae Religionis et Ecclesiae res in isto regno versentur, quin pateat, eam a Vobis in gravissimo episcopali munere obeundo adhiberi vigilantiam et fortitudinem, quam si semper, in hac praesertim tanta temporum iniquitate, et ipsius vestri muneris officium, et catholicae Ecclesiae causa, et fidelium Vobis commissorum salus omnino exposcunt. Quocirca de spirituali istorum fidelium bono vehementer anxii ac solliciti pro Apostolici Nostri ministerii debito non possumus, quin Vos etiam atque etiam excitemus et hortemur, ut summa cura et constantia omnes episcopalis vestri muneris partes studiosissime implere velitis. Ad Vos enim, qui in partem sollicitudinis, cuius plenitudo Nobis commissa fuit, adsciti estis, maxime pertinet sanctissimae fidei, sacraeque doctrinae de-

positum integrum, inviolatumque custodire, et catholicae Ecclesiae, atque huius Apostolicae Sedis causam iura ac leges strenue tueri, defendere, ac toto animo illis fortiter obsistere, qui ipsam Ecclesiam et Sedem, earumque iura legesque oppugnare conantur. Vestrum est assidue advigilare, ut Cleri disciplina sarta tecta servetur, et omnes ecclesiastici viri ab iis declinantes, quae Clericis vetita, quaeque ipsos nequaquam decent, exemplum sint fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate, ac proprii ministerii munia naviter, scienter sancteque obeant, et in animarum salutem curandam totis viribus incumbant, et sacras praesertim disciplinas sedulo excolant, quo possint omnes exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, revincere. Ignorare autem minime potestis, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres; quam vehementer Ecclesiae intersit hisce potissimum luctuosissimis temporibus idoneos habere ministros, qui nonnisi ex Clericis optime institutis fieri possunt. Atque idcirco vestras omnes curas, cogitationesque in id praecipue intendatis oportet, ut adolescentes Clerici in vestris Seminariis vel ab ineunte aetate per magistros pietatis, sanaeque doctrinae laude spectatos ad ecclesiasticum spiritum mature fingantur, ac litteris et disciplinis praesertim sacris ab omni cuiusque profanae novitatis et erroris periculo alienis diligentissime erudiantur. Ac summopere cavete, ne in theologicarum praesertim rerum, et iuris canonici scientia tradenda ii adhibeantur libri, quibus falsae opiniones, et errores verae germanaeque catholicae Ecclesiae, et huius Apostolicae Sedis doctrinae repugnantes et adversi

continentur. Summa etiam vigilantia et sollicitudine Vobis omnino est curandum, ut religiosae vitae disciplina in monasteriis accuratissime servetur, et, ubi prolapsa fuerit, restituatur, utque ecclesiasticae de Monialium clausura leges nunquam violentur, sed perdiligenter custodiantur. Pari autem contentione a Vobis est allaborandum, ut utriusque sexus iuventus, qua omnis christianae, civilisque reipublicae spes continetur, et sanctissimis divinae nostrae religionis praeceptionibus sedulo imbuatur, atque ad morum honestatem, pietatem, omnemque virtutem instituatur. Neminem autem Vestrum latet quo teterrimo sane bello nunc catholica divexetur Ecclesia, quibusque pravis omnis generis artibus, insidiis, pestiferisque scriptis Dei hominumque hostes omnium animos mentesque corrumpere et a sanctissima nostra religione avellere connituntur. Nullis igitur curis, nullis consiliis nullisque laboribus parcere debetis, ne dilectae oves Vobis commissae vestra incuria fiant in devorationem omnium bestiarum agri. Itaque, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, ne sitis canes muti non valentes latrare, sed qua voce, qua salutaribus opportunisque scriptis ne cessetis inimicorum hominum insidias detegere, errores refellere, eorum impiis conatibus impavide obsistere. Ac nunquam desinite perniciosos, obscenos, impiosque libros et ephemerides de vestrorum fidelium manibus eripere, et ipsos fideles monere et exhortari, ut in catholicae religionis professione quotidie magis stabiles et immoti persistant, ac nunquam se decipi, et in errorem induci patiantur a fabricatoribus mendacii et perversorum dogmatum cultoribus.

Et quoniam miseros facit populos peccatum, omnem episcopalem vestram sollicitudinem et zelum in vitiis flagitiisque radicitus extirpandis impendite, et nunquam intermittite singularem adhibere vigilantiam, ut fideles Vobis concrediti quotidie magis enutriti verbis fidei, et per gratiarum charismata confirmati recedant a malo et faciant bonum, et alacriori usque pede incedant per semitas Domini, et omnia Dei, eiusque sanctae Ecclesiae mandata religiosissime observent iisque omnibus instent operibus, quae caritatem vel in Deum, vel in proximum praeseferant. Quantum autem industria, consilio, auctoritate eniti et efficere potestis, nihil unquam intentatum relinquite, ut miseros errantes ad salutis tramitem reducere, et Christo lucrifacere valeatis. Ac Parochorum praesertim zelum indesinenter excitate et inflammate, ut proprio munere diligentissime fungentes nunquam cessent christianam plebem sibi commissam ab venenatis pascuis avertere, atque ad salutaria deducere, eamque continenter pascere divini verbi praeconio, et Sacramentorum, ac multiformis gratiae Dei dispensatione, et nunquam eos pigeat aegrotos visitare, illosque omni sacrorum ope sedulo iuvare, et omnes sana doctrina erudire; et quod caput est, ac vel maxime interest, documenta fidei, morumque disciplinam leniter admodum patienterque puerulos, rudesque homines docere, ne quando in ipsos Parochos exprobatio illa cadat: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* (1). Cum autem ad spi-

(1) Jerem. Thr. IV v. 4.

rituale Dioecesium bonum procurandum, earumque mala avertenda Pastorum oculi magnam vim habere soleant, iccirco, dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, ne omittatis vestras Dioeceses accurate invisere et Cleri populique mores sedulo agnoscere, atque omni diligentia et studio quae corrigenda sunt emendare et convellere, et flagitia, si quae sint, eliminare pravasque amputare consuetudines, peccandique occasiones tollere, et ubique locorum christianam institutionem, et sacramentorum usum, quo nihil christiano populo est salubrius, promovere, et dierum festorum cultum, ac templorum reverentiam inculcare, et Clerum ad propria officia sedulo obeunda excitare, et populum ad omnes christianas exercendas virtutes inflammare. Atque episcopali, uti par est, fortitudine, iis omnibus resistite quae contra Ecclesiam, eiusque veneranda iura et leges istic impune patrantur. Etenim haud ignoratis, debitam civili potestati obedientiam praestari oportere in iis tantum omnibus, quae Dei, eiusque Sanctae Ecclesiae legibus minime adversantur. Nihil praetermittite, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, quod ad ministerium vestrum diligenter implendum quovis modo pertinet, ne quando gravissimis illis verbis Vos Dominus exprobret « quod infirmum fuit non con- » solidastis, quod aegrotum non sanastis, quod con- » fractum non alligastis, et quod abiectum est non » reduxistis, et quod perierat non quaesistis » (1). Quocirca omni virtute et constantia exerite gladium spiritus, quod est verbum Dei, praedicate, ut in

(1) Ezech. c. XXXIV v. 4.

persona Timothei discipuli sui tantopere Vobis inculcat Apostolus Paulus, instate opportune, importune, arguite, obsecrate, increpate in omni patientia et doctrina. Neque Vos quidquam unquam deterreat, quominus pro Dei gloria, pro Ecclesiae tutela, pro animarum Vobis commissarum salute Vosmetipsos in omnes obiiciatis dimicationes. Recogitate Eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem. Quod si nequissimorum timeatis audaciam actum iam est de Episcopatus vigore, et fortitudine, ac de sublimi, et divina Ecclesiae gubernandae potestate. Iam vero hac occasione dissimulare non possumus, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, non parum Nos doluisse, propterea quod neminem Vestrum videre potuerimus in solemni plurium Sanctorum Canonizatione a Nobis VI Idus proximi mensis Iunii celebrata, ad quam tot universi catholici orbis Sacrorum Antistites ex disiunctissimis etiam regionibus cum summo animi Nostri gaudio confluere gloriati sunt. Atque etiamsi aliquae extiterint difficultates, ob quas ad Nos venire minime potueritis, tamen nemo impedire Vos potuit, quominus vestras ad Nos scriberetis Litteras quibus vestram erga Nos, et hanc Petri Cathedram catholicae unitatis centrum fidem, pietatem et observantiam declararetis, quemadmodum cum summa sui nominis laude, et Nostra consolatione fecerunt tum Italiae, tum aliarum Ecclesiarum Sacrorum Antistites, quibus romanum iter suscipere minime licuit. Ea porro spe sustentamur fore, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, ut Vos serio considerantes in conspectu Domini gravissima officii ve-

stri munera, durissimumque iudicium, quod omnibus quidem, qui praesunt, sed maxime speculatoribus Domus Israel est subeundum, hisce Nostris monitis, hortationibus, votis ac postulationibus aures alacri libentique animo praebentes velitis episcopali zelo incensi catholicam religionem pro viribus tueri, eamque ab impiis hostium insidiis et molitionibus impavide defendere, vestri gregis saluti studiosissime consulere, et maiora etiam iis, quae scripsimus, praestare. Hac spe admodum erecti caelestium omnium munerum auspicem, et praecipuae Nostrae in Vos caritatis pignus Apostolicam Benedictionem toto cordis affectu Vobis ipsis, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres vestraeque fidei concreditis Clericis Laicisque fidelibus peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 3 Iulii anno 1862.

Pontificatus Nostri anno decimoseptimo.

PIVS EPISCOPVS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

§. 1. Infinitus ac pene incredibilis martyrum numerus, qui proprio sanguine Christi doctrinam, quam professi fuerant, confirmarunt, splendidum pulcherrimumque est divinae revelationis argumentum. Homines enim cujuscumque gradus, sexus, aetatis, nationis bonorum rapinam, exilium, vincula, cruciatus mortemque ipsam passi sunt, neque ulla in orbe terrarum regio est tam dissita atque a nobis disjuncta, quae evangelii luce illustrata de martyrum suorum agmine non optime laetetur. Habent, quis inficiabitur? haeretici suos martyres, habent quoque ethnici atque increduli; sed neque numero, neque virtute cum nostris conferendi sunt. Sanguinem suum fundebant non pro Christo, sed contra Christum, uti pallio hoc dealbati, Augustino auctore, alios commodius deciperent, animasque eorum caelo inferendas Christo praeriperent. Non hoc, sed vero atque pio martyrii desiderio ardentissime flagrans pauper ille Franciscus, quem labentem Ecclesiam lateranensem suis humeris Innocentius III Praedecessor Noster sustinere conspexit, non modo ipse Syriam nudis pedibus peragravit, Aegyptique Soldani benevolentiam summo animarum emolumento sibi compa-

ravit, sed fortissimos etiam atque impavidos ordinis sui alumnos ad evangelium ubique terrarum disseminandum misit. Quanto alacri animo provinciam hanc seraphici patris filii susceperint ecclesiasticae historiae monumenta testantur: ex quibus accepimus nullam reperiri possè regionem, quae primum detecta hos evangelicae praedicationis ministros non exceperit.

§. 2. Iaponia, ultima Orientis regio extremae adiacet Asiae; tota insulis constat, modicis fretis euripisque discreta. De ejus magnitudine, sive ob perpetuos et intestinos bellorum tumultus, sive ob circumjacentium scopulorum ac syrtium terrores, nihildum satis comperti habemus. In longitudinem millia passuum amplius DC, in latitudinem, ubi plurimum XC, ubi minimum XXX patere perhibetur. Spectat a septentrione Scytas, quos Tartaros vocamus, ab occidente vergit ad Sinas, ab oriente novae Hispaniae obversa est. Continet regna sex et quinquaginta, et quod plurimum est, una tantum lingua universa gens utitur. Iaponia omnis, quoniam tres sunt magnitudine insulae praecipuae, in partes dividitur tres, quae ab insulis majoribus nominatae, complures attributas habent. Meacus urbs olim Iaponiae omnis, nunc plurimorum regnorum caput; secundum Iaponem magnitudine atque opibus praestat Ximus Sinis proxima, tertia insula inter has interjecta Xigus vocatur. Regio antiquis omnino ignota, casu Lusitanis anno MDXLII eo tempestate abreptis inventa, conciliari commercio coepit. Quae et quanta felicitate ac prospere pro christiana religione in Japonia gesserit Franciscus Xaverius, merito Indiarum Apostolus appellatus, cognitum ac

perspectum cuique est. Multa centena hominum millia ad Christum convertit, non vulgares solum, sed principes viros regesque baptismate abluit, Bonziis, religiosis illius nationis viris, perpetuisque christiani nominis hostibus, frementibus ac dira in apostolicum virum minantibus.

§. 3. Cum per annos fere quadraginta multitudo Christifidelium in Japonia crevisset, inimicus homo superseminavit zizania. Imperio potitus est Faxiba, qui postea Quabacondoni nomen in illud Taicosamae, quippe quod majoris honoris ac potestatis indicium esset, commutavit. A Bonziis excitatus amorem, quo christianos prosequebatur, in odium convertit, annoque MDLXXXVII suis omnibus Christi fidem interdixit. Patres societatis Jesu depulit, qui tamen immutato habitu et latenti permansere. Cum vero navis oneraria a Philippinis seu Luzoniis insulis Firandi portum attigisset veritus tyrannus ne, si christianis infensus videretur, mercandi sibi prohiberetur occasio, odium non extinxit sed iniquo consilio compressit.

§. 4. Dum res ita se haberent Gometius Peretius des Marinas, qui hispaniarum regis jussu Philippinis insulis praeerat, opportunum arbitratus est, aliquot nationis suae viros regio legatorum nomine ad Taicosamam mittere, quo hispanorum negotiis faciliorem redderet: minitatus enim erat victoria et superbia elatus, se in suum imperium insulas quoque illas esse brevi redacturum. Ad tantum opus perficiendum delecti fuere pater Petrus Baptista seraphici ordinis fratrum minorum Commissarius, Bartholomaeus Ruitz, Franciscus de sancto Michaele cui additus fuit Gundisalvus Garzìa laicus, qui utrum-

que sermonem apprime callens interpretis munere fungebatur. Legationem susceperunt christianae religionis provehendae et amplificandae studio. Sixtus enim V pontifex maximus Praedecessor Noster apostolicis Litteris VII kal. decembris anno MDLXXXVI omnibus minoribus fratribus in insulis praesertim Philippinis degentibus facultatem praebuerat Indis et Sinensibus regionibus novas aedificandi domos et coenobia ad catholicam fidem propagandam, ne venia quidem romani pontificis implorata.

§. 5. Hispaniarum regis jussu navis VII kal. junii anno MDLXXXXIII solvens Manilia felici cursu Japoniam appulit, ad Taicosamam missa Nancojae degentem, illique Peretii munera obtulit. Pater Petrus Baptista ejusque socii comiter ab imperatore excepti sunt, qui humilem pauperemque eorum habitum admirans, sed superbe admodum de se suaque potentia loquens, clare aperteque illis significat se quam citissime, uti ceteras Japoniae partes, Philippinas quoque insulas subacturum, ni praeses ac meacenses cives tributum sibi ultro citoque persolvant. Tum legationis princeps respondit, hispaniarum regem nulli unquam parere nisi terrae caelique potenti Deo, ab ineundo tamen cum imperatore foedere non abhorrere. Haec item prorsus non alia traditae deinde litterae aperiebant. Annuit imperator, legatisque permisit ut Meacum se conferrent, praecipuasque Japoniae urbes inviserent. Praecepit autem rerum suarum curatori, ut veteri servato more publice alerentur.

§. 6. Sex fere mensibus domi cujusdam viri ethnici fratres morati sunt, deinde Taicosama Fu-

ximum petens fratribus minoribus, qui paulatim ejus sibi animum promeruerant, permisit ut Meaci sibi domicilia conderent, ea tamen lege, ne Japonenses christiana religione imbuerent; satis superque esse hispanos advenasque excolere. Tunc Petrus Baptista parvis limitibus parvum coenobium construit, proximum huic in honorem beatae Mariae Virginis Angelorum de Portiuncula templum addit, et IV nonas octobris divi Francisci festum magno civium meacensium concursu et stupore celebrat, ibique sacras conciones tanta populi frequentia deinde peragit, ut in dies fidelium numerus augeretur. Ut vero non modo animarum sed corporum quoque utilitati prospicere posset valetudinaria duo brevi aedificat, iis omnibus quae necessaria essent referta.

§. 7. Deo juvante omnia prospere se habebant, cum Bonzii iis acerrimum bellum intulere. Meaci praesidem adeunt, demisse queruntur se divitiis idolorum honori deditis orbari, religionem suam deprimi, se etiam a Japonensibus contemni, ex quo viri isti sacco obtecti, ac nudis pedidus incedentes inaudita virtutum praecepta, novasque vivendi leges palam docere aggressi sunt. Meaci praeses, qui quamvis ethnicus franciscalibus tamen favebat, eos de imminenti illis periculo admonet, seque imperatoris edictum in christianos jam antea latum exequuturum esse significat. At ii, Deum magis quam homines metuentes, martyriique desiderio flagrantes non modo ab incoepto non destiterunt, sed laborum socios fratrem Franciscum Blanco et fratrem Martinum ab Ascensione e Philippinis vocaverunt, alteram Ozacae domum Bethlehem appellatam aperuerunt, tertiam-

que lusitanorum atque hispanorum impensis extra Nangasachium ad sancti Lazari sacellum aedificarunt.

§. 8. Haec Bonziorum consilia et praesertim Jacoini medici, infensissimi christianae fidei hostis, nec non sacrae a Franciscalibus constructae aedes acriter tyranni animum, qui haec omnia pene ignorabat, excitarunt, jussitque decretum a se jamdiu latum renovari, acerbe dolens se a Franciscalibus tam benigne comiterque exceptis inique admodum tractari. Ira percitus omnes sive concionatores, sive baptizatos Iaponensium more capite mulctari jubet. Nec mora imperii satellites Meaci domum ac templum circumveniunt, comprehendunt quotquot sive religiosos viros, sive seraphici patris Ordini adscriptos, qui vespertinis precibus concionibusque audiendis convenerant; templum domumque destruunt, ac reos in vincula conjiciunt. Nec satis, Ozacam se conferunt, dolo praesidis ejus civitatis ad tres quoque societatis Jesu viros crudele jussum extendunt; Meacumque deducti sunt Paulus Miki, Joannes Soan seu de Goto, et Jacobus seu Didacus Kisai, quamvis ne verbum quidem de iis capiendis ab imperatore factum fuisset.

§. 9 Antequam de felici tot martyrum exitu verba faciamus pauca de singulis brevi disserere juvat. Frater Petrus Baptista, missioni legationique praepositus, ortus est anno MDXLV in castro sancti Stephani dioecesis Abulensis in Hispania piis nobilibusque parentibus Petro et Maria Antonia Blasquez. Vix alterum et vicesimum aetatis annum at-

tigit, mundi deliciis divitiisque, quibus affluebat, spretis, majoris perfectionis studio incensus fratrum franciscalium discalceatorum Ordinem amplexus est. Tyrocinio peracto totum se theologicis disciplinis concionandique muneri dedit summo animarum quaestu. Nonnullis coenobiis in Hispania praefuit. Hoc officio Emeridae in Extremadura fungebatur, cum anno MDLXXX sequutus est fratrem Antonium a sancto Gregorio, qui in Philippinis insulis sacram missionem instituebat. Ubi Mexici oras attigit consistere jussus disjunctissimas imperii illius fere omnes regiones peragravit, fratrumque suorum provinciam a sancto Didaco fundavit. Magno virtutum omnium ,sapientiaeque laude commendatus, anno MDLXXXIII ad Philippinas tandem appulit,illas pene omnes nudis pedibus, ut animas Christo lucraretur, lustravit. Philippus II Hispaniarum rex episcopum illum in Philippinis designaverat, sed a Deo ad majora vocatus Meacum venerat.

§. 10. Guipuzcoa, Hispaniae regio, fratrem Martinum ab Ascensione genuit anno MDLXVII. Litteris sacraeque theologiae in celebri Complutensi universitate operam dedit. Anno aetatis suae undevigesimo severius sancti Francisci institutum sequutus, posteriori anno solemnibus votis se Deo obstrinxit. Sacerdos effectus vitae asperitate, assiduo orandi et concionandi usu omnes ad virtutem alliciebat. In sacris missionibus totam fere incredibili animarum fructu vitam peregit: ethnicas barbarasque oras lustrare in votis habebat. Compos effectus Petro Ortiz ex eadem franciscali familia

comitem se dedit, qui cum quinquaginta aliis sodalibus Philippinas petebat. In Mexico commorari coactus philosophicas theologicasque disciplinas maximo sodalium emolumento tradidit, qui illum virtutum omnium exemplar suasoremqve habebant. Tandem ad Philippinas ipse quoque missus alter a legatione erat: annos triginta numerabat.

§. 11. Frater Franciscus Blanco sacerdos et concionator, trigesimum circiter aetatis annum agebat. Ortus Montreis quod est Hispaniae oppidum dioecesis Oretensis in Galecia. In Salmanticensi academia litteris philosophicisque disciplinis sedulo intentus; inter franciscales provinciae a sancto Jacobo adlectus. Austerioris vitae cupidus discalceatis fratribus sancti Jacobi nomen dedit. Plurima in coenobiis austeritatis ac virtutis monumenta reliquit. Vitae suae pro Christo prodigus, et indicam missionem exoptans cum suis primum in Mexico constitit, tandem e Philippinis Japoniam venit. Regionis illius sermonem apprime doctus, incredibile dictu est quot quantasque animas Deo adjunxerit.

§. 12. Philippus a Jesu de las Casas Mexici natus est. Parentes habuit Mariam Antoniam Martinez et Alphonsum de las Casas hispanos, genere ac divitiis illustres. Adolescens plus aequo voluptatibus indulsit; sed quinto ac decimo aetatis anno sodalibus sancti Francisci severioris observantiae se junxit. Haud multo post suscepti consilii pertaesus, et pristinam vivendi consuetudinem animo repetens, seraphici patris vestigia reliquit. Juvenis instabilitas tanto parentum animos dolore affecit, ut ne ipsum ad se amplius admittere, neque adspicere volue-

rint. Quae poena adolescentem non fregit, sed erexit. Triennio exacto lacrymans precesque fundens a moderatoribus seraphicae disciplinae restitutus est. Adnumeratus inter discalceatos fratres in coenobio sanctae Mariae Angelorum Maniliae, tyrocinio peracto solemnia vota emisit. Anno MDLXXXXVI Cabite Acapulcrum petebat, ut parentes inviseret qui filium iterum sacris vestibus indutum amplecti cupiebant. Tempestatis vi abrepta navis non in Mexicanum sed in Urandum Tozzani Japoniae portum ingressa est. Humanissime exceptus a patre Martino ab Ascensione, cui comes datus fuerat, virtute et sanctimonia illustris Meaci cum suis commorabatur.

§. 13. Frater Franciscus a sancto Michaele natione hispanus usus est parentibus Francisco De Andrat et Clara ab Arcu genere et virtute praestantissimis. Pariliae prope Vallem Oleti in lucem editus est. Sortitus animam bonam magnaque industria a puero institutus, omnium sibi animos conciliaverat. Vix ephebis excessit, inter seraphici ordinis alumnos provinciae ab Immaculata Conceptione adnumeratus est. Ea animi demissione fuit, ut quamvis debiliori esset corpore ac litteris satis eruditus, laicis tamen adjungi imploraverit. Austeritatis Seraphicae amantissimus triennio in Abroji sanctuario omnibus admirationi fuit. Asperioris vitae cupidus in provinciam a sancto Joseph commigravit. Ad Philippinas profectus calamitates, incommoda, injurias contumeliasque pertulit. Multis effulsit prodigiis. Regionis illius licet sermonis nescius, homines tamen maxima religionis utilitate atque incremento Deo juvante alloquebatur. Constitit etiam in Camaricensi regione quam miraculis illustravit.

§. 14. Gundisalvus Garzia patrem habuit Lusitanum, matrem vero Canariensem, Bazani in Indiis orientalibus natus est. Traditus a puero patribus Societatis Iesu erudiendus valde in litteris profecit. Adolescens mercaturae causa Japoniam cum nonnullis apostolicis viris se contulit. Quibus ut auxilio in sacris esset missionibus Deoque magis inserviret, negotiis relictis, curisque solutus catechistae munus suscepit. Multa omnipotentis Dei honore atque animarum emolumento gessit. Bonziorum audaciam fregit quoties cum iis in certamen venit. Nonnullis elapsis annis, Maniliam se contulit, ac divitias suas omnes pauperibus largitus, anno MDLXXXVII seraphici Patris familiam in coenobio sanctae Mariae Angelorum ingressus est. Totum in nosocomiis corporibus curandis ac virtutibus hominum animis imbuendis se dedit. Solemnia ejus vota susceperat pater Petrus Baptista, a quo legationis suae interpres et comes designatus fuerat.

§. 15. Paulus Suzuqui ex Oari oriundus ingenium valde perspicax sortitus, adolescens Bonziorum sectam reliquit. Juges in eo lacrymae assiduumque orandi studium. Ejus domus pauperum et peregrinantium domicilium appellabatur. Incredibile dictu est quo dolore afficeretur, cum alicujus ethnici interitum audiret. Catechistae munus obivit, plures ad neophitos erudiendos libros exaravit, in aegrotorum hospitiis fratrum Minorum operam praestitit, tertiarius, ut reliqui omnes, interpretis munere fungebatur.

§. 16. Gabriel a Duisco ex regno de Ize in insula Niphon sextum et decimum agebat annum cum

fratres Minores Meacum petiere. Christianam fidem occulte amplexus, parentibus, propinquis, amicis eum frustra cohortantibus ut domum rediret, opibus relictis tertii Ordinis sancti Francisci regulam professus est. Enixis precibus, vigiliis, jejuniis parentis sui a falsorum deorum cultu ad veri numinis sequelam conversionem impetravit. Christianae religionis propagationi vacans Meaci vias assiduis concionibus lustrabat.

§. 17. Ioannes Quizuya Japonensis Meaci ortus est, victumque sibi manuum suarum labore comparabat, de superstitionis suae veritate haud dubitans. Ubi a concive suo audivit, franciscales nova bene vivendi praecepta docere, bonis imbutus moribus in christianae fidei mysteriis initiatus est, adeoque profecit, ut seraphico tertii Ordinis habitu indutus omnes suo exemplo ad virtutem excitaret. Non modo in nosocomiis aegris opem ferebat, sed quem genuerat filium ad hoc caritatis opus inflammavit.

§. 18. Thomas Danchi de Ize et ipse de Meacensi urbe mercator, aetate provectus baptisma a patribus Societatis Jesu suscepit. Moribus haud immutatis, franciscales Thomae domum non christianorum domicilium, sed latronum speluncam appellabant. Uxor ejus filiique idolis serviebant flagitiis omnibus dediti. Supernae gratiae lumine ac divinae injuriae dolore correptum anteactae vitae poenituit: conjugem liberosque ad sanam frugem revocavit, divitias suas pauperibus largitus est. In aegris curandis assiduus catechistae munere fungebatur. Cum fratribus Minoribus vastam Nyphon insulam lustravit, tertioque Ordini sancti Francisci nomen dederat.

§. 19. Franciscus Meacensis hippocraticae artis doctor, tantum sibi nomen comparavit in morbis sanandis, ut in universo Japoniae regno splendide celebraretur, Medicique agnomine appellaretur. Adolescens Bonziorum sectam coluerat, assidueque animo volutabat, an vera essent religionis suae dogmata. Una cum filio proregis Bungii aliisque viris comitatus est classem ab imperatore Taicosama adversus Coreae regem comparatam. Bello composito, de religionis suae veritate sermocinatus est cum ethnico, qui nuper errorem abjuraverat. Placet consilium ab eo traditum christianum catechistam adeundi. Cum illo colloquitur, dat manus victas, baptismate abluitur. Ejus rei fama per Japoniam universam perlata, uxor et ipsa christiana efficitur. Franciscus acri ingenio praeditus non modo libros medicos conscripsit, sed quibus etiam religionis christianae veritatem tueretur, Bonziorum argumentis refutatis. Toto vitae suae spatio animis corporibusque juvandis se dedit. Fratres Minores eo interprete utebantur; eique tertii Ordinis seraphici patris habitum largiti fuerant. Sextum et quadragesimum aetatis annum agebat.

§. 20. Thomas Cosaqui quinto ac decimo aetatis anno martyrii gloriam assequutus est. Aquis lustralibus una cum patre suo regeneratus fuerat, atque undecimo vitae anno traditus beato Petro Baptistae, qui illum sancti Francisci tertii Ordinis habitu ornavit. Accepto catechistae munere, adolescens non modo rudes, sed doctissimos quoque ad fidei dogmata amplectenda falsis sophismatibus detectis impellebat. Vigiliis aliisque afflictationibus corpus in servitutem redigebat. Seraphici Patris vestigiis insistens,

proximorum ministerio mancipatus, mirum est qua alacritate nullis fractus laboribus nullisque periculis deterritus ad supremum usque spiritum franciscalibus sacra peragentibus inservierit.

§. 21. Ioachim Saquijor Usacae in Japonia natus nosocomiis fratrum Minorum escis parandis inserviebat. Christiana uxor virum gravi morbo laborantem accitos franciscales rogabat, ut baptismate abluerent. Hi vero cum renuissent, aberat enim imminens mortis periculum, catechistae tradiderunt fidei praeceptis erudiendum. In mortis agone iterum versatus et baptismate ablutus magno exarsit christianae perfectionis amore. Cum convaluisset, conjuge relicta, tertio sancti Francisci Ordini adscriptus est.

§, 22. Bonaventura aut Ventura Japonensis matrem ethnicam, patrem vero christianum sortitus est, qui puerum sacris undis regenerare voluit. Viginti annorum spatio, licet conscientiae stimulis exagitatus, flagitiosam vitam degere haud puduit. Ubi vero a fratribus Minoribus officia audivit, quibus se subjecerat cum sacro baptismate ablutus fuerat, uberrimo lacrymarum imbre perfusus novum induere hominem illico statuit, veniamque ab iis exorare, quos antea pravis moribus offenderat. Die festo magna populi frequentia sacco et cilicio indutus templum beatae Mariae Virginis Angelorum reginae ingressus anteactae vitae crimina detestans multis precibus a patre Petro Baptista poenitenti veste seraphici Patris indui imploravit. Ecclesiae communioni restitutus nunquam se a fratrum Minorum latere dividi passus est. Postremum se omnium reputans

admirabilis patientiae, invictae fortitudinis et maximae caritatis exempla ubique praebuit.

§. 23. In vasta atque patenti Asiae regione, quae Corea appellatur, quaeque Japoniam prospectat, clarissimis parentibus natus est Leo Carazuma. Adolescens idolorum servitio parentum jussu se mancipavit. Trigesimum agebat aetatis annum, cum menti illius christianae veritatis lux effulsit. Tanto perfectionis ardore flagravit, ut annuente nobili piaque foemina, quam sibi in matrimonio junxerat, non modo celibem deinde vitam duxerit, sed etiam sancti Francisci institutum ingredi postulaverit, sacrisque votis Deo se magis adstringere. A patre Petro Baptista tertio Ordini Meaci adscriptus, non modo verbo et exemplo poenitentium Ordinem ipsum propagavit, sed reliquo vitae suae spatio franciscales uti comes et interpres sequutus est.

§. 24. Mathias Japonensis ex Meacensi urbe a patribus Societatis Jesu baptizatus, pie sancteque vivebat. Ubi primum fratres Minores conspexit, asperum habitum, nudos pedes, virtutemque eorum admiratus illis se comitem dedit. Mundum seque ipsum contemnens paupertatis ac poenitentiae ardore aestuabat: omnibus tertii Ordinis sancti Francisci incitamento ad virtutem erat. Neque illum sine mercede reliquit Deus: captus enim a satellitibus, qui Minorum coenobium obsederant, locum alterius Mathiae absentis subiit martyrii palma exornatus.

§. 25. Antonius Nangasachii natalem diem habuit, matrem Japonensem, patrem vero ab India. Puer abhorruit a ludis: flagellis corpusculum suum affligebat. Singularis in eo fuit castitatis amor, quam

inter pericula illibatam servavit. Eo in Christum incendebatur amore, ut nihil supra. Patrem Hieronymum a Jesu, quo spiritualis vitae magistro utebatur, sequutus, tertio sancti Francisci Ordini adnumeratus est. Puer tredecim annorum instituti sui praesidi in missae sacrificio ministrabat.

§, 26. Paulus Yuaniqui Ibarchi Japonensis ex Oari a beato Leone ejus fratre Meaci christianam religionem doctus est. In primis fratri restitit, qui eum ab idololatria revocare cupiebat; deinde cessit, baptismate a fratribus Minoribus regeneratus. Cum uxore et liberis commoratus est prope coenobium; quo facilius illud adire posset. A patre Petro Baptista tandem inter Tertiarios adlectus vitae sanctimonia omnium in se oculos convertit; fratrum interpres Japonensium commodo fuit.

§. 27. Ludovicus Ibarchi Japonensis, Pauli et beati Leonis superius nominati nepos, Oari a parentibus idolorum cultu deditis genitus est. Novennis Meacum petiit, traditusque est beato Petro Baptistae, a quo fidei rudimenta accepit. Adolescens bonis moribus praeditus maxima in Deum et proximum caritate exarsit. Quo melius illis inserviret in tertium sancti Francisci Ordinem cooptari maluit. Nunquam a beati Petri Baptistae latere discedens interpres fratrum et ipse erat.

§. 28 Michael Cozoqui oriundus ex regno Ize, Japonensis armorum faber. Nomen sibi in balistis conficiendis, quibus Japones tum prae ceteris utebantur, comparavit. Christi assecla in ea jam urbe morabatur, cum seraphici patres Nangoja Meacum se contulerunt. Leonem Carazumam sodalem suum imi-

tatus corpus inedia, ferreisque catenulis castigabat. In Dei sacraeque eucharistiae contemplatione defixus nocturnis fratrum Minorum diurnisque precibus choro adstabat. Domi suae pauperes aegrosque excipiens illis uti Christo serviebat. Urbes cum Minoribus magno animarum quaestu lustravit, filiumque suum nomine Thomam, superius memoratum, habuit virtutis ac passionis socium.

§. 29. Petrus Sequexein Meaci civis in Japonia, mature abjecta superstitione, Christi assecla factus est. Sanctimonia et poenitentia illustris tertio sancti Francisci Ordini adscriptus est. Fratres Minores diligens ab eorum latere nunquam discessit. Cum ipsis in vincula conjectis ministrasset, captus et ipse martyrii lauream adeptus est.

§. 30. Cosmas Raquisa ex regno Oari clarissimo genere natus opibusque refertus, fortunae conversione balistis conficiendis totum se dedit. Meaci vitam degebat, cum eo patres franciscales devenere. Ipsis in coenobio aedificando adjumento fuit. In catechizandis pueris emicuit : tertio sancti Francisci Ordini adscriptus, seraphico Patri decennem filium suum obtulit, ut ipse quoque catechistae munere fungeretur. Pauperibus in nosocomiis inserviebat assidue, fratresque eo interprete utebantur.

§. 31. Franciscus Fahelante Campiutensis sutor virtutum omnium laude commendatus. Fratrum Minorum coenobio Meaci aedificando operam suam praestitit, ab iisque tertio seraphici Patris Ordini adnumeratus est. Caji in Francisci nomen immutavit. Anno MDLXXXXVI a patre Martinez Societatis Jesu primo Japoniae episcopo confirmationis

sacramentum suscepit. Ubi fratrum Minorum in carcerem conjectionem audivit, se ad sanctae Mariae coenobium contulit, eorum vinculis constringi cupiens. Bis atque iterum, sed frustra se christianum professus est. Questus se non posse pro Christo mori lacrymis obruebatur. Adeunti Petro Sequexein, qui ad martyres solandos missus fuerat a patre Organtino Societatis Jesu, se adjunxit. Voti compos fidem suam proprio sanguine confirmavit.

§. 32. Hi omnes, exceptis Petro Sequexein et Francisco Fahelante, qui se deinde illis in itinere addiderunt, manibus post terga revinctis ad majorem Meaci plateam deducti sunt; singulisque abscissa est pars auris sinistrae, deinde terni plaustris impositi totam urbem circumicre, antequam carcerem iterum ingrederentur. Haec sententiae forma erat, quae ad ignominiam augendam, et ad alios perterrendos martyres praecedebat. « Quia isti huc e Philippinis nomine legatorum profecti legem christianam a nobis prohibitam praedicarunt, ac templa aedificarunt nostris beneficiis abusi, supplicio illos affici jubemus cum Japonibus, qui sacra ipsorum suscepere. Itaque in crucem tollantur Nangasachii. Iterum eamdem legem severe prohibeo, idque omnibus testatum volo. Qui secus faxit, cum tota familia plectatur. Die XX lunae XII anni aetatis appellatae Eviocho ».

§. 33. Postera luce, III nonas januarii, martyrum cohors jumentis alligata Ozacam deducta est terrestri itinere inter furentis plebis ludibria atque cachinnos. Sacajum petit, Nangojae sistit, ubi Fazamburus morabatur, qui Nangasachium usque cum

satellitibus comitari illos debebat. Sacaio V idus ejusdem mensis egrediuntur; Facata pridie Kal. februar. discedentes perveniunt ad locum Carazu appellatum tribus e Nangoja leucis dissitum, ubi Fazamburum inveniunt illos praestolantem. Longo itinere regnum Figen ingrediuntur, adveniunt Zancajachium, unde postridie summo mane discesserunt. Quanto magis fortissimi Christi athletae ad supplicii locum appropinquabant, eo major caritatis flamma in iis erat, et quamvis vehementi frigore obrigerent, pedites tamen iter conficere maluerunt. Sinoncum usque, qui octo vel novem leucis Nangasachio distat, effervescente meridie pervenerunt. Sub vesperam ejusdem diei antequam navim, qua Tonchizu septem leucis maritimo itinere distans eundum erat, conscenderent, satellites omnium manus, fratribus Minoribus exceptis, post humeros revinxere funibus circa collum alligatis. Tonchizanum portum brevi tenuere, totaque nocte algenti brumae expositi sunt.

§. 34. Paraverat quidem pro omnibus Fazamburus in consueta Nangasachii platea cruces, sed rogatus a Lusitanis statutae sunt in summa collis area quae urbi imminebat. Silentio autem praetereundum non est quod adolescenti Antonio in itinere accidit. Cum illi parentes occurrissent, et blanditiis lacrymisque hortarentur, ut a fide deficeret, ille, quas mihi, inquit, promittitis, divitiae et opes, terrenae sunt, citoque avolant: at caelestia et aeterna mihi Christus largitur. Erepta deinde, qua operiebatur, tunica parentibusque reddita, properans laetusque crucem amplexatus est. Id sibi peculiare habent Japonum cruces quod in infima stipitis parte apposi-

tum est transversum lignum, cui paullulum divaricati pedes incumbunt: rursus in mediam crucem inditum prominet tigillum, quod inter crucifixi summa crura insertum velut equitantem sustinet. Clavis manus pedesque non configunt; sed funibus, vel manicis pedicisque ferreis alligant et collum circulo ferreo ac medium saepe corpus cruci adstringunt. Ubi reos hunc in modum applicuerunt funestae trabi et in paratam scrobem crux immissa stetit, lictor unus lanceam praelongam adigit a dextero latere in sinistrum: interdum lictor alter a sinistro latere in dexterum sacram cuspidem obliquat. Porro nuda in crucem corpora non figunt: fas unicuique suam retinere vestem, imo quam lautissimam et ornatissimam afferre. Eodem prorsus modo Minores propriis, ceteri saecularibus vestibus diem obiere supremum crucibus XXVI ordine directo suffixi tribus aut quatuor passibus inter se disjuncti.

§. 35. Quamvis ingens esset militum copia, quae impediebat quominus quisquam martyribus se appropinquaret, tamen maxima multitudo convenerat tum ethnicorum, tum christianorum. Qui postremi summo afficiebantur gaudio, audientes verba ab illis prolata, quomodo suis singuli crucifixoribus parcerent, ipsoque in mortis agone novos Christo filios suis verbis parerent. Mox Martinez Episcopus ad collem venit, positis humi genibus martyres est veneratus, atque illico coepit locus esse omnibus sacer. Miraculis et prodigiis clare Deus ipse ostendit quam pergrata sibi fuerit tot martyrum copia.

§. 36. Aliquorum sanguis post menses novem liquidus ac tabis expers apparuit. Vehemens imbris

vis Meaci vias invasit; magno terraemotu urbs Meacensis convulsa; ingens cometes crinibus redimita ab insulis Philippinis Nangasachium usque apparuit; imago divi Francisci sanguinem fudit, visae sub noctem coelitus accensae faces locum obire supplicii; martyrum vultus post duos et amplius menses vividi et spirantes adhuc erant, summaque adspectantium admiratione a vulturibus aliisque rapacibus belluis minime dilaniabantur corpora, multaque alia ejus generis prodigia martyrum venerationem auxerunt. Illud etiam memoria dignum est, tot martyrum sanguinem semen fuisse christianorum, qui deinde vel pietate et clarissimis virtutum exemplis, vel sanguine suo fidem confirmarunt.

§. 87. Paulo post martyrum interitum ad seraphici Ordinis in Philippinis Provincialem missa est authentica sententia imperatoris Taicosamae, atque epistola episcopi Japonensis, qua fortissimi Christi athletae maximis laudibus extollebantur. Archiepiscopus autem Maniliensis ad Sanctam Sedem litteras misit, quae tamquam processus ordinaria auctoritate instructi habitae sunt. Tunc remissioriales litterae ab episcopo Hixealensi datae sunt, ut acta de more conficerentur iis in locis, in quibus martyres passi fuerant. Quae maxima celeritate confecta Paulus V Praedecessor Noster, uti mos tunc erat, expendenda tradidit tribus Romanae Rotae Auditoribus, nempe Joanni Baptistae Coccino, Alphonso Mangonado et Philippo Pirosano. Qui, omnibus bene perpensis, causae fulcrum columenque reponentes in legitimis testium probationibus adfirmarunt majorem haberi testium numerum, quam juris praescriptio

ferret. Duo enim supra viginti contendebant, non politicis rationibus, neque ex simultate, neque alia ulla peculiari causa Taicosamae animum fuisse incensum ; sed odio quo afficiebatur ipse in catholicam fidem cruce eos damnasse. Quod quidem prodigiis ac miraculis pluribus confirmabatur. His accedebat haud exiguus ex auditu testium numerus idem jurejurando affirmantium. Quapropter uno ore asserebant causam in tali statu esse constitutam, ut juxta sanctae romanae Ecclesiae et sacrorum canonum normam Pontifex Maximus Urbanus VIII Praedecessor Noster ad istorum Servorum Dei Canonizationem in forma Ecclesiae consueta procedere posset, si ipsi placuisset. Quam quidem sententiam, omnibus rite perpensis, Venerabiles Fratres Nostri Cardinales sacrae congregationis ritibus tuendis confirmarunt, asserentes de martyrio et miraculis eorum plene aperteque constare.

§. 38. Tunc Praeses totius Ordinis Minorum sancti Francisci ab eodem Summo Pontifice Urbano VIII apostolicis Litteris XVIII Kal. octobris an. MDCXXVII impetravit, tum pro omnibus ejusdem Ordinis sancti Francisci fratribus ubique commorantibus, tum pro ecclesiasticis et saecularibus viris Maniliensis dioecesis dumtaxat officium et missam de communi plurimorum martyrum die eorum natali, nempe nonis februarii quo passi fuerant, donec ad solemnem eorum Canonizationem deveniretur. Quam quidem gratiam insequenti die idem Summus Pontifex ad tres martyres Societatis Jesu extendit, benigne excipiens petitiones Praepositi Generalis aliorumque presbyterorum ejusdem Societatis.

§. 39. Ut solemnis haec Canonizatio perageretur nihil aliud supererat, nisi ut Summus Pontifex expresse latam sententiam gravissimo suo judicio confirmaret, atque declararet, ad ipsorum martyrum canonizationem tuto posse procedi. Post tria fere silentii saecula causa aetate nostra reassumpta, fauste feliciterque juxta vetustiorem disciplinam ad exitum a Nobis perducta est. Pronas enim aures exhibentes postulationibus Praesidis totius Ordinis Minorum sancti Francisci sacram rituum congregationem in Vaticanis Nostris Aedibus convocavimus III nonas septembris superioris anni, in qua a Venerabili Fratre Nostro Constantino Patrizi sanctae romanae Ecclesiae Cardinali Episcopo Portuensi et sanctae Rufinae, sacrae rituum congregationis Praefecto causaeque relatore, dilectisque filiis Andrea Maria Frattini fidei Promotore, et Dominico Bartolini ejusdem sacrae congregationis a Secretis proposito dubio, an tuto procedi posset ad ipsorum martyrum Canonizationem, omnes uno ore assenserunt.

§. 40. Cum vero anno MDCCCLXI solemnis commemoratio ageretur diei, quo Patris Francisci corpori sacra stigmata divinitus impressa sunt ad sanctae Mariae de Aracaeli venimus, atque in ejus sacrario adstantibus superius memorato Cardinali Patrizi, ceterisque sacrae rituum congregationis, nec non supremo Praeside aliisque franciscalis familiae Observantium alumnis, ediximus tuto procedi posse ad ipsorum martyrum Canonizationem: quod quidem decretum VIII Kal. aprilis volventis anni ad tres quoque Japonenses martyres Societatis Jesu libenti animo rogati extendimus.

§. 41. Absolutis omnibus quae ex catholicae ecclesiae disciplina et novissimis praedecessorum Nostrorum decretis explenda erant, quod unum reliquum extiterat, jejunia et publicas preces indiximus unaque cum dilecta plebe Nos ipsi humillima vota in patriarchalibus Lateranensi, Vaticana et Liberiana basilicis Nostris obtulimus Deo, ut lumen suae voluntatis Nobis in tam gravi arduoque negotio ostendere dignaretur.

§. 42. Non multo post, idibus nempe maii volventis anni, consistorium publicum convocavimus, in quo dilectus filius Franciscus Morsilli sacrae consistorialis aulae Advocatus, impetrata a Nobis venia, de martyrio et miraculis XXIII ex Ordine fratrum franciscalium et III martyrum Japonensium Societatis Jesu locutus est. Tum a Nobis statutus est ad hanc Canonizationem peragendam sacer ille dies, quo Spiritus Sanctus Apostolis omnium linguarum scientiam dedit, quo miraculo sancta designabatur Ecclesia eodem spiritu repleta omnium gentium voce locutura.

§. 43. Ut vero ea pompa, quae par erat, solemnis iste honor martyribus in Vaticana basilica redderetur, omnes universi orbis Episcopos apostolicis Nostris Litteris hortati sumus, ut in re tam gravi consilio precibusque ad Deum essent Nobis auxilio. Qui cum ingenti numero in consistorio semipublico habito IX Kal. jun. volventis anni adstitissent, actorumque seriem ex authenticis sacrae congregationis rituum superius memoratae documentis, quorum exemplar dari ipsis jusseramus, atque a Nobis causae statum cognovissent, exultavit anima Nostra, atque in Domino laetati sumus, ubi audivimus

Venerabiles Fratres Nostros Cardinales, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos uno ore asserentes posse caelitum honores viginti sex martyribus Japonensibus tribui. Quorum suffragia propria cuiusque manu signata in sanctae Romanae Ecclesiae tabulario ad perpetuam rei memoriam custodiri mandavimus.

§. 44. Ipso denique Pentecostes die generalis supplicationis ritu praeeuntibus utriusque cleri ordinibus, congregationis sacrorum rituum consultoribus, Nos Ipsi cum dilectis filiis aulae Nostrae officialibus, et familiaribus, cum schola cantorum, cunctisque romanae curiae Antistitum collegiis, presbyteris quoque poenitentiariis sacerdotali veste indutis, denique cum Venerabilibus Fratribus Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus ac Patriarchis, universoque Venerabilium Fratrum Nostrorum sanctae romanae Ecclesiae Cardinalium senatu frequenti procerum et magistratuum numero stipati ex Nostris aedibus prodeuntes, et subsequentibus apostolicae Sedis notariis ac regularium ordinum supremis moderatoribus ad vaticanam Principis Apostolorum basilicam regia maiestate fulgentem processimus, ibique antequam sacra mysteria perageremus, dilectus filius Noster Nicolaus tituli Sancti Petri ad vincula presbyter Cardinalis Clarelli Paracciani Canonizationi procurandae praepositus per dilectum filium Andream Frattini consistorialis Nostrae aulae Advocatum ter enixe a Nobis postulavit pro solemni Canonizatione ipsorum martyrum Japonensium, quemadmodum etiam pro beato Michaele a Sanctis confessore non pontifice. Tunc caelestium spirituum Sanctorumque omnium

intercessione petita, invocatoque Paracliti Spiritus auxilio, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem catholicae fidei, et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra beatum Petrum Baptistam, Martinum ab Ascensione, Franciscum Blanco, Franciscum a S. Michaele, Philippum a Jesu, Gundisalvum Garzia seraphici Ordinis sancti Francisci fratres professos, Paulum Suzuqui, Gabrielem a Duisco, Joannem Quizuya, Thomam Danchi, Franciscum Meacensem, Thomam Cosaqui, Joachim Saquijor, Bonaventuram aut Venturam Japonensem, Leonem Carazuma, Mathiam Japonensem, Antonium Nangasachii, Paulum Yuaniqui Ibarchi, Ludovicum Ibarchi, Michaelem Cozoqui, Petrum Sequexein, Cosmam Raquisa, Franciscum Fahelante eidem seraphico Ordini adscriptos, una cum beatis martyribus Paulo Miki, Joanne Soan seu de Goto, Didaco seu Jacobo Kisai e Societate Jesu atque beato Michaele a Sanctis confessore non pontifice, Sanctos esse decrevimus atque definivimus, et in Sanctorum album retulimus, eorumque memoriam, quam in subsequuta missae celebratione Nos Ipsi solemniter venerati sumus, ab universa Ecclesia quotannis nonis februarii coli mandavimus. Omnibus quoque Christifidelibus, qui frequentissimi aderant, plenariam, iis vero qui singulis annis praedicta die ad eorum martyrum exuvias venerandas accesserint, septem annorum et totidem quadragenarum indulgentiam in forma Ecclesiae consueta peramanter largiti sumus.

§. 45. Debitis inde gratiis Deo peractis hymno-

que laudis et confessionis decantato, inter missarum solemnia gaudio superabundantes clerum populumque confertissimum allocuti, omnes in Domino cohortati sumus ad novensilium caelitum vestigia sectanda, ut hostiae acceptabiles Deo facti eorum meritis ac precibus adjuti, aeternam et ipsi beatitatem tandem aliquando mundanis omnibus spretis consequantur.

§. 46. Quibus omnibus peractis cum idem dilectus filius Noster Cardinalis Clarelli Paracciani humillime a Nobis postulasset, ut ad universalis Ecclesiae notitiam praemissa omnia deducerentur, Litterasque apostolicas ad perpetuam rei memoriam edere dignaremur, justissimae huic petitioni annuentes has praesentes perpetuo valituras mandari jussimus, quibus omnia et singula praemissa confirmamus atque iterum, si opus sit, sancimus, jubentes earumdem praesentium transumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, sigilloque viri in ecclesiastica dignitate munitis eamdem prorsus fidem ab omnibus haberi, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si exhibitae vel ostensae forent.


§. 47. O vere beata mater Ecclesia, quae assueta inter mundi persecutiones Deique consolationes peregrinando percurrere, habet in servorum Dei gloria, unde soletur se in iis diebus afflictionis suae. Dum inimici ejus convenientes in unum inania meditantur dicentes, quando morietur et peribit nomen ejus, dum omnia ejus firmissima et legitima jura spernuntur atque contemnuntur, ipsa novis coronata triumphis militum suorum, quos iam caelo

inseruit, permanet gloriosa, brachium Dei praedicans generationi venturae. O vere mirabilis Deus, qui in omni tribulatione solatur humilitatem Nostram, neque timidos Nos reddit a facie inimicorum suorum, quia Nobiscum est, ut universa quaecumque ipse mandaverit clare aperteque loquamur.

§. 48. Nulli liceat paginam hanc Nostrae definitionis, decreti, mandati ac voluntatis infringere; si quis autem voluerit temerario ausu contraire, vel attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et sanctorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae MDCCCLXII, VI Idus Julias Pontificatus Nostri Anno XVII.

✠ Ego Pius Catholicae Ecclesiae Episcopus.



✠ Ego Marius episcopus Ostiensis et Veliternus, card. decanus Mattei, Pro-Datarius.

✠ Ego Constantinus episcopus Portuensis et S. Rufinae card. Patrizi.

✠ Ego Aloisius episcopus Praenestinus card. Amat, Vicecancellarius.

✠ Ego Antonius Maria episcopus Tusculanus card. Cagiano de Azevedo, Major Poenitentiarius.

✠ Ego Hieronymus card. De Andrea episcopus Sabinensis, abbas Sublacensis.

✠ Ego Ludovicus episcopus Albanensis card. de Alteriis, S. R. E. Camerarius.

✠ Ego Benedictus tituli sancti Laurentii in Lucina prior presbyter card. Barberini, Brevium a Secretis.

✠ Ego Antonius tituli sancti Petri in Monte Aureo presbyter card. Tosti, S. R. E. Biblioth.

✠

✠

✠

✠

✠ Ego Fridericus Joan. Jos. tituli sancti Augustini presbyter card. Schwarzenberg, archiepiscopus Pragensis.

✠

✠ Ego Fabius Maria tituli sancti Stephani in Monte Caelio, presbyter card. Asquini.

✠ Ego Nicolaus tituli sancti Petri ad vincula, presbyter card. Clarelli Paracciani.

✠ Ego Dominicus tituli sanctae Mariae Angelorum

ad thermas presbyter card. Carafa de Traetto, archiepiscopus Beneventanus.

✠ Ego Sixtus tituli sanctae Sabinae presbyter card. Riario-Sforza, archiepiscopus Neapolitanus.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego Camillus tituli sancti Joannis ante portam latinam presbyter cardinalis De Petro.

✠

✠

✠ Ego Carolus Augustus tituli sanctae Caeciliae trans Tiberim presbyter card. De Reisach.

✠ Ego Clemens tituli sancti Pancratii extra moenia presbyter card. Villecourt.

✠

✠ Ego Alexander tituli sanctae Susannae, presbyter card. Barnabò.

✠

✠

✠

✠

✠ Ego Joseph tituli sanctae Mariae in Aracaeli, presbyter card. Milesi-Pironi-Ferretti, abbas sanctorum Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias.

✠ Ego Petrus tituli sancti Marci, presbyter card. De Silvestri.

✠

✠

✠ Ego Carolus tituli sanctae Mariae de populo, presbyter card. Sacconi.

✠

✠ Ego Cajetanus tituli sanctae Mariae supra Minervam presbyter card. Bedini, archiep. episcopus Viterbiensis et Tuscaniensis.

✠

✠ Ego Angelus tituli sanctorum Andreae et Gregorii in Monte Coelio presbyter card. Quaglia.

✠ Ego Fr. Antonius Maria tituli sanctorum XII Apostolorum presbyter card. Panebianco.

✠ Ego Aloisius sancti Angeli in Foro Piscario card. Prior Diaconorum Ciacchi.

✠ Ego Joseph sanctae Mariae in Via Lata card. Diaconus Ugolini

✠ Ego Petrus sancti Nicolai in Carcere Tulliano card. Diaconus Marini.

✠ Ego Joseph sancti Caesarei card. Diaconus Bofondi.

✠ Ego Jacobus sanctae Agathae ad Suburram card. Diaconus Antonelli.

✠ Ego Robertus sanctae Mariae in Domnica card. Diaconus Roberti.

✠ Ego Dominicus sanctae Mariae in Aquiro card. Diaconus Savelli.

✠ Ego Prosper sanctae Mariae de Scala card. Diaconus Caterini.

✠ Ego Gaspar sanctorum Viti et Modesti card. Diaconus Grassellini.

✠ Ego Theodulphus sancti Eustachii card. Diaconus Mertel.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

M. card. Mattei Pro Datarius. B. card. Barberini.

Loco ✠ Plumbi.

Visa De Curia
D. Bruti.

I. Cugnoni.

Reg. in Secret. Brevium.

PIVS EPISCOPVS

SERVUS SERVORVM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

§. 1. Societas Jesu qualis labentibus saeculis futura esset vel a prima sua institutione apertissime demonstravit. Majorem enim Dei gloriam, quam Ignatius tamquam Ordinis sui tesseram esse jusserat, non modo ipse totis viribus, sed omnes ejus filii semper et ubique terrarum enixe quaesierunt. Hinc ethnicae superstitioni bellum perpetuum atque haeresi indicere, collegia ad pueros pietate litterisque informandos instituere, academias colere, libros edere, spiritualibus exercitiis et concionibus ad sacramentorum frequentiam ac virtutem christianos excitare, aliaque pietatis opera animis Deo lucrandis exercere. Neminem vero latet hujus Societatis professos ad tria solemnia vota ceteris sacris familiis Deo dicatis communia, quartum illud nominatim adjungere, se ad fidelium vel infidelium disjunctissimas etiam orbis partes libenti animo, et christianae rei causa ituros, dummodo Pontifici Maximo placeat, nulla modo mercede, sed ne ipsius viatici petitione adjecta. Ex quo factum est, ut

magno Ecclesiae adjumento semper fuerint, haereticorum atque improborum hominum odia, bonorum vero existimationem amoremque sibi conciliaverint.

§. 2. Pauli III Pontificis Maximi antecessoris Nostri voce excitatus christianam fidem primus in Japoniam intulit anno MDXLIX sanctus Franciscus Xaverius gentis illius apostolus merito nuncupatus, eamque fere biennio praedicatione et miraculis confirmavit, adductis ad eam ex omni hominum ordine quam plurimis. Maxima in eadem provincia pericula ac difficultates perpessi patres Societatis Jesu grandia incoepta grandibus incrementis nobilitarunt. Regibus aliquot et provinciarum potentibus Christi jugum imposuere, tres ex iis Oratores Romam deduxere agnitum veneratumque Gregorium XIII praedecessorem Nostrum Christi Domini vicarium in terris, cui se suosque subjiciebant. Ecclesias pluribus in regnis fundarunt, excitarunt collegia, scholas instituerunt et seminaria. Interea Faxiba vulgaris homo, qui postea Quambacundoni titulum ac denique Taicosamae sibi indidit nomen, reges fere omnes ac principes sibi armis subjecit, universamque Japoniam imperio occupavit. Oderat ille christianam rem, sed uti fortuna doctus et foro, nunc dissimulare progressionem ejus , alias severe prohibere, alias res permittere Lusitanorum institorum gratia.

§. 3. Anno MDLXXXVII suis omnibus Christi fidem interdixit, patres Societatis Jesu reliquo proscripsit imperio, Nangasachii consistere propter Lusitanos permisit. Palam ibi fuere quamplurimi, sed cum nullus regnis illis excessisset, reliqui sparsim

cultu corporis immutato strenue rem christianam agitabant. Ab iis sexaginta et quinque millia praeter infantes sacris undis abluti sunt. Per asperas atque secundas fortunas processum est usque ad annum MDLXXXXIII, quo nonnulli ex seraphica familia homines accesserunt. Tunc temporis centum ac triginta quatuor Societatis alumni ad tercenta capitum millia toto late imperio christianis jam tum initiata mysteriis soli colebant, quum opportune venit in Japoniam designatus episcopus Petrus Martinez e Societate Jesu ad Taicosamam ab Indiae praetore legationis obeundae specie missus, qui comiter a tyranno exceptus sedem etiam in regno figere potuit.

§. 4. Maxima dominandi cupido jam totius Japoniae potens, qua affectus fuerat Taicosama, Bonziorumque clamores, quibus antiquam imperii religionem deprimi et contemni querebantur, gravissimae persecutioni initium dedere. Ad acuendam imperatoris iram praesto fuit Jacoinus, regius medicus, qui ardens odio christiani nominis et patrum Societatis Jesu, occasionem nactus, graves in christianos calumnias struxit, et qua valebat in principem gratia usus ad religionem penitus evertendam gravi oratione commovit. Quare Taicosama ira incensus edixit primum ut omnes seu ministri Evangelicae praedicationis seu Christifideles acerbissima morte plecterentur. Quam quidem sententiam rogatu gubernatoris Meacensis, qui christianis favebat, deinde ad eos coarctavit, qui e Philippinis advenissent et legem christianam a se prohibitam praedicassent, quos in crucem agi Nangasachii jussit. Hoc impera-

toris edicto patres Societatis Jesu dimitti liberos oportebat; et ab eorum quidem Meacensi domo statim remotae custodiae sunt. Verum Ozacae gubernator saepe objurgatus a Taicosama, quod christianis faveret, metuensque, ne quid in suum struerent caput, comprehendi jussit, vinculisque detineri etiam Paulum Miki, Joannem de Goto, Jacobum Kisai natione Japonenses e Societate Jesu, nec unquam passus est ut eos dimitteret.

§. 5. Paulus Miki in regno Iamasciro, quo princeps urbs Meacensis continetur, claro genere ortus et a puero christiano ritu expiatus vix undecimum aetatis annum attigerat, cum patribus Societatis Jesu traditus est erudiendus in seminario Anzuciamensi, eoque destructo tum Arimae, tum alibi inchoata litterarum studia prosequutus est. Quo tempore terrena cuncta aversatus anno aetatis vigesimo secundo Societati Jesu se adjunxit, in qua posito tyrocinio theologiae operam dedit, et arma comparavit, quibus patrias debellaret superstitiones. Haec arma, ut feliciter tractaret solertia ingenii adiuvabat et facultas dicendi non vulgaris, qua instructus et ad sacras conciones adhibitus plura Japoniae regna peragravit, plurimosque e popularibus suis ab errore ad veritatem, a flagitiis ad virtutem traduxit. Audiebatur ingenti plebis pariter et nobilitatis concursu, eminebatque in dicentis vultu tantus intimae sensus pietatis, humilitate ac modestia suavissime conditus, ut audientes accenderet, ac sibi Christoque conciliaret. Nec viva dumtaxat voce rem Christi curabat ac tuebatur, sed scriptis etiam libris patria lingua, qua pollebat maxime, in lucem editis, quibus ido-

lorum cultores, impiosque sectarum errores profligaret eo successu, ut non paucos principes et ingentem hominum multitudinem ad Christi religionem adduceret. Sacerdotio jam erat initiandus ab episcopo Japoniae Petro Martinez Societatis Jesu, sed exorta persecutione fortis et alacer se ipsum obtulit victimam omnipotenti Deo in altari crucis.

§. 6. Joannes Soan natus in insula Goto, a qua etiam abnomen traxit, a christianis parentibus ad pietatem educatus, simul ac per aetatem licuit in schola patrum Societatis Jesu totam christianae fidei ac disciplinae rationem ea facilitate ac dexteritate percepit, ut idoneus fuerit judicatus qui alios eadem perdoceret, et solemni ritu in dogicorum seu catechistarum numerum est relatus. Hoc munere ornatus adolescens annorum novemdecim et integris moribus conspicuus superiorum jussu Ozacam petiit, ut patrem Joannem de Morecon adjuvaret ac neophitos erudiret, quod egregie praestitit, donec cum duobus sociis carcere mancipatus sanctorum martyrum numerum auxit. Poterat se periculo ac morti subducere, sed Societatis, quam dudum in votis habebat, fortunam licet gravem et asperam subire maluit. Ergo convasata celeriter et in tuto reposita sacrarii, cujus gerebat curam, suppellectile, ultro suum nomen in proscriptionis tabulam referendum edidit, ac statim sequestro ac interprete Paulo Miki flagitavit a Patribus, ut in Societatem emissis votis cooptaretur, idque paucis diebus interpositis summa animi alacritate est consequutus.

§. 7. Jacobus Kisai annum confecerat quartum supra sexagesimum cum ad eamdem martyrii glo-

riam feliciter pervenit. Oriundus ex regno Bigensi nactus erat parentes ethnicos, a quibus idolorum cultum et superstitionis errores imbibit: verum gratia Dei praeventus et a primis sancti Francisci Xaverii sociis sacro fonte expiatus matrimonium suo tempore iniit cum conjuge christiana, quam ad superstitionem impie reversam et in errore pertinacem dimisit facto legitimo divortio, atque ita conjugii vinculis expeditus se totum Deo ac Societati dedit. Erat in litteris et characteribus iaponiis satis eruditus, et inter catechistas admissus rem christianam traditis primis fidei praeceptis plures annos summo studio ac diligentia promovit ingenti animarum fructu. Sed qua erat humilitate insignis, non dedignabatur vilia domi ministeria obire, hospitesque et advenas ad jánuam subeuntes admittére. Mysteria Christi patientis recolebat frequens, neque ullum intermittebat diem, quin illa grato et memori animo tractaret. Eam ob rem libellum sibi confecerat, in quo eadem pictis eleganter vernaculis characteribus, quos effingebat scitissime, descripserat singillatim, ut oculis etiam obversarentur. Ex ea meditatione háusit miram patiendi pro Christo moriendique sitim, quam ut expleret, sanguinem et vitam libenti animo profudit.

§. 8. Comprehensi igitur Ozacae hi tres, primitiae tot in Japonia martyrum Societatis Jesu, cum patre Martino de Ascensione franciscali ac domesticis tribus Meacum perducuntur. Ibi cum aliis septemdecim extrema sinistrae auris parte mulctati, revinctis post terga manibus vili plaustro impositi omnes per frequentiores urbis vias ad ludibrium cir-

cumducuntur, praeeunte lictore et sententiam crucis in eos scriptam praeferente. Paulus Miki e plaustro ad frequentem multitudinem pro christiana religione patria lingua peroravit, nec irritae ejus voces tum ibi, tum aliis secus viam locis: quippe in Meacensi carcere duos e custodibus, sex alios in Ozacensi et alicubi gubernatorem ipsum Christo adjunxit ; iratis palam Taicosamae Bonziis idolorum ministris, quod homines istos per Japoniam circumveheret ad Christi sectam disseminandam scilicet, non extirpandam. Meaco digressi et per varias urbes longo circuitu ad spargendum latius terrorem circumducti, Nangasachium denique pervenerunt nonis februarii. Ad sublevandas itineris molestissimi aerumnas submissus fuerat a patre Organtino Societatis Jesu christianus quidam spectatae probitatis ac prudentiae, itemque alter a franciscalibus, qui iis in omni re opem ferrent, cum hi duo ultro citroque liberius commearent, offensi milites stare ambos jussere, et an christiani essent rogavere. Adfirmantibus iis manus quoque injiciunt, ac ceteris Christi martyribus volentes ipsi etiam adjuncti sunt.

§. 9. Jam prope ventum erat ad locum supplicii, cum pater Franciscus Pasius a provinciali Societatis Jesu missus advenit obvius, qui singulos martyres ardenti affectu complexatus eorum confessiones audivit et Joannis De Goto atque Jacobi Kisai religiosa vota suscepit. Parabat Nangasachii gubernator cruces defigere in urbis platea plectendis reis addicta, sed Lusitani petierunt atque impetrarunt, ut in ea statuerentur quae prope urbem imminebat mari, eo consilio ut ibi aliquando aedem

sacrae martyrum Reginae ponerent, ut deinde factum est. In patenti igitur summi collis area statim defixae sunt cruces, uti Japonensibus mos est, ordine directo viginti sex, ternis inter se, quaternisve disjunctae passibus, ibique suffixi Paulus Miki, Joannes De Goto, Jacobus Kisai, lanceisque a binis lateribus transverberati, adstantibus gubernatoris facultate Joanne Rodericio et Francisco Pasio sacerdotibus e Societate Jesu, victrices animas caelo ab angelis inferendas dederunt.

§. 10. Aderat Joannis pius ac fortis genitor, nec satis patuit uter supplicium laetius ille ne tulerit, an iste spectaverit. Nec minor in Jacobo devexa licet aetate animi vigor eminebat. At Paulus triumphali illo crucis pulpito, nativam hominis eloquentiam stimulante Dei caritate ad circumfusam multitudinem pro christiano nomine vehementi oratione usus est, sibi ipsi gratulatus quod ex cruce, ut Christus Dominus, eademque atque ille aetate moreretur. Dein venia pro crucifixoribus precatus cum Deo animam suam commendasset, laetus expiravit. Pendentes tot martyrum exuvias episcopus Japoniae ad collem cum festinans venisset positis humi genibus publice est veneratus, atque ex illo locus sacer esse coepit.

§. 11. Id vero sibi gratum extitisse variis Deus ostendit signis. Sanctorum martyrum vultus praeter morem renidere decore visi sunt, admirantibus ethnicis maximam eorum venustatem. Sanguis Pauli Miki aliorumque trium martyrum confuse ab italo milite collectus, servatusque in fictili sinico post novem menses fluidus purusque et expers vitii et gra-

veolentiae fuit. Nec multo post obitum sanctorum die veneris in noctem obscuram caelestes ignes corporibus imminere visi sunt, quorum qui medius fuerat supra sacram Societatis aedem suo motu delatus ibi evanuit, et tenebrosam noctem serenavit. Diu etiam deinceps sexta quoque feria inspectante civitate universa fulgentes flammae velut sidera locum martyrii obivere, et ad ea usque processere domicilia, quae prima excipiendis martyribus Nangasachii fuerant destinata. Sed nullum videtur testimonium virtutis illorum et gloriae splendidius quam sacer ille ardor, quo inflammati spectantium animi fuere ad christianam fidem ac pietatem aut amplectendam aut impensius colendam, ita ut sanguis martyrum semen fuerit christianorum. Horum autem trium martyrum corpora post duos menses e cruce deposita in ecclesiam collegii Macaensis Societatis Jesu in Sinis translata sunt.

§. 12. Quae omnia certis testimoniis consignata, Romam ad Urbanum VIII praedecessorem Nostrum pontificem maximum delata sunt, qui beatis martyribus solemnes honores et cultum caelestibus haberi solitum concessit anno MDCXXVII. Cum tres e duodecim viris sacri consilii litibus judicandis, uti mos erat, ex actis apostolica auctoritate confectis omnia cognovissent, congregatio sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus tuendis praeposita declaravit de martyrio et miraculis constare tum beati Pauli Miki et sociorum Joannis Soan seu de Goto et Jacobi Kisai Societatis Jesu, tum beati Petri Baptistae et sociorum ejus seraphici Ordinis, ideoque ad illorum Canonizationem quandocumque

celebrandam posse procedi. Interea temporis Urbanus VIII praedecessor Noster apostolicis Litteris in forma brevi latis XVII Kalendas octobris anno MDCXXVII precibus Praepositi generalis Societatis Jesu et presbyterorum ejusdem annuens facultatem impertitus est officium recitandi, sacrumque faciendi pro tribus hisce martyribus Japonensibus, sicuti antecedente die pro tribus et viginti martyribus supremo Praesidi Ordinis sancti Francisci benigne concesserat.

§. 13. Summo ac venerando Dei judicio cuncta suo nutu moventis post tria fere silentii saecula causa reassumpta, prospere celeriterque ad optatum exitum perducta est, libentique animo postulationes dilecti filii Petri Beckx supremi moderatoris aliorumque Societatis Jesu humiliter a Nobis flagitantium excepimus, ut decretum latum XV Kal. octobris MDCCCLXI pro martyribus Japonensibus seraphici Ordinis, ad eos quoque tres memoratae Societatis martyres extenderemus. Coacta in Vaticano palatio sacra congregatione ritibus cognoscendis pridie nonas martias vertentis anni MDCCCLXII propositoque dubio a dilecto filio Nostro Nicolao tituli sancti Petri ad Vincula S. R. E. presbytero Cardinali Clarelli Paracciani causae relatore, ad eorumdem trium martyrum Societatis Jesu Canonizationem cunctis suffragiis tuto omnes procedi posse responderunt. Verumtamen in re tam gravi illorum votis acquiescere nequivimus, Nostramque sententiam proferre distulimus, quo fervidius divinam exoraremus sapientiam, precesque Nostras in humilitate cordis effunderemus.

§. 14. Die autem beatae Mariae Virginis Dei parentis designatae sacris in privato Nostro Vaticani Sacello operati ad sanctae Mariae supra Minervam accessimus et Nostro circumdati sanctae romanae Ecclesiae Cardinalium senatu, omnibusque Apostolicae aulae proceribus solemni missae sacrificio adstitimus, quo peracto proximum ejusdem ecclesiae sacrarium ingressi sumus et coram Venerabile fratre Nostro Constantino Patrizi episcopo Portuensi et sanctae Rufinae sacrae Congregationis ritibus tuendis praefecto et dilecto filio Nostro Nicolao tituli sancti Petri ad vincula presbytero Cardinali Clarelli Paracciani causae Relatore, ceterisque de more adstantibus IX Kal april. volventis anni declaravimus ad trium quoque Martyrum Japonensium Societatis Jesu Canonizationem tuto procedi posse in patriarchali Basilica Vaticana quandocumque peragendam.

§. 15. Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerere cupientes non modo propiores invitavimus episcopos, archiepiscopos et primates cum catholica et apostolica Sede gratiam et communionem habentes, sed etiam universi orbis terrarum antistites, ut se Romam conferrent, suumque Nobis animum aperirent de Canonizatione perficienda tum trium Societatis Jesu, tum trium et viginti Martyrum Japonensium seraphici Ordinis. Summa animi Nostri laetitia expectationem Nostram viceruut, tantoque agmine Romam omni ex parte quam citissime advenere, ut parem huic adstitisse numerum in Canonizatione ulla auditum nunquam fuerit.

§. 16. Omnibus plene perpensis ex monumentis sacrae Rituum congregationis, quorum exemplar

typis editum singulis distribui jussimus, ad semipublicum consistorium X Kal. jun. volventis anni vocavimus (publicum enim coegeramus Idibus maji, in quo XXVI Martyrum causam peroraverat dilectus filius Franciscus Morsilli consistorialis aulae advocatus) omnes Venerabiles fratres Nostros sanctae romanae Ecclesiae cardinales, patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos, ut in re tam gravi consilio Nobis essent. Adstantibus apostolicae Sedis notariis et duobus antiquioribus Palatii Nostri causarum auditoribus a Nobis interrogati, non modo uno ore assenserunt, sed scripto quoque Nos exorarunt, ut tandem aliquando ad supremam ipsorum Martyrum glorificationem deveniremus. Cujus rei ab apostolicae sedis notariis instrumenta condita sunt, et suffragiorum exempla episcoporum manu signata collecta in tabularium sanctae romanae Ecclesiae inferri jussimus.

§. 17. Verum antequam ad definitivam sententiam veniremus solemnia in urbe jejunia indiximus, et patriarchales Nostras lateranensem, vaticanam, et liberianam ecclesias ad fidelium supplicationes designavimus indulgentiis adjectis, ut suas Nostris precibus jungentes majorem opem a Patre luminum in re tam gravi impetrarent, suaeque gratiae auxilium minime denegaret.

§. 18. Ea demum sacratissima die, qua Sanctus Spiritus nunquam satis celebrando linguarum ignis prodigio super Apostolos e caelis illapsus universum terrarum orbem e vitiis eductum ad veram sanctimoniam adduxit, vaticanam basilicam aulaeis, pictis tabulis novorum sanctorum imagines, cruciatus, prodigia referentibus decoratam, laetitiaque undique ge-

stientem solemni supplicatione ingressi sumus. Omnes cleri saecularis ordines, cum praecederent, omnia magistratuum et officialium romanae curiae collegia, praedictique venerabiles fratres Nostri sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, patriarchae, primates, archiepiscopi et episcopi, antequam sacris operaremur a dilecto filio Nostro Nicolao tituli sancti Petri ad vincula sanctae romanae Ecclesiae cardinali Clarelli Paracciani huic Canonizationi procurandae praeposito per dilectum filium Andream Frattini sacrae consistorialis aulae advocatum christianorum principum et populorum vota precesque semel, iterum ac tertio obtulit, ut beatos hosce XXVI martyres in sanctorum numerum recenseremus. Implorata itaque prius caelestium spirituum et sanctorum omnium intercessione, atque invocato Paracliti Spiritus auxilio ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem catholicae fidei, ad christianae religionis incrementum auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita, divina ope implorata ac venerabilium fratrum Nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, atque episcoporum in Urbe existentium consilio Beatos Paulum Miki, Joannem Soan seu de Goto, Jacobum Kisai cum beatis Seraphici Ordinis Japonensibus Martyribus Petro Baptista, Martino ab Ascensione, Francisco Blanco, Francisco a Sancto Michaele, Gundisalvo Garzia, Philippo a Jesu, Paulo Suzuqui, Gabriele Izecensi, Joanne Quizuya, Thoma Izecensi, Francisco Japonensi, Thoma Cosaqui, Joachim Saquijor, Bonaventura Japonensi,

Leone Carazuma, Mathia Japonensi, Antonio Japonensi, Ludovico Japonensi, Paulo Yuaniqui, Michaele Cozoqui, Petro Sequexein, Cosma Raquisa, Francisco Fahelante, addito beato Michaele De Sanctis Ordinis SSmae Trinitatis severioris regulae pro captivis recuperandis confessore non pontifice, Sanctos esse decrevimus, ac Sanctorum albo inscripsimus statuentes ab Ecclesia universali eorum memoriam, quam in subsequenti Missae celebratione Nos ipsi solemniter venerati sumus, quolibet anno nonis februarii esse recolendam; indulgentiam septem annorum cum totidem quadragenis iis qui anniversaria die ipsorum Martyrum exuvias venerati fuissent, plenariam vero iis omnibus qui solemni huic ritui adfuissent largiti sumus maximo animi nostri gaudio, uti sermone, quem ad frequentissimum clerum, populumque habuimus, clare aperteque demonstravimus.

§. 19. Gaudeat igitur in Domino universa familia gentium, in vocibus exultationis omnes jubilent Deo, qui Ecclesiam suam pia miseratione custodiens praeclaris eam justorum exemplis quotidie instruere, meritis et praesidiis roborare non desinit. Probe omnes intelligant, ut gloriosissimi isti Martyres Japonensis Ecclesiae primitiae, mirificam illam Domini nostri Jesu sententiam: nos cruci cum ipso sive animo sive corpore oportere esse suffixos, neque dignum esse Christo qui crucem suam bajulare nequiverit. Solabitur ipse Deus in omni tribulatione nostra, facietque cum tentatione sustinere proventum: post praelia triumphus. In paucis vexati, in multis bene disponemur. Haec utinam

aliquando demum hominum animos veritas mentesque pervadat atque devincat. Tunc illa terrarum orbi effulgebit pax, quam enixis votis, collectisque omnium Christifidelium precibus jamdiu a Deo optimo maximo deprecamur, quamque assequi minime dubitamus.

§. 20. Praemissa omnia ad universalis Ecclesiae notitiam deduci, praesentesque Nostras litteras ad perpetuam rei memoriam dare voluimus, mandantes ut earum transumptis sive exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis eadem prorsus fides habeatur ab omnibus, quae haberetur si exhibitae atque ostensae forent praesentes Nostrae litterae.

Nulli liceat paginam hanc Nostrae definitionis, decreti, mandati ac voluntatis infringere; si quis autem voluerit temerario ausu contradicere indignationem omnipotentis Dei et sanctorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae MDCCCLXII, VI Idus Julias Pontificatus Nostri anno XVII.

✠ Ego PIVS Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Sequuntur ceterae subscriptiones prout in antecedenti.

PIUS EPISCOPUS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

§. 1. In Dei proximique amore totius legis compendium esse statuendum, tum veteris tum novi testamenti monumenta apertissime docent. Deus enim toto corde, tota anima, tota mente, totisque viribus, proximusque noster, ut nosmetipsi, diligendus est. Quod mandatum, cum Christus homo factus nova praecepta mundo exhibuisset, non modo non abrogavit, sed confirmavit, suoque exemplo roboravit. Pertransiit enim Palaestinae regiones sanando, erudiendo, benefaciendo, et in ligno hostia propitiationis effectus, Patri suo peccatores reconciliavit, caelique regna iamdiu clausa hominibus patefecit. Ex quibus liquet, Augustino teste, dilectionem virtutum omnium esse substantiam, naturalemque magistram. Hisce igitur praeceptis, exemplisque admonita catholica Ecclesia caritatem sibi propriam continuo habuit, eamque Christi fidelibus commendare non desiit. Ex quo deinde factum est, ut plurimi Christum praeceptorem imitati, perfecti in Deum ac proximum amoris exempla quam maxima reliquerint. Horum in numero recensendus est Michael, qui appellari voluit a Sanctis, sacerdos professus Ordinis severioris observantiae augustissimae

Trinitatis a captivis recuperandis, quem sacratissima Pentecostes die sanctorum albo libenti animo adscripsimus.

§. 2. Vichii in Hispania citeriore anno a partu Virginis quingentesimo nonagesimo primo supra millesimum die sacra inclyto coelestis militiae duci ortus est Michael. Parentes habuit Henricum Argemirium et Margaritam Monserradam morum pietate ac genere insignes, neque uti olim divitiis affluentes. Octo genuerunt filios, quorum septimus Michael, lustralibus undis ablutus pridie Kal. Octobris, integro vitae suo curriculo mira virtutum omnium copia effulsit. A teneris unguiculis divino numine afflatus Deo se mancipavit ac puerorum more totus in ejus arulis ornandis e sublimiori interdum loco ceteros ad pietatis Virginisque amorem infans hortabatur. Septennis Deiparae humanae labis nesciae virginitatem suam vovit, tantoque in eam amore exarsit, ut de nuptiis nec per jocum quidem a parente loqui passus sit. Quo magis solitariae vitae asperitate virginitatis lilium illibatum servaret, ascetarum exempla sequutus, Monsenium in montem se contulit, antrumque petiit austeritatum sancti Sigismundi Burgundiae regis conscium, quem una cum seraphico Patre imitandum sibi proposuerat. Re cognita genitor, sollicitus, qui illum diu multumque quaesiverat, adolescentem provolutum in genua objurgat qui lacrymarum vim effundens veniam implorat, patrique aperit, se eo devenisse, ut ibi poenitentem vitam liberius ageret, Christique cruciatus altius repeteret. Parenti morem gerit, et quam in deserto pietatis vitaeque rationem iniverat, obediens

domum reversus mire auxit. Acerrimum corpori suo bellum indicere, asseres pro stragulo, saxa pro pulvinari habere, flagellis, ciliciis, jejuniisque excruciari, super ipsas spinas nudus volutari, nullo vulnere magna omnium admiratione.

§. 3. Prima litterarum rudimenta, quibus pari diligentia operam dederat, repentina parentum mors abrupit. Tutoris sui desiderio familiae utilitati prospicere cupientis parere jussus, mercatoris officinam ingressus heri sui negotiis curandis deditus, neque susceptam vitae consuetudinem reliquit, neque votum solitudinis amplectendae.

§. 4. Anno aetatis duodecimo nondum expleto, propinquis, amicis patriaeque valedicens novus Abraham, cognatione et domo sua egrediens, longo itinere Barcinonam petiit, ibique augustissimae Trinitatis familiae, quam pientissimi Viri Joannes de Matha et Felix De-Valois coelitus moniti magna proximi sui ac perfectionis utilitate constituerant, adscribi petiit. Tyrocinio expleto ad coenobium sancti Lamberti prope Caesaraugustam se conferre jussus studiis conficiendis, sacris perpetuisque votis celebrandis, dum hic moraretur accepit, Beatum Joannem Baptistam a Conceptione primaevam Ordinis sui regulam instaurasse. Severioris vitae, austeraeque poenitentiae amore magis magisque flagrans, praesidum venia ejus vestigia sequutus est; Pampelonae summa animi voluptate solemnia vota pronunciavit.

§. 5. Cum in academia Beazensi primum, tum in Salmaticensi moderatorum jussu philosophiae ac theologiae studiis operam daret, sacerdos ex obe-

dientia renunciatus, mirabile dictu est quanto majori in Deum proximumque amore affectus sit. Neque clarum illud inter cetera silentio praetereundum est prodigium, Christum nempe suis ipsis manibus peramantis famuli corde mystice erepto suum, ut ille jamdiu postulaverat, in ejus loco collocasse. Ex quo puriori charitatis flamma ardere coepit, divinis affluere deliciis, in continuas extases, cum sacris praesertim operaretur, e vestigio rapi, singularis splendidaeque sedis sibi a Deo in caelesti domicilio constitutae adspectu mirum in modum recreari. Prophetiae spiritu afflatus plurima et loco et tempore remotissima aperuit. Proximi sui commodis prospiciens, non modo corporibus sed animis quoque precibus, privatis consiliis, publicis concionibus, assiduaque sacramenti poenitentiae administratione omnibus auxilio erat. Aegros saluti, exanimes vitae reddidit, locustas e messibus, immundos spiritus corpora mentesque hominum excruciantes depulit. Tanta vitae austeritate et castitate fuit, ut neque ullam impuram cogitationem, toto vitae suo curriculo, habuerit, neque rigidissimam vivendi rationem a puerulo susceptam reliquerit. Cum non solum vulgus, sed viri etiam summique principes ejus sanctimoniam admirarentur, nova animi demissione daemoniis ipsis se deteriorem continue dictitabat, eaque obedientia ut vilissimo cuique hominum, veluti Deo, libentissime pareret. Cum vitam angelicam magis quam humanam degeret, neque ardentes caritatis flammas continere amplius posset, amoris potius quam morbi vi, eo quo praedixerat momento ad caelestia, quae tamdiu optaverat praemia, liber vo-

lavit IV Idus april. an. MDCXXV., aetatis suae tertio supra tricesimum. Saepe calumniis petitus, et in vincula conjectus pro Christo pati laetatus. Pluries coenobio praefuit, omnium sibi benevolentiam comparavit. In extremo morbo tolerando singularis patientiae, animique humilitatis exempla dedit: atque illud mirabile quod saepe a valetudinarii praefecto aliisque interrogatus, an aliquo indigeret, amore Dei continuo respondit, hoc unum toto animo discupere.

§. 6. Quamquam vita cessisset prima post mediam noctem hora: neque mortis interea perlatus esset nuncius, summo mane rumor totam urbem pervasit, et tintinnabuli sonitus ejus mortem enunciantis satis longe auditus est, quod neque postea neque antea unquam evenerat. In proximo coenobii templo justa illa persoluta frequentis populi concursu sunt; neque illius animam quisquam precibus apud Deum juvandam esse censebat, sed auxilio potius ac intercessioni illius se ipsum commendandum.

§. 7. Haud multo post Vallis Oleti Antistes ordinaria auctoritate processus condere coepit, hisque a sacra congregatione ritibus tuendis approbatis, ab Urbano VIII praedecessore Nostro idibus februar. anno MDCXXIX causa introducta est, litteraeque commissoriales latae sunt, ut in civitatibus Vallisoletana, Beagensi, Vicensi, et Matritensi, in quibus venerabilis Dei Servus commoratus fuerat, apostolica auctoritate acta conficerentur. Cum omnia celeriter agerentur, et Romam missa fuissent, prodierunt decreta ejusdem Urbani VIII, quibus decernebatur, ne in causis Servorum Dei procederetur, nisi quinquaginta elapsis annis ab ipsorum interitu.

§. 8. Post quinquaginta et amplius annos, eo nempe reparatae salutis MDCLXXX, causa a sacra rituum congregatione reassumpta est, et juris ordine servato feliciter peracta, diligentissime perlectis perpensisque singulis venerabilis Servi Dei scriptis, eo de animi tranquillitate excepto, quod inveniri nullatenus potuit, maturoque judicio virtutibus in gradu heroico animadversis, IV Idus aprilis anno MDCCXLII Benedictus XIV praedecessor Noster de virtutibus theologalibus et cardinalibus, iisque adnexis in gradu heroico constare decrevit.

§. 9. Haud brevi tempore elapso, III Kal. octobris anno MDCCLXXVIII, Pius VI item praedecessor Noster edixit *constare in tertio genere de primo miraculo instantaneae, integraeque sanationis Mariae Egidii Gil a tumore canceroso in mamilla, ac de secundo repentinae perfectaeque curationis Alphonsi Ottero Grassal ab humeri fractura*, tutoque declaravit idem Pontifex Pius VI idibus decemb. ejusdem anni procedi posse ad venerabilis Servi Dei beatificationem, ab eodem peractam in vaticana basilica VI nonas maji anno MDCCLXXIX.

§. 10 Cum autem beatus Michael novis claruisset prodigiis, dignusque majori honore censeretur, duo a sacra rituum congregatione inter cetera, quae afferebantur ad trutinam delecta sunt prodigia. Evenit primum sub initium mensis maji an. MDCCLXXX cum Granatae in ecclesia fratrum discalceatorum ordinis augustissimae Trinitatis solemnia agerentur ob caelitum honores beato Michaeli redditos. Francisca Navarrete–y–Sanz Hyacinti Miras–y–Colafaz chiromedici uxor quartum et sexagesimum aetatis

suae annum agens canceroso tumore exulcerato in inferiori linguae parte decem ab hinc annis ita laborabat, ut nec cibum sumere posset, neque deformem illius adspectum sanie tabeque manantem, neque halitum quisquam sustinere. Adhibitis frustra physicae artis remediis, quae morbum non lenibant, sed magis magisque exasperabant, auxiliis humanis omnibus destituta, mortique proxima spem totam in beatum Michaelem contulit. Ejus enixe imploravit opem, novendialem supplicationem ad ejus aram peregit, multa se facturam esse vovit, iisque absolutis cancerosus tumor absque ulla medicae artis ope sponte prolabitur, nullumque teterrimi morbi vestigium in Franciscae ore, omnibus obstupescentibus, visum est.

§. 11. Alterum vero longe splendidius accidit anno MDCCCXXX, cum frater Joannes Baptista ab augustissima Trinitate laicus professus ejusdem Ordinis discalceatorum ageret animam, omni hyppocraticae artis remedio frustra adhibito. Vicesimum aetatis annum attigerat, quinquennio ad sanctae Mariae de fornacibus extra Urbem stipi quaeritandae a coenobii praeside addictus fuerat, cum in febrim quartanam incidit, quae assidue eum divexans in pulmonarem tabem devenisse cognitum est. In extremo vitae suae spatio, III nonas martias ejusdem anni Eucharistiae pane jam roboratus, infirmorumque oleo perunctus in eo erat, ut animam Deo redderet. Altera post meridiem hora fere elapsa aegrotus se incitatum sensit ad opem a beato Michaele implorandam. Nec mora : ejus arripit imaginem, atque aegro suo pectori applicat, beatoque promittit, se

stipem undique petiturum pro solemni ejusdem Canonizatione, dummodo vitae restitutus a tam lethali morbo convaluisset. Mirabilis vere Deus in sanctis suis! Precem nondum inchoaverat cum se morbi expertem sensit. Acerbissimi pectoris dolores depulsi, anhelitus remissi, omnis morbi species omnino depulsa. Festinans lectulo assurgit, se propriis vestibus induit, ad proximum templum laetus se confert, ante beati Michaelis aram provolutus, lacrymarum vim effundens sospitatori suo quam maximas agit gratias. Mirantur socii qui, vespertinis exactis de more precibus, choro egredientes, cum Joannem Baptistam vidissent, se potius phantasma cernere arbitrati sunt. Sed stupor omnis cessit, cum pater Petrus a divina Misericordia coenobii praeses, quo clarius pateret Joannem Baptistam esse omnino sanatum, jussit se conferre ad medicamantariam officinam templo adjacentem beatae Mariae Virginis trans Aelium pontem, quae longo itinere distat a elaustro, ibique medico se conspiciendum dare. Omnibus morbi adjunctis circumstantiisque bene perpensis, infirmoque semel iterumque interrogato, caelesti portento id solummodo attribuendum esse medicus censuit. Tunc Joannes Baptista vaticanam basilicam ingressus aliquantulum orat, domum reversus in claustri horto perambulat, omnibus se cernendum praebet, suoque praesidi affirmat, se ita comparatum esse, ut longum iter, gravesque labores ultro suscipere possit. Nec mora: ad pristinam vitae consuetudinem rediit, et duobus ac triginta elapsis annis in vivis adhuc moratur, bonaque utitur valetudine. Quibus prodigiis integre animadversis in

generalibus comitiis coram Gregorio XVI praedecessore Nostro sanctae memoriae in aedibus vaticanis habitis VIII Kal. junias MDCCCXLI, idem Summus Pontifex XI Kal. septembris ejusdem anni de duobus miraculis tertii generis intercessore beato Michaele a Deo patratis, cum constare decrevisset, nihil aliud supererat, nisi ut decerneretur tuto ad solemnem ejusdem beati Canonizationem procedi posse.

§. 12. Benigno itaque animo preces excipientes Nobis a pluribus Hispaniae proceribus, ceterisque nobilioribus viris, nec non ab utriusque sacrae familiae pro captivis recuperandis moderatoribus factas, qui enixe a Nobis postulabant ut in hanc sententiam descenderemus, generalia comitia coram Nobis in palatio vaticano III nonas septembris anno MDCCCLXI collegimus, propositoque dubio a Venerabili fratre Nostro Cardinali Ludovico Altieri episcopo Albanensi causae relatore, an approbatis duobus miraculis post datam Beato venerationem, tuto ad Michaelis Canonizationem procederetur, singuli uno ore assenserunt. Quod quidem decretum, Deum Optimum Maximum adprecati, ut divinam sui voluntatem Nobis magis magisque aperiret, distulimus ad XI Kalendas octobris ejusdem anni, qua die sancti Francisci stygmata caelitus impressa recoluntur. In sacrario itaque Ecclesiae sanctae Mariae in Aracaeli, quo eamdem sententiam pro tribus et viginti seraphici Ordinis Martyribus Japonensibus dederamus, adstantibus venerabilibus fratribus Nostris sanctae romanae Ecclesiae Cardinalibus Constantino Patrizi, episcopo Portuensi et sanctae Rufinae, sacrae rituum

congregationis praefecto, Ludovico Altieri episcopo Albanensi causae relatore superius memorato, ceterisque de more admissis, universa seraphici Patris familia audiente, plurimisque ex Ordine sanctissimae Trinitatis pro captivis recuperandis adstantibus, decrevimus ad Canonizationem quoque Beati Michaelis tuto procedi posse.

§. 13. In hoc autem gravissimo negotio praescriptam servatamque a praedecessoribus Nostris agendi rationem servare cupientes universos primum sanctae romanae Ecclesiae Cardinales in consistorio habito idibus maji volventis anni sententiam rogaturi coram Nobis congregavimus, qui beati Michaelis actis a dilecto filio Joanne Baptista De Dominicis Tosti sacrae Nostrae consistorialis aulae advocato auditis Nos ad legitimam causae hujus absolutionem una voce cohortati sunt. Curavimus deinde ut non modo viciniores episcopi, sed remotissimi quoque, iique qui orientales plagas incolunt, cum apostolica Sede gratiam et communionem habentes commonerentur, seque ad urbem conferrent, ut Nobis de solemni Canonizatione Beati Michaelis et viginti sex martyrum Japonensium consilia suppeditarent, et prout Spiritus Sanctus daret eloqui, aperirent. Qui ex toto terrarum orbe cum plurimi libentissime convenissent, causa plene cognita tum ex iis quae gesta fuerant in publico consistorio coram Nobis coacto idibus maji, ut diximus, tum ex monumentis sacri consilii ritibus cognoscendis praepositi, quorum exemplar typis editum unicuique eorum exhiberi jussimus, in semipublicum consistorium convenerunt coram Nobis habitum IX Kal.

junias ejusdem anni MDCCCLXII. Non modo venerabiles fratres Nostri S. R. E. Cardinales, sed patriarchae, archiepiscopi, et episcopi unanimes in eamdem sententiam conspirarunt. Cujus rei instrumenta a dilectis filiis sedis apostolicae notariis publice confecta in tabularium sanctae Romanae Ecclesiae perferri jussimus. Ad solemnem hanc Canonizationem celebrandam decrevimus diem, quo divinus Spiritus in omnes Apostolos singulari linguarum prodigio advenisse omnis Ecclesia laetatur, fidelesque omnes hortati sumus indictis in urbe jejuniis designatisque ecclesiis cum indulgentia ab ipsis assequenda, ut Nobiscum caelestem opem precibus et obsecrationibus instanter implorarent.

§. 14. Ubi autem faustissima haec dies illuxit omnes tum saecularis tum regularis cleri ordines, omnes romanae curiae proceres et officiales, cuncti denique venerabiles fratres Nostri sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, patriarchae, archiepiscopi, episcopi ad biscentum sexaginta sex in Vaticanum convenerunt: quibus praeeuntibus solemni supplicationis ritu divi Petri Basilicam caelestis sponsae cultu fulgentem ingressi sumus. Tunc dilectus filius Noster Nicolaus tituli sancti Petri ad vincula presbyter Cardinalis Clarelli Paracciani canonizationi huic procurandae praefectus, perorante dilecto filio Andrea Maria Frattini sacrae consistorialis aulae advocato, Nobis preces ac vota detulit virorum principum, sacrorum antistitum, universaeque sodalitatis fratrum a captivis recuperandis, ut Beatum Michaelem una cum martyribus Japonensibus Petro Baptista-Martino ab Ascensione - Francisco Blanco - Phi-

lippo a Jesu - Gundisalvo Garzìa Seraphici Ordinis, Paulo Miki - Joanne Soan seu de Goto - Didaco seu Jacobo Kisai e Societate Jesu-Paulo Suzuqui - Gabriele a Duisco - Joanne Quizuya - Thoma Danchi Francisco Meacensi - Thoma Cosaqui - Joachim Saquijor - Bonaventura aut Ventura Japonensi - Leone Carazuma - Mathia Japonensi - Antonio Japonensi Ludovico Ibarchi - Paulo Yuaniqui Ibarchi - Michaele Cozaqui - Petro Sequexein - Cosma Raquisa - Francisco Fahelante, qui omnes seraphico Patre duce militabant, in Sanctorum confessorum non Pontificum numerum referremus. Cumque iterum ac tertio idem cardinalis per memoratum consistorialis aulae advocatum Nos obsecrasset, ut a christiano orbe optatam sententiam pronunciaremus, primum universae caelestis aulae praesidium, tum a Paraclito Spiritu sapientiae suae vivum atque copiosum lumen imploravimus. Quibus peractis ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad catholicae fidei incrementum et decus, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione et ven. Fratrum Nostrorum sanctae romanae Ecclesiae Cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum consilio, praedictum Michaelem una cum supra memoratis Martyribus Japonensibus Petro Baptista et sociis, virtute ac prodigiis insignem inter ceteros universae Ecclesiae Sanctos solemni ritu adnumeratum voluimus. Decrevimus insuper sancti Michaelis memoriam quotannis celebrandam III nonas julii, natalemque ejus diem in romanum martyrologium referendum. Christifidelibus, qui illius sepulcrum ve-

34

nerati fuerint, indulgentiam septem annorum, totidemque quadragenarias in perpetuum largiti sumus. Gratiis deinde omnipotenti Deo relatis, ad aram basilicae maximam incruentam salutis nostrae hostiam oblaturi, laetitiam animi continere amplius nequivimus et peracta evangelii lectione non modo venerabiles fratres Nostros, sed confertissimam quoque multitudinem alloquuti sumus, ut pro suis quisque viribus novos hosce martyres, Christique confessorem imitarentur, eorumdem patrocinium studiose demererentur, atque in praesentibus potissimum calamitatibus, quibus jamdiu Ecclesia Dei torquetur, eorum auxilium implorarent. Post haec apostolicam Benedictionem plenariamque admissorum indulgentiam peramanter in Domino impertiti sumus, litterasque Apostolicas de hisce omnibus perpetuo valituras conferri jussimus.

§. 15. Universum terrarum orbem nuntius hic Noster pervadat, Christianorumque animos gaudio perfundat. Diligant omnes Deum, qui prior dilexit nos, invicem memoria reputantes, non novisse Deum qui proximum non diligit. Utinam tandem aliquando hominum animos, uti olim sanctum Michaelem, amor iste incendat! Tum profecto dissidia quiescent, praepositis quisque suis libens obediet, religio jure suo potietur, omnesque assidue menti altius defixum habebunt praeclarum sapientemque illum Gregorii praedecessoris Nostri monitum « ille vere credit, qui exercet operando quod credit. »

§. 16. Omnibus itaque quae inspicienda erant bene perpensis certa ex scientia, et apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine omnia et singula prae-

dicta confirmamus, roboramus atque iterum statuimus, decernimus, universaeque catholicae Ecclesiae denunciamus, mandantes ut earumdem praesentium transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii apostolici subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur quae hisce Nostris litteris praesentibus haberetur, si exhibitae, atque ostensae forent.

Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, decreti, mandati, relaxationis et voluntatis infringere vel temerario ausu contraire voluerit, aut attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei et sanctorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae MDCCCLXII VI Idus Julias Pontificatus Nostri Anno XVII.

✠ Ego Pius Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Sequuntur ceterae subscriptiones prout in praecedenti.

PIVS PP. IX.

JOANNI ARCHIEPISCOPO NEO-EBORACENSI.

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Gravissimas inter ac multiplices, quibus in hac tanta temporum jactatione et asperitate premimur, angustias, vehementer quoque dolemus luctuosissimum sane statum, in quo christiani istarum foederatarum Americae Regionum populi versantur ob exitiale civile bellum inter ipsos exortum. Non possumus enim non summo moerore confici, Venerabilis Frater, dum paterno animo Nobiscum reputamus caedes, ruinas, excidia, vastationes, aliasque innumeras, et nunquam satis lugendas calamitates, quibus populi ipsi miserandum in modum divexantur, ac dilacerantur. Hinc haud omisimus in humilitate cordis Nostri ferventissimas Deo offerre preces, ut populos ipsos a tot tantisque malis eripiat. Ac persuasissimum Nobis est, Te quoque, Venerabilis Frater, sine intermissione miserationum Dominum orare et obsecrare, ut veram pacem, prosperitatemque istis regionibus concedat. Cum autem Nos pro Apostolici Nostri ministerii officio omnes christiani orbis populos summo caritatis affectu prosequamur, ac licet immerentes Illius vicariam hic in terris geramus operam, qui auctor est pacis, et amator caritatis, Nobis temperare non possumus, quin supremis istorum populorum Moderatoribus, et ipsis populis mutuam

pacem, caritatemque etiam atque etiam inculcemus. Quamobrem has Tibi scribimus Litteras, quibus Te, Venerabilis Frater, maxima animi Nostri contentione excitamus, ut pro eximia tua pietate, et episcopali zelo Tuum Clerum, populumque fidelem ad effundendas preces excites, ac simul tuum omne studium et operam penes ipsos supremos Moderatores et populos conferas, ut istic quamprimum desiderata pax et tranquillitas restituatur, qua tum christianae, tum civilis reipublicae felicitas maxime continetur. Itaque quantum consilio, auctoritate et labore eniti et efficere potes, nihil praetermitte, quoad tua in id studia cum sacri ministerii natura conciliari possint, ut dissidentium animos lenire, pacare, componere, atque ad optatam concordiam et pacem reducere queas, iis modis omnibus, qui ad verum populorum bonum assequendum magis conducere possunt. Omnem praeterea curam adhibe, ut iidem Moderatores et populi serio animadvertant quibus gravissimis ipsi affligantur damnis, quae ex civili bello redundant, quo nihil certe funestius, nihil tristius, nihil luctuosius populis et nationibus contingere potest. Neque omittas supremos ipsos Moderatores ac populos, Nostro etiam nomine, monere, hortari, ut, conciliatis animis, pacem amplectantur, et continua se caritate diligant. Futurum enim confidimus, ut iidem paternis Nostris monitis et vocibus eo libentius obsequantur, quod per se ipsi clare aperteque intelligunt, Nos nulla prorsus politicarum rerum ratione, nullaque terrenarum rerum utilitate adductos, sed paterna tantum caritate impulsos ad pacem, tranquillitatemque illos exhortari. Ac pro egregia

tua sapientia omnibus persuadere stude, veram prosperitatem in hac etiam vita non aliunde esse quaerendam, quam a divina Christi religione, ejusque salutari doctrina. Nihil dubitamus, Venerabilis Frater, quin, adhibita etiam Venerabilium Fratrum tuorum Coepiscoporum opera et auxilio, hisce Nostris desideriis cumulatissime satisfacere velis, et omnia provide sapienterque coneris, ut tanti momenti negotium ad optatum exitum perducatur. Scias autem velimus, haec eadem hoc ipso die ad Venerabilem Fratrem Joannem Mariam Archiepiscopum Novae Aureliae Nos scribere, ut, collatis Tecum consiliis, conjunctisque studiis, in eumdem finem suas omnes curas et cogitationes impensissime intendat. Faxit dives in misericordia Deus, ut haec ardentissima Nostra desideria expleantur, et quamprimum de pace populis istis restituta exultare possit cor Nostrum in Domino. Denique gratissimum Nobis est, hac etiam uti occasione, ut iterum testemur et confirmemus praecipuam Nostram in Te benevolentiam. Cujus quoque certissimum pignus accipe Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde profectam Tibi ipsi, Venerabilis Frater, et gregi tuae curae commisso peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 18. Octobris Anno 1862. Pontif. Nostri anno decimoseptimo.

PIVS EPISCOPVS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Maiori Senogalliensis civitatis ac Dioecesis prosperitati consulere vel maxime optantes haud omisimus omni cura studioque plura in illa civitate sumptibus Nostris constituere, quae ad spiritualem, civilemque eiusdem civitatis ac Dioecesis utilitatem quotidie magis procurandam conducere possent. Itaque primum Nostris Apostolicis Litteris VIII Idus Martii anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo sub Plumbo datis, et incipientibus « *Inter cetera* » tres novas paroecias Senogalliae fundavimus, primam scilicet a S. Martino appellatam in Templo Fratrum Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, alteram a Maria Sancta a Pace nuncupatam, ac tertiam a Maria Sancta Gratiarum dictam in templo Fratrum Ordinis Sancti Francisci Reformatorum. Tribus hisce Parochiis suos limites praescripsimus, et aere Nostro fundos ac redditus adsignavimus.

Cum autem Nostris esset in votis, ut christiana ac litteraria adolescentium tum Senogalliae, tum illius Dioecesis institutio quotidie magis prospere vigeret, et floresceret, iccirco Gymnasium in eadem civitate erigendum curavimus. Quamobrem, ut am-

plum, aptumque aedificium existeret, in quo huiusmodi Gymnasium statui posset, aedes satis amplas Senogalliae in regione vulgo *Piazza del Duomo* sitas et *Palatii* nomine vocatas, aliasque plures domos ipsis aedibus, seu Palatio vicinas aere Nostro emendas curavimus, easque novis operum molitionibus ampliari et ornari iussimus, atque eodem tempore Templum immaculatae, sanctissimaeque Dei Genitrici Virgini Mariae sacrum, et illis aedibus adiacens sumptibus item Nostris in ampliorem elegantioremque formam redactum ac splendidiori cultu exornatum una cum aedicula eidem Templo adiecta, aedibus ipsis attribuimus, et cum illis coniungendum esse duximus, ne quidquam deesset, quod ad Gymnasii usum et commodum pertineret. Ubi vero idem aedificium fuit absolutum, et ea omnia ad optatum exitum perducta quae ad Gymnasium ipsum constituendum requirebantur, Nostris Apostolicis Litteris Kalendis Septembris anno millesimo octingentesimo quinquagesimo tertio sub Plumbo datis et incipientibus « *Senogalliae urbis* » Gymnasium ipsum in commemorato aedificio ereximus, et statuimus, quae docendi ratio, quaeque studiorum methodus in eodem Gymnasio esset servanda. Omnem vero eiusdem Gymnasii procurationem, regimen et administrationem Dilectis Filiis Clericis Regularibus inclytae Societatis Iesu de re christiana, litteraria, et civili summopere meritis quam libentissime commisimus, ac summam annuam scutatorum bis mille et octingentorum romanae monetae ab omni cuiusque generis vectigali prorsus liberam super fundis privati Nostri peculii perpetuo attribuimus, itemque

concessimus villulam a Nobis emptam, quae extra portam Franciscalium Capulatorum, vulgo *Cappuccini*, sita mille passuum circiter ab urbe Senogalliensi distat, et olim ad Sodales Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii pertinebat. Atque eisdem Litteris statuimus quae disciplinae ab ipsis Societatis Iesu Sodalibus essent in Gymnasio tradendae, et quomodo externi Doctores Iuris civilis et criminalis ex ipsius Gymnasii sumptibus stipendium percipientes essent eligendi.

Ad haec per alias Nostras Apostolicas Litteras duodecimo Kalendas Maias anno millesimo octingentesimo quinquagesimo septimo pariter sub Plumbo expeditas, quarum initium «*Cum ad christianae*» Senogalliensi Episcopali Seminario ex Nostris fundis annuam summam sexcentum scutatorum ab omni quovis onere imposito vel imponendo immunem perpetuo attribuimus, ut in eodem Seminario duodecim Senogalliensis civitatis ac Dioecesis pauperes Clerici sine ulla eorum impensa alerentur, sancteque educarentur, optimisque studiis praesertim sacris sedulo erudirentur. Atque etiam praescripsimus quo modo et ratione, et a quibus hi duodecim Clerici essent nominandi atque eligendi.

Praeterea summopere miserantes tristissimam sane conditionem, in qua versantur tum ii qui assidua conflictantur invaletudine, vulgo *Cronici*, tum puellae, quae parentum orbatae, eorumque incuria, aut paupertate sine ulla educationis cura sunt derelictae, tum miserae mulieres, quae opere carent, consilium suscepimus succurrendi tribus hisce calamitosis Senogalliae eiusque suburbiorum classibus.

Eapropter novum Pium Institutum Senogalliae excitandum censuimus destinatum ad eiusdem civitatis, eiusque suburbiorum pauperes utriusque sexus longo morbo laborantes, vulgo *Cronici*, atque ad derelictas puellas excipiendas, easque ad religionem, morumque honestatem, et ad opera feminei sexus propria instituendas, nec non ad opificia miseris feminis subministranda. Quare tunc viventi Presbytero Andreae Monti Cathedralis Templi Senogalliensis Archidiacono commisimus, ut hortum Senogalliensis Valetudinarii Nostra pecunia acquireret, quo in illa area amplum aedificium, ac Pio Instituto accommodatum a fundamentis extrueretur, ita aptis conclavibus condendum, ut inibi tum viri, tum puellae, tum miserae mulieres separatim morari possent sine ulla prorsus inter se communicatione. Cum vero eiusdem Valetudinarii Syndaci, collatis cum Dilecto Filio Nostro Dominico S. R. E. Presbytero Cardinali Lucciardi hodierno Senogalliensium Episcopo consiliis, praedictum hortum in Nostram potestatem et arbitrium tradidissent, idem Archidiaconus, nulla interposita mora, linearem novi aedificii plantam a Nobis probatam confecit, atque statim manum admovit iis omnibus comparandis, quae ad idem aedificium perficiendum, omnique cultu exornandum possent pertinere. Etsi vero huiusmodi aedificium, in quo Pium Institutum suam sedem habere debebat nondum esset extructum, tamen gravibus de causis ipsius Pii Instituti fundationem minime remorandam existimavimus. Hinc duodecimo Kalendas Maias Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo septimo aliassub Plumbo edidimus Aposto-

licas Litteras incipientes « *Gravissimas inter* » quibus fundavimus, ereximus et constituimus Pium Institutum constabiliendum in commemorato aedificio postquam fuisset absolutum. Atque eisdem Litteris dotem huic Pio Instituto adsignavimus, sortem nempe ex variis bonis in Senogalliae territorio ex maxima parte existentibus, ac Nostra pecunia emptis conflatam, quae summam centum octoginta mille scutatorum romanae monetae attingit. Hanc vero dotem eidem Pio Instituto ea lege, conditione et onere dedimus, et attribuimus, ut ipsum Pium Institutum canonis titulo sequentes numeratae pecuniae summas romanae monetae ab omnibus cuiusque generis oneribus plane ac semper liberas quotannis solvere deberet, scilicet Senogalliensi Valetudinario ob horti compensationem summam scutatorum sexaginta; Gymnasio a Nobis fundato ac Religiosis Sccietatis Iesu commisso summam scutatorum bis mille et octocentum; Paroeciis summam scutatorum quatuorcentum sexaginta sex et obulorum octoginta subsidii et compensationis causa iuxta memoratas Nostras Apostolicas Litteras, et publicas tabulas die decimo Aprilis anno millesimo octingentesimo quinquagesimo sexto a Notario Livio Bruschettini rite confectas; ac denique Dioecesano Clericorum Senogalliensi Seminario summam sexcentum scutatorum. Ut autem hae annuae pecuniariae summae perpetuo a Pio Instituto, veluti iussimus, pensitandae nullum unquam paterentur detrimentum, ac semper in tuto essent, voluimus, ut omnia bona Pio Instituto adsignata generali subiicerentur hypo-

thecae pro singulis habentibus ius percipiendi easdem annuas pecuniarias summas a Nobis praescriptas.

Internam autem Pii Instituti procurationem ac regimen Dilectis in Christo Filiabus Sororibus Caritatis Sancti Vincentii a Paulo commisimus, ac simul statuimus, ut puellae in Pium Institutum admittendae deberent esse septennes, et vicesimo aetatis anno exacto ab ipso Instituto omnino discedere, et cautum voluimus, ut si puella aliqua admissa propter suam indolem huiusmodi beneficio minime digna reperiretur, post tres admonitiones frustra adhibitas a Pio Instituto dimitteretur, nulla ratione habita temporis a Nobis praescripti. Oeconomicae Pii instituti administrationis bono consulere cupientes, eamdem administrationem per praedictas Apostolicas Nostras eiusdem Pii Instituti fundationis Litteras commisimus in primis tunc viventi Archidiacono Monti aliisque duobus idoneis, spectatis integerrimisque Viris Senogalliae domicilium habentibus, quorum alter a Cathedralis Templi Senogalliensis Canonicorum Collegio, alter a Senogalliensi Magistratu esset nominandus. Quibus administratoribus opportunas tribuimus facultates ac statuimus, ut singulis annis accuratam plenamque de administratione ab ipsis peracta rationem reddere tenerentur Consilio, seu Commissioni iisdem Nostris Litteris constitutae, quae rationi reddendae praeposita esse debebat. Quod Consilium seu Commissionem ex quinque viris perpetuo constare voluimus, nempe ex uno eligendo a Senogalliensi pro tempore Episcopo, ex altero destinando a quinque Se-

nogalliae eiusque suburbiorum Parochis animarum curam exercentibus, et ab aliis tum civitatis Senogalliensis, tum eius suburbiorum Parochis animarum curae addictis, quoties illorum numerus futuris temporibus ibi augeretur; ex Primogenito Nobilis Nostrae Familiae Mastai Senogalliae; ex Praefecto Senogalliensis Municipii, vulgo *Gonfaloniere*, atque ex Rectore Gymnasii a Nobis fundati. Ut autem pauperibus adversa valetudine assidue afflictis, et derelictis puellis aditus ad hoc Pium Institutum pateret, per easdem Litteras Episcopo Senogalliensi, ac Nostrae Domus Primogenito et Senogalliensi Magistratui ius tribuimus, ut quisque eorum tertiam utriusque classis admittendorum partem libere ac licite nominare et eligere posset. Atque eisdem Litteris Nobis reservavimus alia in posterum statuere et praescribere, quae pro rerum experientia magis opportuna Nobis viderentur.

Demum Nostro Chirographo Senogalliae septimo Kalendas Iunias anno millesimo octingentesimo quinquagesimo septimo a Nobis subscripto, atque ad Archidiaconum Andream Monti privati Nostri Senogalliae patrimonii procuratorem tunc viventem dato quatuor enunciatas Nostras Apostolicas Litteras, et quaecumque in illis constituta confirmavimus, atque ad omnia dubia amovenda voluntatem Nostram clarius declaravimus et explicavimus. Etenim eodem Chirographo ratam probatamque habuimus cessionem ab ipso Archidiacono ex Nostro iussu, ac publicis tabulis a Notario Bruschettini die decima Aprilis anno millesimo octingentesimo quinquagesimo sexto exaratis factam in favorem novae Parochiae Mariae

Sanctae a Pace terrenorum, quae vulgo *militaria* vocata extra civitatem inter arcis moenia et publicam viam existunt. Atque statuimus, ut eiusdem paroeciae Curio quotannis depositum faceret scutatorum decem pro extraordinariis instaurationibus Templi et parochialis domus, utque annuum solveret canonem scutatorum trium, nec non laudemium unius scutati Comiti Carpegna possessori dominii directi, tum fundi, in quo aedificium illud fuerat extructum, tum horti eidem fundo adiacentis. Confirmavimus item dotem auctam summa annua scutatorum viginti Paroeciae Mariae Sanctae Gratiarum iuxta praedictas publicas tabulas a Bruschettini confectas, ita ut integra eiusdem paroeciae dos annuam scutatorum centum summam attingere deberet.

Ut autem paroecia Sancti Andreae vulgo *del Porto*, ubi nova sacra aedes cum parochiali domo Nostris impendiis fuerat extructa, maiori frueretur subsidio fundos perpetuo adsignavimus, quos Nostro iussu Mensa publica P. M. vulgo *Camera Apostolica* cessit per acta die tricesima Martii anno millesimo octingentesimo quinquagesimo septimo, excepto tamen fundo in publicum censum relato sub numero vicesimo tertio, et inscripto *Mappa Portone* in prima sectione. Ac Piam Societatem Sancti Andreae *del Porto* plane liberam declaravimus ab onere amplius solvendi dimidium stipendium Cappellano Parocho, quod Parocho pro tempore imposuimus, atque Parochum eumdem obligatum esse voluimus, ut titulo perpetuae pensionis Seminario Episcopali Senogalliensi annuam scutatorum decem summam solveret ob duas domunculas deletas, ubi novum Templum fuerat con-

ditum, quas ante demolitionem machinarius Antonietti iuxta *peritiam* die vicesima quinta augusti anno millesimo octingentesimo quinquagesimo quinto aestimavit pretio scutatorum centum nonaginta quinque et obulorum septuaginta quatuor circiter. Mandavimus propterea, ut Seminarium nihil aliud in posterum petere posset, praeter memoratam annuam pensionem, pro qua tuenda fundi eidem paroeciae attributi perpetuae hypothecae obnoxii esse deberent. Per idem Chirographum praeter alia, quae Gymnasio Nostris impendiis extructo, omnique supellectili etiam sacra plene exornato concesseramus, uti in supra enunciatis Nostris Apostolicis Litteris, attribuimus etiam perpetuo terrenum olivis ulmisque consitum, et conterminum villulae, et aestimatum pretio scutatorum biscentum quadraginta trium, et obulorum sexaginta duorum, nec non duas domos Senogalliae sitas in platea vulgo *del Duomo*, quarum una ad familiam Ferretti, altera ad familiam Ferroni olim pertinebat, quaeque a praedicto machinario Antonietti aestimatae fuerant pretio scutatorum quatuor mille sexcentum septuaginta duorum, et obulorum viginti, ac Nostris sumptibus emptae per privatos contractus die septima februarii anno millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto, qui nondum in publicas tabulas redacti fuerunt. Iussimus autem has domos tradendas esse die tricesima prima decembris anno millesimo octingentesimo sexagesimo, ac declaravimus, Gymnasium debere quotannis solvere summam scutatorum triginta septem circiter ob fructus sex censuum, qui Cesarini domui cum eiusdem Gymnasii aedificio conjunctae impositi, et in

eodem Chirographo speciatim enumerati, ac descripti fuerunt.

Cautum voluimus, ut quoties publicae tabulae de earumdem domorum acquisitione iuxta praedictas syngraphas quavis de causa confici minime possent, et contractus dissolveretur, Gymnasium Religiosis Viris Societatis Iesu traditum a die tricesima prima decembris anno millesimo octingentesimo sexagesimo percipere perpetuo deberet quincuncem fructum super enunciata summa scutatorum quatuormille sexcentum septuaginta duorum, et obulorum viginti, et solvere commemoratos census. Voluimus etiam, ut praeter summam annuam scutatorum bis mille octocentum Gymnasio attributam, ac tertio quoque mense cum anticipatione Religiosis Societatis Iesu Sodalibus pendendam, intra unius anni spatium eisdem semel tantum daretur summa scutatorum mille, quae in praedictae villulae domum ampliandam erat eroganda. Eodem Chirographo confirmavimus Senogalliensi Episcopo et Magistratui, ac Primogenito Nostrae Familiae ius eligendi Clericos in Episcopali Seminario Nostris impendiis alendos et instituendos, ac statuimus, ut quisque eorum tertiam eorumdem Clericorum partem nominare posset, ea tamen lege, ut tam Episcopus, quam Magistratus alteram horum Clericorum partem ex civitate, alteram vero ex Senogalliensi Dioecesi aeque eligere deberent. Nam declaravimus, Primigenum Nostrae Familiae tantum iure pollere nominandi plena libertate hos Clericos, sive ipsi essent Senogalliae Civitatis, sive illius Dioecesis, quemadmodum pro suo arbitrio magis opportunum esse existimaret, itemque statuimus,

ut hoc iure eligendi praedictos Clericos ii perfrui deberent, qui consequerentur Primogenituram a Nobis pariter institutam per aliud Nostrum Chirographum die tricesima aprilis anno millesimo octingentesimo quinquagesimo septimo editum. Constituimus etiam, ut quoties ii, qui ad memoratam Primogenituram vocati omnino deficerent, ac deessent, tunc tam Episcopus, quam Magistratus Senogalliensis ius haberent nominandi dimidiam horum Clericorum partem, firma tamen semper lege, ut iidem Episcopus et Magistratus tenerentur eligere mediam eorumdem Clericorum partem ex civitate, alteram vero ex Dioecesi Senogalliensi. In describenda autem dote centum octoginta mille scutatorum Romanae monetae eidem pio Instituto a Nobis tributa, ac recensitis perpetuis oneribus obnoxia, declaravimus qui essent fundi et redditus, quibus dos ipsa constaret. Nempe scutata centum quinquaginta tria millia, et quingenta duo, et asses octoginta tres, pretium derivans ex septuaginta quatuor rusticis fundis notatis in tabula aestimationis *Fronzi*; scutata octomille pretium trium urbanorum fundorum, qui in eadem tabula sunt descripti; scutata undecim mille pretium pecoris in praedictis fundis rusticis existentis; scutata quatuor centum nonaginta septem et asses septemdecim pretium derivans ex doliis aliisque vasis existentibus in urbanis cellis vinariis; scutata demum septem mille a Nobis data Senogalliensi Municipio ea lege, ut idem Municipium memoratam summam retineret, donec pium aperiretur Institutum, atque interim annuum quincuncem fructum in pauperum solamen erogare pergeret.

Denique eodem Chirographo nonnullas eidem Archidiacono Monti tunc viventi tribuimus facultates, ut res a Nobis statutae optatum assequerentur exitum, atque etiam opportuna monita et praecepta Administratoribus nominandis dedimus de accurata praesertim administratione gerenda, ac de ratione admittendi in pium Institutum pauperes puellas, mulieres, et assidua invaletudine laborantes vulgo *cronici*, et Nobis reservavimus ius ac potestatem suscipiendi in posterum alia consilia, aliasque edendi ordinationes, quemadmodum ex ipso Chirographo clarissime apparet.

Iam vero cum aedificium, in quo pium Institutum erat erigendum, nondum fuerit omni ex parte plene absolutum, et iccirco Institutum idem minime apertum, ac Sodales Societatis Iesu, quibus Gymnasium commisimus, ob tristissimas notissimasque rerum vicissitudines fuerint cum summo animi Nostri dolore expulsi, ac propterea Gymnasium ipsum de medio sublatum, et per summam iniustitiam Senogallia, aliaeque civitates et provinciae Nostrae Pontificiae ditionis a Sardiniae Rege fuerint militari manu violenter occupatae et usurpatae, et cum omnes videant quibus sacrilegis, infandisque ausibus eiusdem Regis Gubernium in usurpatis praesertim regionibus pia quaeque Instituta praedetur, et omnia illorum bona, redditusque sibi vindicet, opportunum et necessarium omnino duximus alia a Nobis ineunda esse consilia circa ea omnia, quae in praedictis Nostris Apostolicis Litteris et Chirographo constituimus. Atque id eo magis a Nobis omnino peragendum esse censemus, quod idem Subalpinum

Gubernium ex decreto die sexto octobris anno millesimo octingentesimo sexagesimo edito minime dubitavit redditus ac bona Gymnasio a Nobis concessa, et a privato Nostro patrimonio nunquam distracta, petere, et illa usurpare et invadere minitatum est. Ex quo evenit, ut privati Nostri patrimonii administrator Nostro etiam iussu debitas reclamationes et protestationes iterum iterumque emittere haud omiserit. Quamobrem certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine hisce Litteris supradictas Nostras Apostolicas Litteras et Chirographum, et omnia in illis statuta, nec non omnia, et singula acta etiam translationis dominii exinde secuta quoad Gymnasium, pium Institutum, et Clericos in Episcopali Senogalliensi Seminario instituendos plenissime abrogantes, omnes cuiusque generis fundos, redditus ac bona tum Gymnasio, tum pio Instituto, tum Clericis in Seminario Episcopali Senogalliensi alendis a Nobis adsignata, ac in memoratis Nostris Apostolicis Litteris et Chirographo descripta ad privatum Nostrum patrimonium omni ex parte denuo revocamus, et ad idem patrimonium pertinere volumus, declaramus, constituimus et decernimus, ac plane liberam de iis omnibus statuendi potestatem, ac ius Nobis reservamus. Quod enim attinet ad tres novas paroecias Senogalliae a Nobis erectas, declaramus, firma omnia remanere, quae de illis constituimus, ac volumus, ut paroeciae ipsae perpetuo ac libere fruantur fundis ac redditibus, quos Nos eisdem attribuimus, ea tamen lege, ut iidem fundi ac redditus intacti semper permaneant, ac nullo prorsus modo,

nullaque auctoritate imminuantur, ac detrahantur. Nam si id unquam contingere posset, iam nunc eosdem paroeciarum fundos ac redditus a Nobis datos ad privatum Nostrum patrimonium revocatos esse volumus, et constituimus. Atque item sartam tectamque volumus annuam pecuniae summam scutatorum sexaginta romanae monetae, quae canonis titulo a privato Nostro patrimonio erit solvenda Senogalliensi Valetudinario ob horti compensationem.

Haec volumus, statuimus atque mandamus, decernentes has Nostras Litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes, vel habere praetendentes vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel alio quolibet substantiali defectu notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari, vel in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque iuris vel facti, aut iustitiae remedium impetrari posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, et ab omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane esse ac fore volumus et declaramus.

Non obstantibus praedictis quatuor Apostolicis Nostris Litteris sub Plumbo datis, et Chirographo, de quibus specialis mentio supra facta est, nec non

de iure quaesito non tollendo, aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, aliisque quibusque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis in suo robore alias permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat latissime, plenissime, ac specialiter et expresse derogamus, ceterisque etiam expressa, specifica, et individua mentione, ac derogatione dignis contrariis quibuscumque.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrarum ordinationis, abrogationis, statuti, decreti, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo secundo Kalendis decembris.

Pontificatus Nostri anno decimoseptimo.

M. Card. Mattei Pro-Datarius — B. Card. Barberini

Visa de Curia D. Bruti

Loco ✠ Plumbi

I. Cugnonius

PIUS PP. IX.

VENERABILI FRATRI GREGORIO ARCHIEPISCOPO MONACENSI ET FRISINGENSI.

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Gravissimas inter acerbitates, quibus undique premimur, in hac tanta temporum perturbatione et iniquitate vehementer dolemus, cum noscamus, in variis Germaniae regionibus reperiri nonnullos catholicos etiam viros, qui Sacram Theologiam ac Philosophiam tradentes minime dubitant quamdam inauditam adhuc in Ecclesia docendi scribendique libertatem inducere, novasque, et omnino improbandas opiniones palam publiceque profiteri et in vulgus disseminare. Hinc non levi moerore affecti fuimus, Venerabilis Frater, ubi tristissimus ad Nos venit nuntius, Presbyterum Iacobum Frohschammer in ista Monacensi Academia Philosophiae Doctorem huiusmodi docendi scribendique licentiam prae ceteris adhibere, eumque suis operibus in lucem editis perniciosissimos tueri errores. Nulla igitur interposita mora, Nostrae Congregationi libris notandis praepositae mandavimus, ut praecipua volumina, quae ejusdem Presbyteri Frohschammer nomine circumferuntur cum maxima diligentia sedulo perpenderet, et omnia ad Nos referret. Quae volumina germanice scripta titulum habent « Introductio in philosophiam » De libertate scientiae « Athenaeum »

quorum primum anno 1858, alterum anno 1861, tertium vero vertente hoc anno 1862 istis Monacensibus typis in lucem est editum.

Itaque eadem Congregatio Nostris mandatis diligenter obsequens summo studio accuratissimum examen instituit, omnibusque semel iterumque serio ac mature ex more discussis et perpensis judicavit, Auctorem in pluribus non recte sentire, ejusque doctrinam a veritate catholica aberrare. Atque id ex duplici praesertim parte, et primo quidem propterea quod auctor tales humanae rationi tribuat vires, quae rationi ipsi minime competunt, secundo vero, quod eam omnia opinandi, et quidquid semper audendi libertatem eidem rationi concedat, ut ipsius Ecclesiae jura, officium, et auctoritas de medio omnino tollantur. Namque auctor in primis edocet, philosophiam, si recta ejus habeatur notio, posse non solum percipere et intelligere ea christiana dogmata, quae naturalis ratio cum fide habet communia (tamquam commune scilicet perceptionis objectum), verum etiam ea quae christianam religionem, fidemque maxime et proprie efficiunt, ipsumque scilicet supernaturalem hominis finem, et ea omnia, quae ad ipsum spectant, atque sacratissimum Dominicae Incarnationis mysterium ad humanae rationis et philosophiae provinciam pertinere, rationemque, dato hoc objecto, suis propriis principiis scienter ad ea posse pervenire. Etsi vero aliquam inter haec et illa dogmata distinctionem auctor inducat, et haec ultima minori jure rationi adtribuat, tamen clare aperteque docet, etiam haec contineri inter illa, quae veram propriamque scientiae seu philo-

sophiae materiam constituunt. Quocirca ex eiusdem Auctoris sententia concludi omnino possit ac debeat, rationem in abditissimis etiam Divinae Sapientiae ac Bonitatis, immo etiam et liberae ejus voluntatis mysteriis, licet posito revelationis objecto, posse ex seipsa, non jam ex divinae auctoritatis principio, sed ex naturalibus suis principiis et viribus ad scientiam seu certitudinem pervenire.

Quae Auctoris doctrina quam falsa sit, et erronea nemo est, qui christianae doctrinae rudimentis vel leviter imbutus, non illico videat planeque sentiat. Namque si isti philosophiae cultores vera ac sola rationis et philosophicae disciplinae tuerentur principia et jura, debitis certe laudibus essent prosequendi. Siquidem vera ac sana philosophia nobilissimum suum locum habet, cum ejusdem philosophiae sit, veritatem diligenter inquirere, humanamque rationem licet primi hominis culpa obtenebratam, nullo tamen modo extinctam recte ac sedulo excolere, illustrare, ejusque cognitionis objectum, ac permultas veritates percipere, bene intelligere, promovere, earumque plurimas, uti Dei existentiam, naturam, attributa, quae etiam fides credenda proponit, per argumenta ex suis principiis petita demonstrare, vindicare, defendere, atque hoc modo viam munire ad haec dogmata fide rectius tenenda, et ad illa etiam reconditiora dogmata, quae sola fide percipi primum possunt, ut illa aliquo modo a ratione intelligantur. Haec quidem agere, atque in his versari debet severa et pulcherrima verae philosophiae scientia. Ad quae praestanda si viri docti in Germaniae Academiis enitantur pro singulari inclytae il-

lius Nationis ad severiores gravioresque disciplinas excolendas propensione, eorum studium a Nobis comprobatur et commendatur, cum in sacrarum rerum utilitatem profectumque convertant, quae illi ad suos usus invenerint.

At vero in hoc gravissimo sane negotio tolerare nunquam possumus, ut omnia temere permisceantur, atque ratio illas etiam res, quae ad fidem pertinent,occupet atque perturbet, cum certissimi, omnibusque notissimi sint fines, ultra quos ratio nunquam suo jure est progressa, vel progredi potest. Atque ad hujusmodi dogmata ea omnia maxime et apertissime spectant, quae supernaturalem hominis elevationem, ac supernaturale ejus cum Deo commercium respiciunt, atque ad hunc finem revelata noscuntur. Et sane cum haec dogmata sint supra naturam, iccirco naturali ratione, ac naturalibus principiis attingi non possunt. Nunquam siquidem ratio suis naturalibus principiis ad hujusmodi dogmata scienter tractanda effici potest idonea.

Quod si haec isti temere asseverare audeant, sciant, se certe non a quorumlibet Doctorum opinione, sed a communi et nunquam immutata Ecclesiae doctrina recedere. Ex divinis enim Litteris, et Sanctorum Patrum traditione constat, Dei quidem existentiam, multasqne alias veritates, ab iis etiam, qui fidem nondum susceperunt, naturali rationis lumine cognosci, sed illa reconditiora dogmata Deum solum manifestasse, dum notum facere voluit *mysterium, quod absconditum fuit a saeculis et generationibus* (1), *et ita quidem, ut postquam multi-*

(1) Col. 1. 26.

fariam multisque modis olim locutus esset patribus in prophetis, novissime Nobis locutus est in Filio, per quem fecit et saecula (1).......... *Deum enim nemo vidit unquam. Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris ipse enarravit* (2). Quapropter Apostolus, qui gentes Deum per ea, quae facta sunt, cognovisse testatur, disserens *de gratia et veritate* (3) *quae per Iesum Christum facta est, loquimur,* inquit, *Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est........ quam nemo principum hujus saeculi cognovit........ Nobis autem revelavit Deus per Spiritum Suum...... Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei* (4).

Hisce aliisque fere innumeris divinis eloquiis inhaerentes SS. Patres in Ecclesiae doctrina tradenda continenter distinguere curarunt rerum divinarum notionem, quae naturalis intelligentiae vi omnibus est communis ab illarum rerum notitia, quae per Spiritum Sanctum fide suscipitur, et constanter docuerunt, per hanc ea Nobis in Christo revelari mysteria, quae non solum humanam philosophiam, verum etiam Angelicam naturalem intelligentiam trascendunt, quaeque etiamsi divina revelatione innotuerint, et ipsa fide fuerint suscepta, tamen sacro adhuc ipsius fidei velo tecta et obscura caligine ob-

(1) Heb. v. 12.
(2) Ioan. 1. v. 18.
(3) Ioan. 1. v. 17.
(4) 1. Cor. II. v. 7. 8. 10. 11.

voluta permanent, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino (1).

Ex his omnibus patet, alienam omnino esse a catholicae Ecclesiae doctrina sententiam, qua idem Frohschammer asserere non dubitat, omnia indiscriminatim christianae religionis dogmata esse objectum naturalis scientiae, seu philosophiae, et humanam rationem historice tantum excultam, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam objectum proposita fuerint, posse ex suis naturalibus viribus et principio ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire.

Nunc vero in memoratis ejusdem Auctoris scriptis alia dominatur sententia, quae catholicae Ecclesiae doctrinae, ac sensui plane adversatur. Etenim eam philosophiae tribuit libertatem, quae non scientiae libertas, sed omnino reprobanda et intoleranda philosophiae licentia sit appellanda. Quadam enim distinctione inter philosophum et philosophiam facta tribuit philosopho jus et officium se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit, sed utrumque philosophiae ita denegat, ut nulla doctrinae revelatae ratione habita, asserat, ipsam numquam debere, ac posse auctoritati se submittere. Quod esset tolerandum et forte admittendum, si haec dicerentur de jure tantum, quod habet philosophia suis principiis,

(1) S. Io. Chrys. Homil. 7. (9) in 1. Cor.
S. Ambr. de Fide ad Grat. 1. 10.
S. Leo de Nativ. Domini Ser. 9.
S. Cyril. Alex. contra Nest. lib. 3. initio in Ioan. 1. 9.
S. Ioan. Dam. de Fide orat. II. 1. 2. in 1. Cor. c. 2.
S. Hieron. in Gal. III. 2.

seu methodo, ac suis conclusionibus uti, sicut et aliae scientiae, ac si ejus libertas consisteret in hoc suo jure utendo, ita ut nihil in se admitteret, quod non fuerit ab ipsa suis conditionibus acquisitum aut fuerit ipsi alienum. Sed haec justa philosophiae libertas suos limites noscere et experiri debet. Nunquam enim non solum philosopho, verum etiam philosophiae licebit, aut aliquid contrarium dicere iis quae divina revelatio, et Ecclesia docet, aut aliquid ex eisdem in dubium vocare, propterea quod non intelligit, aut judicium non suscipere, quod Ecclesiae auctoritas de aliqua philosophiae conclusione, quae hucusque libera erat, proferre constituit. Accedit etiam, ut idem Auctor philosophiae libertatem, seu potius effrenatam licentiam tam acriter, tam temere propugnet, ut minime vereatur asserere, Ecclesiam non solum non debere in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debere ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat, ex quo evenit, ut philosophi hanc philosophiae libertatem necessario participent, atque ita etiam ipsi ab omni lege solvantur. Ecquis non videt quam vehementer sit rejicienda, reprobanda, et omnino damnanda hujusmodi Frohschammer sententia atque doctrina? Etenim Ecclesia ex divina sua institutione et divinae fidei depositum integrum inviolatumque diligentissime custodire, et animarum saluti summo studio debet continenter advigilare, ac summa cura ea omnia amovere et eliminare, quae vel fidei adversari, vel animarum salutem quovis modo in discrimen adducere possunt. Quocirca Ecclesia ex potestate sibi a divino suo Auctore commissa non

solum jus, sed officium praesertim habet non tolerandi, sed proscribendi ac damnandi omnes errores, si ita fidei integritas, et animarum salus postulaverint, et omni philosopho, qui Ecclesiae filius esse velit, ac etiam philosophiae officium incumbit nihil unquam dicere contra ea, quae Ecclesia docet, et ea rectractare, de quibus eos Ecclesia monuerit. Sententiam autem, quae contrarium edocet omnino erroneam, et ipsi fidei Ecclesiae, eiusque auctoritati vel maxime injuriosam esse edicimus, et declaramus.

Quibus omnibus accurate perpensis, de eorumdem VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregationis libris notandis praepositae consilio, ac motu proprio, et certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine praedictos libros Presbyteri Frohschammer tamquam continentes propositiones, et doctrinas respective falsas, erroneas, Ecclesiae, eiusque auctoritati, ac juribus injuriosas reprobamus, damnamus, ac pro reprobatis et damnatis ab omnibus haberi volumus, atque eidem Congregationi mandamus, ut eosdem libros in indicem prohibitorum librorum referat.

Dum vero haec Tibi significamus, Venerabilis Frater, non possumus non exprimere magnum animi Nostri dolorem, cum videamus hunc filium, eorumdem librorum auctorem, qui ceteroquin de Ecclesia benemereri potuisset, infelici quodam cordis impetu misere abreptum in vias abire, quae ad salutem non ducunt, ac magis magisque a recto tramite aberrare. Cum enim alius ejus liber de anima-

marum origine prius fuisset damnatus, non solum se minime submisit, verum etiam non extimuit, eumdem errorem in his etiam libris denuo docere, et Nostram Indicis Congregationem contumeliis cumulare, ac multa alia contra Ecclesiae agendi rationem temere, mendaciterque pronuntiare. Quae omnia talia sunt, ut iis merito, atque optimo jure indignari potuissemus. Sed nolumus adhuc paternae Nostrae caritatis viscera erga illum deponere, et iccirco Te, Venerabilis Frater, excitamus, ut velis eidem manifestare cor Nostrum paternum, et acerbissimum dolorem, cujus ipse est causa, ac simul ipsum saluberrimis monitis hortari et monere, ut Nostram, quae communis est omnium Patris, vocem audiat, ac resipiscat, quemadmodum catholicae Ecclesiae filium decet, et ita nos omnes laetitia afficiat, ac tamdem ipse feliciter experiatur quam jucundum sit, non vana quadam et perniciosa libertate gaudere, sed Domino adherere; cujus jugum suave est, et onus leve, cuius eloquia casta igne examinata, cujus iudicia vera, justificata in semetipsa, et cujus universae viae misericordia et veritas. Denique hac etiam occasione libentissime utimur, ut iterum testemur et confirmemus praecipuam Nostram in Te benevolentiam. Cuius quoque pignus esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam intimo cordis affectu Tibi ipsi, Venerabilis Frater, et gregi tuae curae commisso peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 11 Decembris Anno 1862.

Pontificatus Nostri anno decimoseptimo.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XVI MARTII MDCCCLXIII.

VENERABILES FRATRES

Omnibus notum planeque exploratum est, Venerabiles Fratres, quomodo miserrimis hisce temporibus lamentabilis rebellionis impetu infelix praesertim Italia, et universus prope terrarum orbis cum maximis et nunquam satis lugendis catholicae Ecclesiae, civilisque societatis damnis, et incredibili Nostro, Vestroque, et omnium bonorum dolore exagitatur ac divexatur. Quae tristissima sane rerum perturbatio ita Mexicanam etiam Rempublicam perculit, ut inibi sanctissima nostra religio miserandum in modum fuerit afflicta ac prostrata. Nos igitur de universi Dominici gregis salute Nobis ab ipso Christo Domino divinitus commissa vehementer anxii ac solliciti curas omnes cogitationesque ad spirituales illorum fidelium reparandas ruinas, eorumque bonum magis magisque procurandum convertimus. Et quoniam Venerabiles Fratres eiusdem Mexicanae Reipublicae Sacrorum Antistites a proprio grege avulsi, et in exilium eiecti fere omnes in hanc Nostram almam urbem convenerunt, Nobisque exponendum curarunt necessariam omnino esse novam vastissimarum illarum Dioecesium circumscriptionem, iccirco iustis eorumdem Venerabilium Fratrum votis

ac postulationibus quam libentissime obsecundare existimavimus. Quare Vobis significamus, episcopales Mechoacanam et Guadalaxarensem Ecclesias ad Archiepiscopalem dignitatem a Nobis evectas fuisse, et alias septem novas Dioeceses in Mexico erectas. Atque harum duae, scilicet Tulancingensis, et Queretarensis institutae fuerunt in territorio ab Archiepiscopali Mexicana Ecclesia seiuncto, aliae vero duae Dioeceses, nempe Verae Crucis, et Chilapensis in territorio a Dioecesi Angelopolitana disiuncto, atque duae, nempe Zamorensis, et Legionensis in territorio a Mechoacana Dioecesi adiuncto, et una, nempe Zacatecensis Dioecesis in territorio a Guadalaxarensi Ecclesia separato. Hinc Mexicanae Archiepiscopali Ecclesiae, veluti suffraganeae subiectae erunt Dioeceses Angelopolitana, Chiapensis, Oaxacensis, Iucatanensis, Verae Crucis, Chilapensis, et Tulancingensis; Archiepiscopali vero Mechoacanae Ecclesiae, Dioeceses Sancti Aloisii Putosiensis, et Queretarensis, Legionensis, ac Zamorensis; Archiepiscopali autem Ecclesiae Guadalaxarensi, Dioeceses Durangensis, Linarensis, Senorensis, et Zacatecensis. Apostolicas autem de hac re Litteras emitti iussimus, quibus novi praescribuntur fines, quos Mexici Dioeceses posthac erunt habiturae, quarum numerus, nt videtis, non parum est auctus. Hoc sane modo dum rebellionis homines sacra omnia in illis regionibus funditus destruere conantur, Nos in novis constituendis Dioecesibus opportuna tot tantisque illorum populorum malis remedia adhibere, et ecclesiasticis illius Reipublicae negotiis omni studio consulere contendimus. Atque ea profecto spe niti-

mur fore, ut dives in misericordia Deus Nostris hisce curis benedicere, et laetissimum gratissimumque successum tribuere velit. Cum autem Nobis apprime nota sit religio, et episcopalis zelus, quo praestant ii omnes, quos earumdem Dioecesium regimini, et procurationi praefecimus, tum non dubitamus, quin ipsi Nostris respondentes votis omnes gravissimi episcopalis muneris partes sedulo explere, spiritualem illorum fidelium utilitatem modis omnibus curare, omnemque Nobis in componendis ecclesiasticis illius Reipublicae negotiis operam navare studeant.

Praesens, ac deploranda Poloniae conditio ita quoque Pontificiam Nostram, qua catholicum illud Regnum semper prosequuti sumus, sollicitudinem magis magisque excitavit, ut inter alia nonnullarum eiusdem Regni Dioecesium viduitati prospiciendum esse duxerimus, quarum aliquae non medioeri animi Nostri molestia iamdiu suo fuerant orbatae pastore. Quamobrem, veluti iam audivistis, Episcopos Plocensem, Augustoviensem, Chelmensem, quorum ultimus Rutheni ritus, ac tum Varsaviensis, tum Chelmensis Ecclesiarum Suffraganeos Episcopos renuntiavimus et constituimus, ut ipsi una cum aliis Venerabilibus Fratribus illius Regni Sacrorum Antistitibus sacerdotali zelo incensi, et sedulo quaerentes quae Iesu Christi sunt, omnem curam, diligentiam, laborem, consilium ac studium adhibeant, ut divina et salutifera Christi fides, religio, doctrina eodem in Regno stabilis et immota permanens quotidie ma-

gis vigeat, et efflorescat, utque ea omnia amoveantur mala, ac damna, quibus diu in illis regionibus catholica affligitur Ecclesia. Clementissimus vero misericordiarum Pater, et Deus totius consolationis propitius annuere dignetur humillimis, ac ferventissimis Nostris precibus, quas pro Ecclesiae suae sanctae ubique terrarum triumpho et pace, et pro vera omnium populorum prosperitate ac tranquillitate ad Ipsum dies, noctesque fundere non intermittimus.

Atque hac occasione non levi animi Nostri laetitia Vobis nunciamus, Venerabiles Fratres, a Nobis cum Republica Sancti Salvatoris, itemque cum Republica Nicaraguensi Conventiones initas fuisse ad normam earum Conventionum, quae ab hac Apostolica Sede cum aliis Americae Centralis Guberniis factae fuere. Hisce Conventionibus inter cetera cautum in primis voluimus, ac statuimus, ut tum in Republica Sancti Salvatoris, tum in Republica Nicaraguae sanctissima nostra religio dominari, ac veluti propria utriusque Reipublicae religio omnino esse debeat. Sancitum etiam est, ut veneranda catholicae Ecclesiae iura integra et inviolata serventur, ut Episcopi in sacri ministerii munere obeundo liberi omnino sint, ut accuratae iunioris praesertim Cleri educationi diligentissime consulatur, et Seminaria instituantur, et congrua Sacris Ministris dos attribuatur, ut aliae Religiosae Familiae ibi esse possint, praeter illas, quae in praesentia existunt, utque utriusque Reipublicae Episcopi, omnesque fideles cum hac Apostolica Sede libere communicare queant. Mandavimus, ut hae Conventiones iam a Nobis, et ab utriusque commemoratae

Reipublicae Praesidibus ratae habitae Vobis exhibeantur una cum Apostolicis Litteris illas confirmantibus, quo easdem plenius, et accuratius cognoscere possitis.

Iam vero novo Cardinalium numero amplissimum Vestrum Ordinem hodie augendum decrevimus, in ipsum cooptando clarissimos Viros, qui singulari erga Nos, et hanc Apostolicam Sedem fide spectati, et ingenio, probitate, pietate, doctrina praestantes commissis sibi muneribus egregie perfuncti sunt, et quorum ope, sicuti Vestra, Nos in Ecclesiae procuratione asperrimis hisce temporibus adiutum iri confidimus. Novi porro Cardinales sunt.

Iosephus Aloisius Trevisanato Patriarcha Venetiarum,

Antonius De Luca, Archiepiscopus Tarsensis Noster, et Apostolicae huius Sedis apud Caesaream et Apostolicam Maiestatem Nuntius,

Iosephus Andreas Bizzarri, Archiepiscopus Philippensis Congregationis Episcoporum et Regularium Secretarius,

Ludovicus de la Lastra y Cuesta, Hispalensis Archiepiscopus nunc a Nobis renuntiatus,

Franciscus Pentini, Camerae Apostolicae Decanus,

Ioannes Baptista Pitra, Monachorum Ordinis Sancti Benedicti,

Philippus Guidi, Fratrum Ordinis Praedicatorum.

Quid vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra creamus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales.

Presbyteros scilicet

Iosephum Aloisium Trevisanato,
Antonium De Luca,
Iosephum Andream Bizzarri,
Ludovicum De la Lastra y Cuesta,
Ioannem Baptistam Pitra,
Philippum Guidi.

Diaconum vero

Franciscum Pentini.

Cum Dispensationibus, Derogationibus, et Clausulis necessariis et opportunis.

In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

A SUA MAESTÀ L' IMPERATORE DI RUSSIA.

MAESTA'

Non deve meravigliare Vostra Maestà se in mezzo ai gravissimi disastri, cui presentemente è in preda il Regno di Polonia, non che alle manifestazioni di vivo interesse che popoli e governi prendono per l'avvenire di quella nazione, Noi commossi per tante e si ripetute sventure ci rivolgiamo alla stessa Maestà Vostra, allo scopo di richiamare la Sua benevola attenzione sopra le principali cause degli attuali sconvolgimenti, e sui rimedi che Noi crediamo li più efficaci e li più pronti a ridonare la calma e la tranquillità agli animi profondamente agitati da una lotta fiera ed ostinata. Ciò impone a Noi l'officio dell' Apostolico ministero; ciò esige il Nostro amore per l'inclita e generosa Nazione Polacca, ciò vuole lo stesso interesse che Noi prendiamo per la Maestà Vostra e per la prosperità e riposo del Suo Impero. Permetta adunque Vostra Maestà che con la voce della verità e della giustizia, voce scevra da spirito menzognero, e da ogni umano e politico interesse, Noi Le facciamo conoscere su quali fatti si fondino le continue lagnanze di quella infelice Nazione, e Le rinnoviamo anche una volta le Nostre preghiere ed eccitamenti: troppo angustiandoci il

pensiero di comparire rei all' inesorabile tribunale di Dio per averli trascurati.

Maestà, Ci duole il ricordarlo; era appena sottoscritto l' accordo della divisione del Regno di Polonia, che una forte opposizione si suscitò nelle Provincie annesse a danno della cattolica Religione, e proseguì, con piccoli intervalli di apparenti tregue, negli anni susseguenti. Senza entrare in una lamentevole descrizione degli aggravii sofferti dal Clero e dai fedeli di ambedue i Riti, basterà che Vostra Maestà riporti la Sua attenzione sui numerosi autentici documenti pubblicati di quando in quando sotto la dominazione dei Suoi Antecessori, e che ricordano ad ogni momento lo spoglio presso che totale dei beni del Clero, la soppressione di moltissimi Conventi e Monasteri dell' uno e dell' altro sesso, la promulgazione di leggi opposte all' autorità dei Vescovi ed alla disciplina della Chiesa, la comminazione di pene gravissime contro i propagatori della Cattolica Religione, i maneggi e gli sforzi per obbligare, anche con la violenza, millioni di Ruteni ad abbandonare la fede dei loro padri, la sottrazione d' innumerevoli Chiese ai Cattolici per darle in uso e proprietà ai dissidenti, l' obbligazione di educare nella Religione dominante tutta la prole nata dai matrimonii misti, la proibizione di comunicare direttamente con la Sede Apostolica, la serie infine di tante altre disposizioni dettate a pregiudizio dell' unità della Chiesa Cattolica, ed a perturbamento delle coscienze dei fedeli.

Tutte queste misure prese a scapito della Cattolica Religione, tanto più gravose ed intollerabili

dovettero comparire agli occhi dell' Europa che ne deplorava lo sviluppo, e della Polonia che ne risentiva il peso, quanto più recenti ed esplicite erano le Convenzioni e Trattati solennemente conchiusi da' suoi antecessori all' epoca delle successive divisioni e partizioni del Regno, e particolarmente quello di Varsavia conchiuso li 18 settembre del 1773, e l' altro di Grodno stipolato li 13 Luglio dell' anno 1793. In ambedue questi Trattati i Sovrani di Russia dichiararono solennemente nell' assumere il governo delle cedute provincie Polacche, che *i Cattolici Romani di ambedue i Riti sarebbero conservati intieramente nello stato in cui allora trovavansi*, *cioè nello stesso libero esercizio del culto e della disciplina loro con tutte e singole le Chiese e beni ecclesiastici che possedevano al momento del loro passaggio sotto la dominazione Russa; facendo il nuovo Sovrano promessa irrevocabile per Se, e pei Suoi Successori di conservare perpetuamente ai detti Cattolici Romani di ambedue i Riti il tranquillo possesso dei privilegi e beni delle Chiese, il libero esercizio di loro Religione e disciplina in un con tutti i diritti che le sono annessi, protestando infine che nè il Sovrano nè i Suoi Successori eserciterebbero mai diritti di Sovranità a pregiudizio della Religione Cattolica Romana di ambo i Riti nei paesi venuti sotto la Russa Signoria*. Se questi ed altri simili patti fossero stati lealmente osservati, Vostra Maestà ben vede che sarebbonsi impediti tanti mali, e forse la Religione Cattolica nella Polonia Russa si troverebbe ora in condizioni niente infe–

riori a quelle in cui trovansi le provincie Polacche soggette ad altra dominazione.

Non è quindi a maravigliare se i Nostri Antecessori giustamente trafitti per la condizione di una Chiesa oppressa e travagliata ad onta della fede dei pubblici Trattati, ne facessero spesso argomento di loro doglianze e reclami ai Potentati di Europa. Nè deve essere ignoto a Vostra Maestà come questa Sede Apostolica compiangendo i mali della Sposa di Cristo fosse sempre sollecita di accorrere in suo aiuto e difesa, sia col disapprovare pubblicamente gli atti di violenza usati a danno di essa; sia col denunziare al mondo cattolico i gemiti di un popolo trascinato ad abbandonare la sua Religione, e che supplicava di essere lasciato libero nella professione della fede Cattolica; sia col pubblicare una serie di documenti che stesse a perpetua conferma della giustizia e solidità dei reclami e proteste Pontificie. Ma è pur giusto il ricordare come nel perorare la causa della Chiesa, la S. Sede mossa sempre da sentimenti di dolcezza e di cristiana carità, non venne mai meno ai più delicati riguardi verso il Governo di Vostra Maestà e dei Suoi augusti Predecessori; che anzi, convien pur dirlo, la condiscendenza e la longanimità giunse alle volte a tal punto da produrre forse una qualche ammirazione in chi ignorava i motivi di una condotta riservata e prudente, e da compromettere ad un tempo l' antica affezione ed ossequio dei Polacchi verso la persona del Romano Pontefice.

Nè fu già solo paga questa Apostolica Sede di far sentire di quando in quando la sua voce a difesa

dell' oppressa Religione, ma si avvisò anche ai mezzi di mettere un argine alla piena dei mali e di riparare alle perdite fatte per abuso della civile autorità. Fin dai primi momenti della divisione della Polonia i Nostri Antecessori, che invano avean tentato d'impedirne i disastrosi effetti, spedirono alla Corte dei potenti Monarchi di tutte le Russie i Loro Legati per invocarne la magnanimità e la giustizia a prò dell' oppresso Cattolicismo: altri ne furono spediti in appresso; e niuna opportunità venne mai trasandata, o di elevazione al Trono di nuovi Sovrani, o di altri simili avvenimenti senza che straordinari Inviati di questa S. Sede venissero spediti alla Corte Imperiale, con istruzione di profittare di quei momenti di comune gioia ed esultanza per eccitare la Sovrana clemenza dei novelli Potentati a favore degli afflitti cattolici. E Noi stessi nell' inviare un nostro Ambasciatore Straordinario all' Imperiale Aula di Vostra Maestà in occasione della Sua solenne Coronazione, La impegnammo, col mezzo di esso, a proteggere col Suo valido patrocinio la Cattolica Religione, e non mancammo di rinnovarle le premure per l' ammissione di un Nostro Rappresentante stabile presso la Sua Augusta persona. Peraltro il Nostro Ambasciatore non potè recarci la felice novella dell' annuenza di Vostra Maestà; e solo più tardi il Nostro cuore sperimentò una vera gioia all' annunzio datoci dal Rappresentante di Vostra Maestà in Roma, che cioè ogni ostacolo era ormai rimosso per l' invio di un Nostro Nunzio con residenza presso l' Imperiale Sua Corte. Grati a questo solenne atto di giustizia, mentre Ci rallegravamo al-

l'idea dei vantaggi che da questo avvenimento, tanto sospirato da Noi e dai Nostri Antecessori, ne sarebbero derivati alla causa della Cattolica Religione in codesti dominii, e ci apparecchiavamo a dare le Nostre lettere credenziali alla persona da Noi designata per sì alta ed importante missione; con sorpresa pari a disgusto apprendemmo, che il Governo di Vostra Maestà in seguito di comunicazioni fattegli da questa Santa Sede, dichiarava con officio diretto a questo Regio Rappresentante, che dovevano intendersi come tuttora esistenti nel pieno loro vigore ed osservanza negli Imperiali dominii tutte le leggi e disposizioni che sotto pene gravissime proibiscono la comunicazione dei Vescovi e dei fedeli coi Rappresentanti della S. Sede. La mancanza principalmente dello scopo da Noi inteso con quella missione ed il decoro e la dignità di questa Apostolica Sede, Ci consigliarono a sospendere ogni passo; finchè nuove assicurazioni non Ci fossero date per l'esercizio libero dell' autorità Nostra e dell'officio del Nostro Rappresentante. Ma lungi dal rimoversi un siffatto ostacolo, Noi vedemmo con dolore riprodotte e sviluppate le anzidette leggi relative alle comunicazioni dei fedeli con la S. Sede in un nuovo Ukas emanato in Pietroburgo sotto la data degli 8 Gennaio 1862, il quale contenendo articoli contrari alla costituzione della Chiesa Cattolica, ed alle Convenzioni stipolate con la S. Sede, ha formato oggetto di alcune considerazioni e rilievi, che nel Nostro Pontificio nome verranno comunicate dal Nostro Cardinale Segretario di Stato al Suo Imperiale Governo.

Vostra Maestà conosce inoltre le premure da Noi prese fin dai primordii del Nostro Pontificato a riguardo del Concordato conchiuso nell' anno 1847 fra i Nostri Plenipotenziarii e quelli del Suo Augusto Genitore. Ricorderà pure la lettera tutta particolare che Le scrivemmo con piena fiducia nella Sua equità e giustizia li 31 Gennaio dell' anno 1859 per domandare che venissero proseguite le trattative sui punti non convenuti in quella concordia, e promossa la leale esecuzione degli accordi già stipolati. Ma, oltrecchè invano attendemmo fin qui la risposta, che Vostra Maestà Ci assicurò verrebbe data sul primo punto al Nostro Cardinale Segretario di Stato col mezzo del Suo Ministro in Roma, avemmo poi il gravissimo dispiacere di leggere nei pubblici giornali il rapporto presentato a Vostra Maestà dal Comitato istituito per l' esame de' varii punti relativi alla Convenzione, non che del protocollo degli articoli non convenuti; rapporto che Ci diede facilmente a conoscere da quali sentimenti fossero animati i componenti del Comitato verso la Chiesa Cattolica, e quali speranze Ci fosse dato di nutrire per l' effetto delle domande da Noi presentate.

Ma tutte queste Nostre premure, al pari di quelle dei Nostri Antecessori, essendo andate nella massima parte a vuoto, è pur forza il deplorare oggi le conseguenze che da un sistema sì pernicioso e sì contrario allo spirito della Chiesa Cattolica, sono derivate a danno della ecclesiastica disciplina in una parte del Clero sia secolare sia regolare. Togliendo alla Chiesa or l'uno or l' altro dei suoi diritti, spogliando pian piano il Clero dei suoi beni e franchi-

gie, regolando la istruzione con Collegi, ed Università di nocivo insegnamento: riassumendo in Collegi ecclesiastici o in commissioni governative l' autorità e giurisdizione spettante per diritto divino al Romano Pontefice, ed ai respettivi Vescovi; impedendo ai Regolari di essere in corrispondenza coi loro Superiori Generali e di riceverne le Visite, e soprattutto mettendo un muro di divisione fra la Gregge ed il Pastore universale, non è a stupirsi se la santità della Religione sia andata scemando; se i principii di obbedienza e soggezione da essa insegnati non abbiano gittate profonde radici; se i Ministri del Santuario abbiano cominciato in qualche parte a snervarsi; se infine alcuni anche del Clero sia secolare sia regolare, abbiano declinato dai loro doveri, e partecipato ad azioni che non erano proprie nè della loro vocazione, nè del loro augusto carattere. Maestà! Noi siamo ben lungi dall' approvare che il Clero prenda parte alle convulsioni politiche e che impugni le armi per abbattere l' autorità del Governo. Noi al contrario deploriamo e condanniamo questo fatto; ma vogliamo ad un tempo constatare a Vostra Maestà l' origine e la causa donde esso deriva. Che la Nostra Apostolica autorità riprenda sui Cattolici suoi sudditi la sua salutare influenza; che i Vescovi ritornino all' esercizio libero della loro potestà a norma dei sacri Canoni; che il Clero ricuperi la sua influenza nell' insegnamento e direzione del popolo; che i Regolari dipendano onninamente dai loro Generali Superiori; che i fedeli siano liberi di professare la Religione Cattolica ed allora si con-

vincerà Vostra Maestà che la principale causa delle continue politiche agitazioni della Polonia fu l' oppressione religiosa, il perturbamento delle coscienze, la decadenza del Clero, l' avvilimento dei sacri Pastori, la propagazione di massime e dottrine antireligiose. Preghiamo Vostra Maestà a volersi persuadere che quanto farà e sosterrà per la tranquillità della Chiesa, e per riverenza della Nostra Santa Religione lo farà a prò e vantaggio dell' Impero, e che sostenendo con aperto patrocinio la Chiesa potrà contare sul rispetto e fedeltà di tutta la Nazione Polacca, la quale non fu mai tanto florida e prospera, che quando fu libera di professare la Religione dei suoi padri. Deh Maestà! che i lamenti di questa Nazione che hanno eccheggiato in tutta l' Europa, e che han commosso perfino i cuori indifferenti in fatto di religione, arrivino al Suo Trono, e scendano fino al magnanimo Suo cuore. Una Sua parola può ridonare ad un popolo generoso la perduta calma e tranquillità, e far cessare la causa permanente di tante perturbazioni e discordie. Voglia anche Vostra Maestà togliere a Noi il doloroso spettacolo dei mali, da cui è continuamente afflitta la Cattolica Religione nei vastissimi Suoi dominii, e ridonare anche al Nostro animo, già troppo straziato per la malvagità dei tempi, quella pace e quella tranquillità, che solo potremo ricuperare al vedere ivi la Religione rifiorire da per tutto con vantaggio e profitto sì spirituale che temporale dei suoi sudditi. L' esame che Vostra Maestà vorrà fare delle cause che hanno in gran parte provocato il presente sanguinoso conflitto, e soprattutto la rettitudine e ma-

gnanimità di cuore di Vostra Maestà. Ci sono di fausto presagio per l'avvenire di quel Regno. Noi frattanto persuasi di aver compito un sacro dovere dell' Apostolico Nostro Ministero affretteremo con la preghiera il pronto e felice risultato di queste Nostre rimostranze, le quali in ogni caso Ci solleveranno dalla grave responsabilità che innanzi a Dio ed agli uomini Ci corre in un momento così grave per gli interessi della Cattolica Religione. Nè cesseremo di supplicare umilmente il Signore perchè voglia ricolmare la Maestà Vostra d'ogni vera e perfetta felicità.

Dato dal Nostro Palazzo Apostolico nel Vaticano a dì 22 Aprile 1863.

Pius Papa IX.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum ad hanc Principis Apostolorum cathedram nullis certe Nostris meritis, sed inscrutabili Divinae Providentiae consilio evecti pro supremi Nostri Apostolici ministerii officio curam omnem et operam ad spirituale omnium populorum bonum procurandum assidue conferre debeamus, tum summa alacritate studioque ea omnia agere contendimus, quae ad maiorem Sanctae Dei Ecclesiae, eiusque fidelium utilitatem conducere noscimus. Itaque prae oculis habentes Nicaraguensis Reipublicae conditionem, ac summopere optantes spirituali illorum populorum prosperitati prospicere, libentissimo quidem animo Dilecti Filii Illustris et Honorabilis Viri eiusdem Reipublicae Praesidis excepimus vota, quibus enixe a Nobis postulavit, ut Conventionem inire vellemus, qua ecclesiastica ipsius Reipublicae negotia componi possent. Hinc Dilectum Filium Nostrum Iacobum S. Agathae ad Suburram S. R. E. Diaconum Cardinalem Antonelli a publicis Nostris negotiis elegimus cum opportunis ac necessariis facultatibus et instructionibus, ut una cum Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando Lorenzana Marchione de Belmonte, ac eiusdem Praesidis Reipublicae de Ni-

caragua Administro cum liberis mandatis huiusmodi gravissimum sane negotium omni diligentia tractandum et conficiendum curaret. Ac post accuratam consultationem, quemadmodum rei gravitas omnino postulabat, Conventio ipsa pluribus articulis distincta, et a VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationis negotiis ecclesiasticis extraordinariis praepositae examinata, cum eodem Praeside Reipublicae Nicaraguensis fuit inita, et ad optatum exitum perducta. Et quoniam eiusdem Conventionis Articuli tum a Nostro, tum a commemorati Praesidis Plenipotentiario die 2 mensis Novembris 1861 fuerint subscripti et a Nobis ipsis diligentissime perpensi, iccirco eamdem Conventionem suprema Nostra auctoritate confirmandam esse censuimus, ea profecto spe freti fore, ut ipsa Conventio, Deo auxiliante, in maximum catholicae Ecclesiae, et animarum bonum cedat. Huiusmodi autem Conventionis tenor est, qui sequitur, videlicet.

IN NOMINE SANCTISSIMAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS

Sanctitas Sua Summus Pontifex Pius IX et Praeses Reipublicae de Nicaragua in suos respective plenipotentiarios nominarunt.

Sanctitas Sua Emum D. Jacobum Antonelli S. R. E. Cardinalem Diaconum Sanctae Agathae ad Suburram, Suum Ministrum a publicis negotiis.

Et Reipublicae Praeses Excellentissimum Dominum

Ferdinandum Lorenzana, Marchionem de Belmonte, equitem Ordinis hierosolymitani a S. Sepulcro, equitem torquatum S. Gregorii Magni classis militaris, itemque equitem eiusdem Ordinis a Magna Cruce ordinis civilis, nec non equitem commendatorem Francisci Primi utriusque Siciliae regis, et equitem clarissimi Ordinis Pontificii D. N. I C. et Administrum cum liberis mandatis apud S. Sedem Apostolicam;

Qui post mutuo tradita respectivae plenipotentiae instrumenta de iis, quae sequuntur convenerunt.

Art. 1. Religio catholica apostolica romana est religio Status in republica de Nicaragua, atque inibi sarta tecta semper conservabitur cum omnibus iuribus et praerogativis, quibus ex Dei lege et SS. Canonum sanctionibus pollere debet.

Art. 2. Hinc iuventutis institutio in Universitatibus, Collegiis, Scholis et aliis omnibus educationis seu instructionis institutis erit plane conformis doctrinae eiusdem catholicae religionis, et iccirco Episcopi et locorum Ordinarii liberi omnino erunt in dirigenda doctrina, quae ad Theologicas, et canonici iuris facultates et ad alias ecclesiasticas eiusque generis disciplinas pertinet. Insuper iidem Ordinarii et Episcopi praeter illam sollicitudinem, quam ex proprii ministerii officio in religiosam iuventutis educationem exercent, advigilabunt etiam, ut in quavis tradenda disciplina nihil adsit, quod catholicae religioni morumque honestati adversetur.

Art. 3. Episcopi praeterea iure suo fruuntur examinandi et censuram ferendi in omnes libros et pu-

blicationes quacumque ratione in vulgus emissas, quae ad fidei dogmata, Ecclesiae disciplinam et ad publicam morum honestatem quovis modo pertinent, et Reipublicae magistratus ex proprii cuiusque muneris vi et auctoritate opem et operam praestabunt ad tutandas dispositiones, quas ipsi Episcopi iuxta canonicas sanctiones suscepturi erunt ad religionem tuendam, atque ad devitandum quidquid eidem religioni adversari possit.

Art. 4. Cum Romanus Pontifex primatum in universam, qua late patet, Ecclesiam iure divino obtineat, tam Episcopi quam Clerus et populus libere cum Apostolica Sede communicabunt.

Art. 5. Gubernium de Nicaragua obligatione se obstringit praestandi et integram servandi dotem pro Episcopo, Capitulo, Seminario et divini cultus, ac sacrarum aedium expensis super fundis aerarii nationis de Nicaragua iuxta designationem in fine huius Conventionis expressam. Et quoties novae Dioeceses erunt erigendae, eadem norma locum habebit pro dote cuiusque ecclesiae, capituli, et seminarii. Cum autem huiusmodi dotes assignentur compensatione, immo loco decimarum, quibus hoc modo supplendis Gubernium propria illius loci utilitatis causa et Episcopo consentiente a Sede Apostolica huiusmodi veniam petiit et obtinuit, icciroo dotes ipsae habendae omnino erunt, prout sunt, titulo *oneroso*, ac propterea Gubernium, tamquam verum Ecclesiae creditum erga nationem de Nicaragua dotes ipsas agnoscit, quae ita liberorum, seu omnino independentium reddituum naturam rationemque acquirent.

Art. 6. Parochi pergent exigere primitias et emolumenta quae *a stola* nuncupantur, salvo Ordinario

iure haec eadem emolumenta in propria dioecesi religiose ordinandi per opportunam legem, donec parochis ipsis congrua, tuta, independens dos fuerit attributa a Gubernio, collatis invicem super hac re cum propriis Ordinariis consiliis.

Art. 7. Ob praedictae dotis assignationem, quae praesentes decimarum proventus superat, quaeque ex ipsius Gubernii sponsione copiosior futuro tempore evadet, Summus Pontifex Praesidi Reipublicae de Nicaragua eiusque in munere successoribus concedit patronatus ius, seu privilegium proponendi in qualibet vacatione Ecclesiae Assumptionis Beatae Mariae Virginis et aliarum in eo territorio erigendarum Ecclesiarum dignos idoneosque ecclesiasticos viros iis omnibus dotibus praeditos, quas SS. Canones requirunt, et idem Summus Pontifex iuxta praescriptas ab Ecclesia regulas iisdem Viris canonicam institutionem ex consuetis formis dabit. Designati vero nullo modo sese immiscere poterunt regimini et administrationi illius Ecclesiae, ad quam fuerint nominati, antequam apostolicas canonicae institutionis litteras exceperint, prout sacri Canones praescribunt. Reipublicae Praeses non ultra annum a vacationis die nominatum praesentabit.

Art. 8. Eadem de causa Summus Pontifex Reipublicae Praesidi indultum concedit nominandi ad omnes capituli praebendas, sive sint dignitates, sive canonicatus, sive inferiora beneficia usque ad sex dumtaxat, exceptis prima dignitate, quae liberae Sanctae Sedis collationi reservata permanet, nec non theologali et poenitentiaria praebendis, quae ab Epi-

scopis praevio experimento seu concursu rite habito iis conferentur, quos digniores iudicaverint. Reipublicae Praeses, illis semper exceptis, ad sex illas praebendas nominabit, quae primum vacaturae sunt quaeque ad ipsius nominationem perpetuo pertinebunt. Reliquae autem cuiuscumque tandem classis et numeri futurae sint, quoniam in praesentia quinque tantum existunt, ab Episcopis conferentur. Id tamen non impedit quominus aliae praebendae in capitulis possint institui, quae per publicum experimentum, seu concursum, veluti duae superius memoratae obtinendae sint, quae semel ita constitutae nullo modo variari poterunt.

Art. 9. Paroeciae omnes iuxta Concilii Tridentini praescripta conferentur per publicum experimentum seu concursum, quo absoluto, Episcopi tres ex adprobatis Reipublicae Praesidi praesentabunt, ut ex iis propositis unum seligat iuxta morem, qui a Guberniis Americae regionum ad Hispanias olim pertinentium observatur.

Art. 10. Sancta Sedes proprio utens iure novas dioeceses eriget, ac novas earumdem peraget circumscriptiones, cum id fidelium necessitas, aut utilitas postulaverit. Veruntamen ubi id contigerit, cum Gubernio de Nicaragua consilia conferet. In unaquaque earumdem dioecesium instituetur Canonicorum Capitulum et Episcopale Seminarium accommodatum ad Cleri Dioecesani numerum, et ipsarum dioecesium indigentias. Pro dote cuiusque Sedis, Capituli et Seminarii, quae erigenda erunt, ea norma erit sequenda, quae statuta est pro Ecclesia Assumptionis B. M. V. in republica de Nicaragua, quae quam-

primum Canonicorum Capitulum habebit efformatum iuxta schema inferius referendum. In Seminaria excipientur et instituentur iuxta Tridentini Synodi praescripta ii adolescentes, quos Episcopi ex propria dioecesis necessitate vel utilitate admittendos esse censuerint. Ea omnia quae ad eorumdem Seminariorum regimen, ordinationem, doctrinam, gubernationem et administrationem pertinent a dioecesano Antistite unice pendere debent, qui suam liberam plenamque auctoritatem et ius in ea exercebit. Rectores quoque et professores seminariorum ab Episcopis libere nominabuntur, et quotiescumque necessarium vel utile ab ipsis iudicabitur removebuntur.

Art. 11. Item in singulis dioecesibus a propriis Ordinariis novae erigentur Paroeciae, cum id fidelium necessitas et utilitas requirat, atque in hac re perficienda cum Gubernio erunt ineunda consilia, ubi et quatenus civilium rerum *rationes* sint conciliandae.

Art. 12. Sede vacante, episcopalis ecclesiae Capitulum infra tempus praefinitum, et ad normam eorum, quae a sacro Concilio Tridentino in rem decreta sunt, Vicarium capitularem libere eliget, quin electionem semel factam revocare, vel ad novam procedere possit, qualibet consuetudine de medio sublata ac penitus abolita, quae in hac re Sacrorum Canonum sanctionibus quovis nomine adversetur.

Art. 13. Causae omnes fidem, sacramenta, sacras functiones aliaque officia et iura sacro ministerio adnexa respicientes, et generatim causae omnes ecclesiasticae ad iudicium ecclesiasticae au-

ctoritatis unice pertinent iuxta sacrorum Canonum normam.

Art. 14. Temporum ratione habita, Sanctitas Sua consentit, ut causae civiles clericorum, ad laicos iudices referantur, sive personales sint, sive reales, quae scilicet possessiones, atque alia temporalia clericorum, ecclesiarum, beneficiorum, aliarumque ecclesiasticarum fundationum iura respiciant.

Art. 15. Eadem de causa Sancta Sedes haud impedit, quominus causae criminales ecclesiasticorum pro delictis, quae criminalibus Reipublicae legibus animadvertuntur, quaeque ad Religionem non pertinent, ad Laicorum tribunalia deferantur. Cum vero agitur de iudiciis secundae et ultimae instantiae in illud tribunal inter Iudices etiam duo saltem ecclesiastici viri, quos Ordinarius nominat, erunt omnino admittendi. Haec iudicia minime publica erunt, et respectivae sententiae poenam capitis, seu poenam afflictivam, aut infamiam inferentes, nunquam erunt exequendae absque competentis auctoritatis adprobatione, et antequam proprius cuiusque ecclesiastici viri Episcopus citius quam fieri poterit, ea absolverit, quae Sacri Canones praescribunt. In deprehendendis et detinendis ecclesiasticis, ii erunt adhibendi modi, quos reverentia status clericalis exigit, et cum aliquis ecclesiasticus vir fuerit deprehensus, nulla interiecta mora, Episcopus de hac re erit monendus: in huius articuli dispositione plene excluduntur causae maiores, quae Apostolicae Sedi reservatae sunt, iuxta sacri Concilii Tridentini praescripta Sess. 24. de Reform. Cap. V.

Art. 16. Cum Ordinarii liberi omnino sint in proprio ministerio exercendo, poterunt, iuxta vigentem et adprobatam Ecclesiae disciplinam illos coercere ecclesiasticos Viros, qui a proprii muneris officiis et a recta vivendi ratione deflectunt.

Art. 17. Ecclesia iure pollet novas acquirendi possessiones quovis iusto titulo, eiusque acquisitae res erunt sacrae et inviolabiles aeque ac proprietates aliorum civium de Nicaragua, ideoque nulla piarum Institutionum suppressio vel unio fieri potest absque interventu auctoritatis Apostolicae Sedis, salvis facultatibus Episcoporum iuxta Concilii Tridentini normam.

Art. 18. Ob rerum et temporum adiuncta Sancta Sedes consentit, ut fundi et ecclesiastica bona publicis subiiciantur vectigalibus aeque ac aliorum Reipublicae de Nicaragua civium bona, exceptis tamen ecclesiis seu sacris aedibus divino cultui dicatis.

Art. 19. Attenta utilitate, quae ex praesenti Conventione in catholicam religionem manat, Sanctitas Sua Reipublicae de Nicaragua Praesidis postulationibus annuens, et publicae tranquillitati consulere cupiens decernit et declarat eos qui durante praeteritarum vicissitudinum tempore emerint in eiusdem Reipublicae dominiis ecclesiastica bona, vel census redemerint, ad civilium legum tum temporis vigentium normam et in praesentia illa possident, quique eisdem emptoribus successerint, vel ex iure succedunt, nullo unquam tempore, aut modo molestiam ullam habituros, neque a Sua Sanctitate neque a suis successoribus Romanis Pontificibus;

immo vero eorumdem bonorum proprietatem, redditus, et emolumenta tuta et pacifica fore penes ipsos, atque ab iis causam habentes: id tamen semper fixum firmumque esse debebit, ut huiusmodi abusivae alienationes numquam renoventur.

Art. 20. Episcopis liberum erit in propria dioecesi Ordines seu Congregationes religiosas utriusque sexus iuxta SS. Canones constituere, collatis tamen ea super re cum Gubernio consiliis. Quae autem ad regulares pertinent iuxta Canonicarum legum et cuiusque Ordinis constitutionum normam erunt dirigenda et administranda.

Art. 21. Gubernium Reipublicae de Nicaragua opportuna praebebit subsidia ad Fidei propagationem, et ad infidelium in suo territorio existentium conversionem procurandam, et omnem praestabit favorem institutioni et progressui sacrarum Missionum, quae ad hunc laudabilem finem illuc auctoritate Sacrae Congregationis Propagandae fidei mittuntur.

Art. 22. Praevia declaratione a Gubernio per suum Plenipotentiarium emissa, quod scilicet Gubernii ipsius mens est per iuramentum formula infrascripta expressum haud obligari in conscientia eos, qui iuramentum illud praestent ad quidpiam peragendum, quod Dei et Ecclesiae legibus adversetur, Sanctitas Sua assentitur sequens iuramentum ab Episcopis coeterisque ecclesiasticis viris praestari posse. « Ego iuro et promitto ad Sancta Dei » Evangelia obedientiam, et fidelitatem Gubernio » per Constitutionem Reipublicae de Nicaragua » statuto, itemque promitto me nulli propositioni

» sive persona sive consilio adfuturum, quae Natio-
» nis independentiae vel tranquillitati publicae no-
» ceat ».

Art. 23. Post divina Officia in omnibus Reipublicae de Nicaragua templis sic orabitur « Domine, » salvam fac Rempublicam: Domine, salvum fac » Praesidem et supremas eius Auctoritates ».

Art. 24. Sanctitas Sua Reipublicae de Nicaragua exercitibus exemptiones et gratias concedit, quae sub generali privilegiorum castrensium nomine cognoscuntur: atque eadem Sanctitas Sua singulas sive gratias, sive exemptiones quas erit largitura, determinabit per Apostolicas Litteras quae expedientur cum praesens Conventio publicabitur.

Art. 25. Reliqua omnia ad res, seu personas ecclesiasticas spectantia, de quibus in hisce articulis nulla habita mentio est, erunt omnino dirigenda et administranda iuxta vigentem Ecclesiae Catholicae Apostolicae Romanae disciplinam.

Art. 26. Per praesentem Conventionem leges, ordinationes, decreta in Republica de Nicaragua quocumque modo et tempore hucusque lata, in quantum Conventioni eidem adversantur, abrogata omnino censentur, atque eadem Conventio veluti lex Status in futurum omne tempus valitura habebitur.

Art. 27. Ratificationes praesentis Conventionis mutuo tradentur Romae decem et octo mensium spatio, aut citius si fieri poterit.

Art. 28. Statim ac praedictae ratificationes mutuo traditae fuerint, Sanctitas Sua per Apostolicas Litteras praesentem Conventionem confirmabit.

In quorum fidem praefati Plenipotentiarii praesenti Conventioni subscripserunt, illamque suo quisque sigillo obsignavit.

Actum Romae die 2 Novembris 1861

JACOBUS CARD. ANTONELLI
Loco ✠ Sigilli

FERDINANDUS LORENZANA
Loco ✠ Sigilli

Cum igitur huiusmodi Conventionis pacta, et concordata in omnibus et singulis punctis, clausulis, articulis et conditionibus tum a Nobis, tum a dilecto filio Illustri et Honorabili viro Reipublicae de Nicaragua Praeside adprobata, confirmata et ratificata fuerint, cumque superius memoratae Reipublicae Praeses enixe a Nobis postulaverit, ut pro firmiore eorum subsistentia solemniori modo supremae Apostolicae Nostrae auctoritatis robur adiiceremus, Nos plane in Domino confidentes fore ut pro sua misericordia studia haec Nostra in componendis ecclesiasticis rebus in Nicaraguensi Republica copiosis divinae gratiae suae muneribus prosequi dignetur, ex certa scientia et matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine supradictam Conventionem, eiusque pacta, et concordata tenore praesentium adprobamus, ratificamus, et acceptamus; illisque Apostolici muniminis et firmitatis robur atque efficaciam adiungimus.

Quantum autem in Nobis est monemus atque hortamur ecclesiasticos laicosque in superius memorata Republica de Nicaragua degentes, ut pro sua quisque parte praemissa omnia et pacta ad maiorem Dei gloriam, christianique nominis decus sedulo diligenterque observent: maiorique animi

contentione id unum prae oculis habeant, catholicae nimirum doctrinae puritatem, divini cultus nitorem, morumque honestatem quae omnia tum ad christiani nominis incrementum maximopere in illis Americae regionibus, tum ad ipsius reipublicae de Nicaragua prosperitatem tranquillitatemque curandam conferent.

Decernentes easdem presentes Litteras nullo umquam tempore de subreptionis et obreptionis, aut nullitatis vitio vel intentionis Nostrae, aut alio quocumque quamvis magno aut inexcogitato defectu notari aut impugnari posse, sed semper firmas validas et efficaces existere et fore , suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere et inviolabiliter observari debere quousque conditiones et pacta in Conventione expressa serventur.

Non obstantibus Apostolicis etiam in synodalibus, et universalibus Conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus ac Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, praesertim de iure quaesito non tollendo, nec non quarumcumque ecclesiarum, capitulorum , aliorumque piorum locorum fundationibus etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis , privilegiis quoque indultis et litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis confirmatis et innovatis ceterisque contrariis quibuscumque. Quibus omnibus et singulis illorum tenores pro expressis et ad verbum insertis habentes, ceteris in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter et expresse derogamus.

Apostolica quoque auctoritate decernimus, ut

ventionem, illamque die vigesimo secundo Aprilis anni 1862 proprio nomine subscripserunt, suoque signo obsignarunt. Hac autem Conventione inter cetera cautum in primis voluimus, ut Religio Catholica Apostolica Romana sit omnino religio Status eiusdem Reipublicae S. Salvatoris, utque ibi integra et inviolata servetur cum omnibus suis iuribus, et praerogativis, quibus ipsa religio ex divina sua institutione, et ex Sacrorum Canonum sanctionibus potitur. Atque etiam sancitum est, ut Episcopi proprii ministerii partes libere obeant, et iidem Episcopi, ac fideles cum hac Apostolica Sede plane liberam habeant communicationem, ut Ecclesia suum exerceat ius acquirendi, et possidendi, ut accurata, ac plane catholica sit iuventutis institutio, et educatio, et in omnibus ac singulis cuiusque generis scholis, collegiis et universitatibus catholica tradatur doctrina; ut Episcopi, Canonicorum Collegia, Seminaria congruam habeant dotem, ac Parochi congruentibus item instructi redditibus pergant primitias, et consueta emolumenta percipere. Haec et alia in eodem Conventu statui et sanciri voluimus, ex quibus Deo bene iuvante non leves in sanctissimam nostram religionem et fideles eiusdem Reipublicae populos utilitates redundaturas esse confidimus. Cum autem ipsa Conventio pluribus articulis distincta et a VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Nostrae Congregationis negotiis ecclesiasticis extraordinariis praepositae examinata, atque a Nobis ipsis sedulo fuerit perpensa, eamdem Conventionem suprema Nostra auctoritate per has Nostras Litteras confirmandam esse censuimus. Huius autem Conventionis tenor est, qui sequitur, videlicet.

IN NOMINE SANCTISSIMÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS

Sanctitas Sua Summus Pontifex Pius IX et Praeses Reipublicae S. Salvatoris in suos respective Plenipotentiarios nominarunt:

Sanctitas Sua Emum D. Iacobum Antonelli S. R. E. Cardinalem Diaconum Sanctae Agathae ad Suburram, suum Ministrum a publicis negotiis:

Et Reipublicae Praeses Excellentissimum Dominum Ferdinandum Lorenzana, Marchionem de Belmonte, Equitem Ordinis Hierosolymitani a S. Sepulcro, Equitem a Magna Cruce; itemque Torquatum Gregorianum, Equitem torquatum Francisci I Neapolitani, Equitem Militiae Iesu Christi etc. etc. Administrum cum liberis mandatis apud Sedem Apostolicam.

Qui post mutuo tradita respectivae plenipotentiae instrumenta de iis, quae sequuntur, convenerunt.

Art. I.

Religio catholica, Apostolica Romana est religio Status in Republica S. Salvatoris, atque inibi sarta tecta semper conservabitur cum omnibus iuribus et praerogativis, quibus ex Dei lege et SS. Canonum sanctionibus pollere debet.

Art. II.

Hinc juventutis institutio in universitatibus, col-

legiis, scholis et aliis omnibus educationis seu instructionis istitutis erit plane conformis doctrinae eiusdem catholicae religionis, et iccirco Episcopi et locorum Ordinarii liberi omnino erunt in dirigenda doctrina, quae ad Theologicas, et Canonici iuris facultates et ad alias ecclesiasticas eiusque generis disciplinas pertinet. Insuper iidem Ordinarii et Episcopi praeter illam sollicitudinem, quam ex proprii ministerii officio in religiosam iuventutis educationem exercent, advigilabunt etiam, ut in quavis tradenda disciplina nihil adsit, quod catholicae religioni eiusque doctrinae ac morum honestati adversetur; quod si umquam evenerit, Episcoporum atque Ordinariorum curae erit apud Gubernium urgere, ut opportunum statim adhibeat remedium.

Art. III.

Episcopi praeterea iure suo fruuntur examinandi et censuram ferendi in omnes libros et publicationes quacumque ratione in vulgus emissas, quae ad fidei dogmata, Ecclesiae disciplinam, et ad publicam morum honestatem quovis modo pertinent per congruas pastorales epistolas vel Decreta quae eorumdem librorum errores damnent, eorumque lectionem prohibeant, et Supremum Gubernium S. Salvatoris omnem auctoritatis suae opem et operam praestabit ad tutandas dispositiones, quas ipsi Episcopi iuxta canonicas sanctiones suscepturi erunt ad religionem tuendam, atque ad devitandum quidquid eidem religioni adversari possit.

Art. IV.

Cum Romanus Pontifex primatum in universam, qua late patet, Ecclesiam iure divino obtineat, tam Episcopi quam Clerus et populus libere cum Apostolica Sede communicabunt.

Art. V.

Gubernium S. Salvatoris obligatione se obstringit praestandi et integram servandi dotem pro Episcopo, Capitulo, Seminario et divini cultus, ac sacrarum aedium expensis super fundis aerarii Nationis S. Salvatoris iuxta designationem in fine huius Conventionis expressam. Et quoties novae Dioeceses erunt erigendae, eadem norma locum habebit pro dote cuiusque Ecclesiae, Capituli et Seminarii. Cum autem huiusmodi dotes assignentur compensatione, immo loco decimarum, quibus hoc modo supplendis Gubernium propria illius loci utilitatis causa a Sede Apostolica huiusmodi veniam petiit et obtinuit, iccirco dotes ipsae habendae omnino erunt, prout sunt, titulo oneroso, ac propterea Gubernium, tamquam verum Ecclesiae creditum erga Nationem S. Salvatoris dotes ipsas agnoscit, quae ita liberorum, seu omnino independentium reddit`uum naturam rationem acquirent.

Art. VI.

Parochi pergent exigere primitias et emolumenta quae *a stola* nuncupantur, salvo Ordinario iure haec

eadem emolumenta in propria dioecesi religiose ordinandi per opportunam legem, donec parochis ipsis congrua, tuta, independens dos fuerit attributa a Gubernio, collatis invicem super hac re cum propriis Ordinariis consiliis.

Art. VII.

Ob praedictae dotis assignationem, quae praesentes decimarum proventus superat, quaeque ex ipsius Gubernii sponsione copiosior futuro tempore evadet, Summus Pontifex Praesidi Reipublicae S. Salvatoris eiusque in munere Successoribus concedit patronatus ius, seu privilegium proponendi in qualibet vacatione Sedis Episcopalis S. Salvatoris et aliarum in eo territorio erigendarum Ecclesiarum dignos idoneosque ecclesiasticos Viros iis omnibus dotibus praeditos, quas Sacri Canones requirunt, et idem Summus Pontifex iuxta praescriptas ab Ecclesia regulas iisdem Viris canonicam institutionem ex consuetis formis dabit. Designati vero nullo modo sese commiscere poterunt regimini et administrationi illius Ecclesiae ad quam fuerint nominati, antequam apostolicas canonicae institutionis Litteras exceperint, prout Sacri Canones praescribunt. Reipublicae Praeses non ultra annum a vacationis die nominatum praesentabit.

Art. VIII.

Eadem de causa Summus Pontifex Reipublicae Praesidi indultum concedit nominandi ad omnes Capituli praebendas, sive sint dignitates, sive canoni-

catus; sive inferiora beneficia usque ad sex dumtaxat, excepta prima dignitate, quae liberae Sanctae Sedis collationi reservata permanet, nec non theologali et poenitentiaria praebendis, quae ab Episcopis praevio experimento seu concursu rite habito iis conferentur, quos digniores iudicaverint. Reipublicae Praeses illis semper exceptis, ad sex illas praebendas nominabit, quae primum vacaturae sunt, quaeque ad ipsius nominationem perpetuo pertinebunt. Reliquae autem cuiuscumque tandem classis et numeri futurae sint, quoniam in praesentia tres tantum existunt, ab Episcopis conferentur. Id tamen non impedit quominus aliae praebendae in Capitulis possint institui, quae per publicum experimentum, seu concursum, veluti duae superius memoratae obtinendae sint, quae semel ita constitutae nullo modo variari poterunt.

ART. IX.

Paroeciae omnes iuxta Concilii Tridentini praescripta conferentur per publicum experimentum seu concursum, quo absoluto, Episcopi tres ex approbatis Reipublicae Praesidi praesentabunt, ut ex iis propositis unum seligat iuxta morem, qui a Guberniis Americae regionum ad Hispanias olim pertinentium observatur.

ART. X.

Sancta Sedes proprio utens iure novas dioeceses eriget ac novas earumdem peraget circumscriptiones cum id fidelium necessitas aut utilitas postulaverit. Verumtamen ubi id contigerit cum Gubernio S. Sal-

vatoris consilia conferet. In unaquaque earumdem dioecesium instituetur Canonicorum Capitulum, et episcopale Seminarium accommodatum ad Cleri dioecesani numerum, et ipsarum dioecesium indigentias. Pro dote cuiusque Sedis, Capituli et Seminarii, quae erigenda erunt, ea norma erit sequenda, quae statuta est pro Ecclesia S. Salvatoris, quae quamprimum Canonicorum Capitulum habebit efformatum iuxta schema inferius referendum. In Seminaria excipientur et instituentur iuxta Tridentinae Synodi praescripta ii adolescentes, quos Episcopi ex propriae dioecesis necessitate vel utilitate admittendos esse censuerint. Ea omnia quae ad eorumdem Seminariorum regimen, ordinationem, doctrinam, gubernationem et administrationem pertinent a dioecesano Antistite unice pendere debent, qui suam liberam plenamque auctoritatem et ius in ea exercebit. Rectores quoque et Professores Seminariorum ab Episcopis libere nominabuntur, et quotiescumque necessarium vel utile ab ipsis iudicabitur, removebuntur.

Art. XI.

Item in singulis Dioecesibus a propriis Ordinariis novae erigentur Paroeciae, cum id fidelium necessitas vel utilitas requirat, atque in hac re perficienda cum Gubernio erunt ineunda consilia, ubi et quoties civilium rerum rationes sint conciliandae.

Art. XII.

Sede vacante, episcopalis Ecclesiae Capitulum in-

fra tempus praefinitum, et ad normam eorum, quae a Sacro Concilio Tridentino in rem decreta sunt, Vicarium Capitularem libere eliget, quin electionem semel factam revocare, vel ad novam procedere possit, qualibet consuetudine de medio sublata ac penitus abolita, quae in hac re Sacrorum Canonum sanctionibus quovis nomine adversetur.

Art. XIII.

Causae omnes fidem, sacramenta, sacras functiones, aliaque officia et iura sacro ministerio adnexa respicientes, et generatim causae omnes ecclesiasticae ad iudicium ecclesiasticae auctoritatis unice pertinent iuxta sacrorum Canonum normam.

Art. XIV.

Temporum ratione habita Sanctitas Sua consentit, ut causae civiles clericorum, ad laicos iudices referantur, sive personales sint, sive reales, quae scilicet possessiones, atque alia temporalia clericorum, ecclesiarum, beneficiorum, aliarumque ecclesiasticarum fundationum iura respiciant.

Art. XV.

Eadem de causa Sancta Sedes haud impedit quominus causae criminales ecclesiasticorum pro delictis, quae criminalibus Reipublicae legibus animadvertuntur, quaeque ad Religionem non pertinent, ad Laicorum tribunalia deferantur. Cum vero agitur de

iudiciis secundae et ultimae instantiae in illud tribunal inter iudices etiam duo saltem ecclesiastici viri, quos Ordinarius nominat, erunt omnino admittendi. Haec iudicia minime publica erunt, et respectivae sententiae poenam capitis, seu poenam afflictivam, aut infamiam inferentes, numquam erunt exequendae absque suprema Praesidis Reipublicae adprobatione, et antequam proprius cuiusque ecclesiastici viri Episcopus ea quamprimum absolverit, quae sacri Canones praescribunt. In deprehendendis et detinendis Ecclesiasticis ii erunt adhibendi modi, quos reverentia status clericalis exigit, et cum aliquis ecclesiasticus vir fuerit deprehensus, nulla interiecta mora, Episcopus de hac re erit monendus: in hujus articuli dispositione plene excluduntur causae maiores, quae Apostolicae Sedi reservatae sunt, iuxta sacri Concilii Tridentini praescripta Sess. 24 de Reformatione Cap. V.

Art. XVI.

Cum Ordinarii liberi omnino sint in proprio ministerio exercendo poterunt iuxta vigentem et adprobatam Ecclesiae disciplinam illos coercere ecclesiasticos viros, qui a proprii muneris officiis et a recta vivendi ratione deflectunt.

Art. XVII.

Ecclesia iure pollet novas acquirendi possessiones quovis iusto titulo, eiusque acquisitae res erunt sacrae et inviolabiles aeque ac proprietates aliorum

civium Reipublicae S. Salvatoris, ideoque nulla fundationum suppressio, vel unio fieri potest absque interventu auctoritatis Apostolicae Sedis, salvis facultatibus Episcoporum iuxta Concilii Tridentini normam.

Art. XVIII.

Ob rerum et temporum adiuncta Sancta Sedes consentit, ut fundi et ecclesiastica bona publicis subiiciantur vectigalibus aeque ac aliorum Reipublicae S. Salvatoris civium bona, exceptis tamen Ecclesiis seu sacris aedibus divino cultui dicatis.

Art. XIX.

Attenta utilitate quae ex praesenti Conventione in catholicam Religionem manat, Sanctitas Sua S. Salvatoris Reipublicae Praesidis postulationibus annuens et publicae tranquillitati consulere cupiens decernit et declarat eos, qui durante praeteritarum vicissitudinum tempore emerint in eiusdem Reipublicae S. Salvatoris dominiis ecclesiastica bona, vel census redemerint, ad civilium legum tum temporis vigentium normam, et in praesentia illa possident, quique eisdem emptoribus successerint, vel ex iure succedunt, nullo umquam tempore, aut modo molestiam ullam habituros, neque a Sua Sanctitate, neque a suis Successoribus Romanis Pontificibus; immo vero eorumdem bonorum proprietatem, redditus, et emolumenta tuta et pacifica fore per seipsos atque ab iis causam habentes: id tamen semper fixum firmumque esse debebit, ut huiusmodi abusivae alienationes numquam renoventur.

Art. XX.

Episcopis liberum erit in propria Dioecesi Ordines seu Congregationes religiosas utriusque sexus, iuxta Sacros Canones constituere: communicabunt tamen ea de re cum Gubernio consilia. Quae autem ad Regulares pertinent ad tramites Canonicarum Legum, et cuiusque Ordinis constitutionum normam erunt dirigenda et administranda.

Art. XXI.

Praevia declaratione a Gubernio per suum Plenipotentiarium emissa, quod scilicet Gubernii ipsius mens est per iuramentum formula infrascripta expressum haud obligari in conscientia eos, qui iuramentum illud praestent ad quidpiam peragendum, quod Dei et Ecclesiae legibus adversetur, Sanctitas Sua assentitur sequens iuramentum ab Episcopo ceterisque ecclesiasticis viris praestari posse. « Ego » iuro et promitto ad Sancta Dei evangelia obedien» tiam et fidelitatem Gubernio per Constitutionem » Reipublicae S. Salvatoris statuto, itemque promitto » me nulli propositioni, sive personae, sive consilio » adfuturum, quae Nationis independentiae vel tran» quillitati publicae noceat.

Art. XXII.

Post divina officia in omnibus Reipublicae S. Salvatoris templis sic orabitur: « Domine, salvam fac » Rempublicam: Domine, salvum fac Praesidem et » Supremas eius Auctoritates ».

Art. XXIII.

Sanctitas Sua Reipublicae S. Salvatoris exercitibus exemptiones et gratias concedit, quae sub generali privilegiorum castrensium nomine cognoscuntur: atque eadem Sanctitas Sua singulas sive gratias, sive exemptiones quas erit largitura, determinabit per Apostolicas Litteras, quae expedientur cum praesens Conventio publicabitur.

Art. XXIV.

Reliqua omnia ad res, seu personas ecclesiasticas spectantia, de quibus in hisce articulis nulla habita mentio est, erunt omnino dirigenda et administranda iuxta vigentem Ecclesiae Catholicae Apostolicae Romanae disciplinam.

Art. XXV.

Praesens Conventio uti Lex Status, ceteris Legibus, Decretis et Ordinationibus quae Conventioni adversantur subroganda, habebitur et publicabitur.

Art. XXVI.

Ratificationes praesentis Conventionis mutuo tradentur Romae decem et octo mensium spatio, aut citius si fieri poterit.

ART. XXVII.

Statim ac praedictae ratificationes mutuo traditae fuerint Sanctitas Sua per Apostolicas Litteras praesentem Conventionem confirmabit.

In quorum fidem praefati Plenipotentiarii praesenti Conventioni subscripserunt, illamque suo quisque sigillo obsignavit.

Actum Romae die 22 Aprilis 1862.

JACOBVS CARD. ANTONELLI. — FERDINANDVS LORENZANA
Lo✠co Sigilli Lo✠co Sigilli

Cum igitur huiusmodi Conventionis pacta, et concordata in omnibus, et singulis punctis, clausulis, articulis, et conditionibus tum a Nobis, tum a laudato Reipublicae S. Salvatoris Praeside fuerint adprobata, confirmata, atque ratificata, et cum Praeses enixe postulaverit, ut pro firmiori eorum omnium subsistentia robur Apostolicae firmitatis adiungeremus, ac solemniorem auctoritatem, et decretum interponeremus, Nos plane in Domino confidentes fore ut, pro sua misericordià, studia haec Nostra in componendis Ecclesiasticis rebus in S. Salvatoris Republica copiosis divinae Suae gratiae muneribus prosequi dignetur, ex certa scientia, et matura Nostra deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine supradictas concessiones, pacta, et concordata tenore praesentium adprobamus, ratificamus, et acceptamus, illisque Apostolici muniminis, et firmitatis robur, et efficaciam adiungimus. Maiori autem, qua possumus, animi contentione omnes et singulos in S. Salvatoris Repu-

blica Antistites nunc degentes, et a Nobis postmodum instituendos, eorumque successores, et Clerum universum monemus, atque in Domino hortamur, ut praemissa omnia ad maiorem Dei gloriam, Sanctae Ecclesiae utilitatem, animarumque salutem a Nobis decreta in iis, quae ad ipsos pertinent, sedulo diligenterque serventur, omnesque cogitationes, curas, consilia, conatusque conferant, ut catholicae doctrinae puritas, divini cultus nitor, ecclesiasticae disciplinae splendor, Ecclesiae legum observantia, morumque honestas in S. Salvatoris Reipublicae Christifidelibus magis magisque refulgeat. Decernentes easdem praesentes Litteras nullo unquam tempore de subreptionis, et obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut alio quocumque quantumvis magno, aut inexcogitato defectu notari, aut impugnari posse, sed semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et inviolabiliter observari debere, quousque conditiones, et pacta in Tractatu expressa serventur. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis synodalibus, provincialibus, et universalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Ordinationibus, ac Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, praesertim de iure quaesito non tollendo, nec non quarumcumque Ecclesiarum, Capitulorum, aliorumque piorum locorum fundationibus, etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Quibus omnibus et singulis illorum tenores pro expres-

sis, et de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter, et expresse derogamus. Praeterea, quia difficile foret praesentes Litteras ad singula, in quibus de eis fides facienda fuerit, loca deferri, eadem Apostolica auctoritate decernimus, et mandamus, ut earum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis plena ubique fides adhibeatur, perinde ac si praesentes Litterae forent exhibitae vel ostensae. Et insuper irritum, et inane decernimus si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae concessionis, approbationis, ratificationis, acceptationis, monitionis, hortationis, decreti, derogationis, mandati, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo tertio, Kalendis Junii Pontificatus Nostri anno decimo septimo.

M. Card. Mattei Pro Datarius
N. Card. Clarelli Paracciani

Visa de Curia D. Bruti

Loco ✠ Plumbi I. Cugnonius

PIVS PAPA IX.

VENERABILI FRATRI BENEDICTO EPISCOPO TRIDENTINO

TRIDENTVM

VENERABILIS FRATER,

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

In gravissimis Nostris acerbitatibus incredibilem laetitiam, ac voluptatem cepimus, ubi novimus, Venerabilis Frater, susceptum a Te fuisse consilium celebrandi solemni apparatu et pompa tertium saecularem annum, ex quo Sacrosancta Tridentina Synodus istic fuit absoluta. Nihil certe Nobis gratius, nihil jucundius, quam ut sancti et celeberrimi oecumenici illius Concilii recolatur memoria, quod a Romanis Pontificibus Decessoribus Nostris provide sapienterque indictum, convocatum, approbatum, et promulgatum, ac maxima sapientissimorum Patrum frequentia, communi totius orbis, ac Principum desiderio; summisque christianae reipublicae votis coactum, tanto Ecclesiae sanctae Dei usui, ornamento, et praesidio fuit. Siquidem sacrosancta Tridentina Synodus in Spiritu Sancto congregata, ejusque afflatu permota sanctissimas illas ac saluberrimas condidit leges, canones, decreta, quibus et catholicae

fidei, ac doctrinae veritas, dissipatis omnibus errorum tenebris, propugnatur, traditur, explanatur, et illorum praesertim temporum haereses damnantur, ac profligantur et ecclesiasticae disciplinae virtus confirmatur, et morum medicina, et christianae reipublicae salus maxime continentur. Itaque Tibi summopere gratulamur, Venerabilis Frater, quod hujusmodi solemnitatem peragere constitueris, ac non possumus non probare Tuum consilium illam agendi hoc mense Iunio ad evitanda incommoda, quae, hyemali tempore appetente, evenire solent, si ipsa solemnitas die quarta futuri mensis Decembris haberetur, quo tertius saecularis expletur annus, ex quo Concilium idem in ista Tridentina civitate fuit absolutum. Hinc pientissimis Tuis desideriis perlibenter obsecundavimus tum quoad Plenariam Indulgentiam, tum quoad alias facultates, quas hac occasione a Nobis postulasti. Vehementer autem gaudemus, cum noscamus, plures S. R. E. Cardinales, ac Venerabiles Fratres tum Germaniae, tum Italiae Sacrorum Antistites istuc se velle conferre, ut eidem solemnitati adsint, ejusque decus augeant. Ac summa animi Nostri jucunditate accepimus quanta alacritate et studio istius Tuae Dioecesis fideles, ac praesertim Tridentini cives suam omnem operam impendere laetentur, ut majore, quo fieri potest, splendore haec celebretur solemnitas. Quae quidem eo Nobis gratior accidit, quod luctuosissimis hisce temporibus Dei hominumque hostes tot nefariis machinationibus catholicam Ecclesiam, ejusque veneranda jura, leges et instituta cum maximo Nostro

et omnium bonorum luctu in infelici praesertim Italia oppugnare non desinant. Nostris quidem in votis est, ut ubique sedulo ac religiose serventur quae a sacrosancta Tridentina Synodo sapientissime definita ac statuta fuere, cum maximae ex ejusdem Concilii decretis et constitutionibus in rem catholicam, et in animarum salutem utilitates redundent. Atque ea porro spe sustentamur fore, ut Carissimus in Christo Filius Noster Franciscus Iosephus Austriae Imperator et Rex Apostolicus pro eximia sua religione omnes superans difficultates efficere velit, ut in omnibus regionibus sibi subjectis Concilium idem vigeat, et ea omnia, quae ab ipso statuta sunt diligenter observentur. Optamus autem, ut a Te, aliisque Venerabilibus Fratribus in Austriaca Ditione Sacrorum Antistitibus huic praesertim solemnitati adstantibus penes ipsum Carissimum in Christo Filium Nostrum omnia adhibeantur studia, ut in suo Imperio catholica Ecclesia omni sua libertate perfecte, pleneque fruatur, et ecclesiastica disciplina quotidie magis integra et inviolata servetur. Tuum vero erit, has Nostras litteras cum eisdem Venerabilibus Fratribus, qui istic erunt, communicare, illosque de singulari Nostra in eos benevolentia, deque Apostolica Benedictione, quam ipsis amantissime impertimur, certiores facere. Denique hanc etiam occasionem libentissime amplectimur, ut iterum testemur et confirmemus praecipuam, qua Te prosequimur, caritatem. Cujus quoque certissimum pignus esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde profectam

Tibi ipsi, Venerabilis Frater, et gregi Tuae vigilantiae commisso peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 1 mensis Iunii Anno 1863. Pontificatus Nostri anno decimo septimo.

PIVS PP. IX.

VENERABILI FRATRI BENEDICTO EPISCOPO TRIDENTINO
TRIDENTVM.

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Qua singulari prorsus laetitia et consolatione affecti fuerimus ob sacra solemnia a Te hoc mense constituta tertiis saecularibus festis celebrandis a sacrosancto celeberrimo oecumenico Tridentino Concilio in ista civitate absoluto, vel facile intelligere potuisti, Venerabilis Frater, ex Litteris, quas Kalendis huius mensis ad Te scripsimus. Cum autem nuper a Nobis efflagitaveris, ut istuc mittere vellemus aliquem virum ecclesiastica dignitate ornatum, qui Nostro nomine huic intersit solemnitati, iccirco huiusmodi Tuae petitioni ac desiderio quam libentissime annuendum esse censuimus. Itaque hisce Litteris Tibi significamus, istuc a Nobis mitti Dilectum Filium Nostrum Carolum Augustum Tituli S. Caeciliae Presbyterum S. R. E. Cardinalem De Reisach Nostri Consilii studiis moderandis Praefectum religione, pietate, doctrina, aliisque egregiis animi ingeniique dotibus spectatum, ut ipse huic solemnitati Nobis tantopere gratae Nostro nomine adsistat. Atque eidem Dilecto Filio Nostro in mandatis praesertim dedimus, ut amplissimis aeque ac amantissimis verbis praecipuam animi Nostri benevolentiam testetur

omnibus et singulis Dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus, ac Venerabilibus Fratribus Sacrorum Antistitibus eidem solemnitati adstantibus, eosque certiores faciat de Apostolica Benedictione, quam caelestium omnium munerum auspicem ex intimo corde profectam ipsis peramanter impertimus. Nihil vero dubitamus, quin hac occasione iidem Dilecti Filii Nostri, et Venerabiles Fratres veluti pii ac strenui vineae Domini cultores maiore usque episcopali zelo excitentur, et inflammentur ad catholicam fidem, ac doctrinam asperrimis hisce christianae et civilis reipublicae temporibus omni studio tuendam, ac propugnandam, ad animarum salutem diligentissime curandam, atque ad tot monstrosa impiorum errorum portenta profliganda et extirpanda. Habes, Venerabilis Frater, quae Tibi significanda esse existimavimus, dum propensissimae Nostrae in Te voluntatis pignus Apostolicam Benedictionem toto cordis affectu Tibi ipsi, Venerabilis Frater, cunctisque Clericis Laicisque fidelibus Tuae curae concreditis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 15 Junii anno 1863. Pontificatus Nostri anno decimoseptimo.

DILECTIS FILIIS NOSTRIS S. R. E. CARDINALIBVS AC VENERABILIBVS FRATRIBVS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS ITALIAE.

PIUS PAPA IX.

Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Quanto conficiamur moerore ob saevissimum sacrilegumque bellum in omnibus fere terrarum orbis regionibus catholicae Ecclesiae hisce asperrimis temporibus allatum, ac praesertim in infelici Italia ante Nostros oculos a Subalpino Gubernio plures abhinc annos indictum, et magis in dies excitatum, quisque Vestrum vel facile cogitatione assequi potest, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres. Verum inter gravissimas Nostras angustias, dum Vos intuemur, maximo afficimur solatio et consolatione. Siquidem Vos quamvis omnibus iniustissimis, violentisque modis miserandum in modum vexati, et a proprio grege avulsi, in exilium eiecti, atque etiam in carcerem detrusi, tamen virtute ex alto induti nunquam intermisistis qua voce, qua salutaribus scriptis Dei, eiusque Ecclesiae, et Apostolicae huius Sedis causam, iura, doctrinam strenue tueri, vestrique gregis incolumitati consulere. Itaque Vobis ex animo gratulamur, quod vehementer laetamini pro nomine Iesu contumeliam pati, ac meritis Vos laudibus efferimus utentes Sanctissimi Nostri Decessoris Leonis verbis: « Licet laboribus dilectionis vestrae,

» quos pro observantia catholicae fidei suscepistis » toto corde compatiar, et ea quae Vobis.... illata » sunt, non aliter accipiam, quam si ipse pertule» rim, intelligo tamen magis esse gaudii, quam » moeroris, quod, confortante Vos Domino Iesu » Christo, in evangelica apostolicaque doctrina in» superabiles perstitistis.... Et cum Vos inimici fi» dei christianae ab Ecclesiarum vestrarum sede » divellerent, maluistis peregrinationis iniuriam pati, » quam ulla impietatis ipsorum contagione vio» lari. » (1)

Atque utinam Vobis tantarum Ecclesiae calamitatum finem nuntiare possemus! Sed numquam satis lugenda morum corruptela undique ingravescens, et irreligiosis, nefandis obscoenisque scriptis, ac scenicis spectaculis, et meretriciis domibus fere ubique constitutis, ac aliis pravis artibus promota, et monstrosa omnium errorum portenta quaquaversus disseminata, et abominanda vitiorum omniumque scelerum increscens colluvio, et mortiferum *incredulitatis* ac *indifferentismi* virus longe lateque diffusum, et ecclesiasticae potestatis, ac sacrarum rerum, legumque contemptio, despicientia, et iniusta ac violenta bonorum Ecclesiae depopulatio, et acerrima, ac continua contra sacros Ministros, ac Religiosarum Familiarum Alumnos, Virginesque Deo devotas insectatio, ac diabolicum prorsus adversus Christum, eiusque Ecclesiam, doctrinam, et hanc Apostolicam Sedem odium, et innumera fere alia, quae ab infensissimis rei catholicae hostibus patran-

(1) S. Leo Epist. 154. ad Episcopos Aegyptios. edit. Baller.

tur, et quotidie lamentari cogimur, videntur optatissimum illud protrahere ac differre tempus, quo plenum sanctissimae nostrae religionis, iustitiae, ac veritatis triumphum videre possimus. Qui quidem triumphus deesse non poterit, etiamsi Nobis datum non sit noscere tempus eidem triumpho ab omnipotenti Deo destinatum, qui omnia admirabili divina sua providentia regit ac moderatur, et ad nostram dirigit utilitatem. Etsi vero caelestis Pater Ecclesiam suam sanctam in hac miserrima et mortali peregrinatione militantem, variis aerumnis et calamitatibus affligi et vexari permittit, tamen cum ipsa a Christo Domino supra immobilem et firmissimam petram sit fundata, non solum nulla vi, nulloque impetu convelli, et labefactari unquam potest, verum etiam ipsis « persecutionibus non minuitur, sed » augetur, et semper dominicus ager segete di» tiori vestitur, dum grana, quae singula cadunt, » multiplicata nascuntur » (1). Quod, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, luctuosissimis etiam hisce temporibus singulari Dei beneficio evenire conspicimus. Nam quamvis immaculata Christi Sponsa impiorum hominum opera in praesentia vehementer afflictetur, tamen de suis hostibus agit triumphum. Enimvero ipsa suos triumphat hostes, et mirifice splendescit tum singulari vestra, et aliorum Venerabilium Fratrum totius catholici orbis Sacrorum Antistitum erga Nos, et hanc Petri Cathedram fide, amore, observantia, et eximia constantia in catholica unitate tuenda, tum tot pientissimis religionis,

(1) S. Leo Serm. 82. in natal. Apost. Petri et Pauli.

et christianae caritatis operibus, quae, Deo auxiliante, magis in dies multiplicantur in catholico orbe, tum sanctissimae fidei lumine, quo magis in dies tot illustrantur regiones, tum egregio Catholicorum erga ipsam Ecclesiam, ac Nos, et hanc Sanctam Sedem amore et studio, tum insigni et immortali martyrii gloria. Nostis enim quomodo in Tunkini, et Cocinchinae praesertim regionibus Episcopi, Sacerdotes, laicique viri, ac vel ipsae imbelles mulieres, ac teneri adolescentuli et adolescentulae veterum martyrum exempla aemulantes animo invicto, et heroica virtute crudelissimos quosque cruciatus despicere, et exultantes pro Christo vitam profundere vehementer laetantur. Quae sane omnia non levi Nobis, Vobisque consolationi esse debent inter maximas, quibus premimur, acerbitates.

Verum cum Apostolici Nostri ministerii officium omnino postulet, ut Ecclesiae causam Nobis ab ipso Christo Domino commissam omni cura studioque defendamus, illosque omnes reprobemus, qui Ecclesiam ipsam, eiusque sacra iura, Ministros, et hanc Apostolicam Sedem oppugnare et conculcare non dubitant, idcirco hisce Nostris Litteris denuo ea omnia et singula confirmamus, declaramus, ac damnamus, quae in pluribus consistorialibus Allocutionibus, aliisque Nostris Litteris cum ingenti animi Nostri molestia lamentari, declarare, et damnare coacti fuimus (1).

(1) Allocut. 20. Iunii 1859. - 26. Septemb. 1859. - 13. Iulii 1860. - 28. Septemb. 1860. - 17. Decemb. 1860. - 18. Mart. 1861.. - 30. Septemb. 1861. - 9. Iunii 1862. - Epist. Encycl. 18. Iun. 1859. 19. Ian. 1860. - Apostol. Litt. 26. Mart. 1860.

Atque hic, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, iterum commemorare et reprehendere oportet gravissimum errorem, in quo nonnulli catholici misere versantur, qui homines in erroribus viventes, et a vera fide, atque a catholica unitate alienos ad aeternam vitam pervenire posse opinantur. Quod quidem catholicae doctrinae vel maxime adversatur. Notum Nobis, Vobisque est, eos, qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem, eiusque praecepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes, ac Deo obedire parati, honestam rectamque vitam agunt, posse, divinae lucis, et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam, cum Deus, qui omnium mentes, animos, cogitationes, habitusque plane intuetur, scrutatur et noscit, pro summa sua bonitate, et clementia minime patiatur quempiam aeternis puniri suppliciis qui voluntariae culpae reatum non habeat. Sed notissimum quoque est catholicum dogma, neminem scilicet extra catholicam Ecclesiam posse salvari, et contumaces adversus eiusdem Ecclesiae auctoritatem, definitiones, et ab ipsius Ecclesiae unitate, atque a Petri Successore Romano Pontifice, cui *vineae custodia a Salvatore est commissa* (1), pertinaciter divisos, aeternam non posse obtinere salutem. Clarissima enim sunt Christi Domini verba: « Si Ecclesiam non au» dierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus (2) »:

(1) Concil. Oecum. Chalcedonen. in Relat. ad Leonem Papam.

(2) Matth. c. 18. v. 17.

» Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me » spernit, qui autem me spernit, spernit eum, qui » misit me » (1): Qui non crediderit condemnabi- » tur » (2): Qui non credit, iam iudicatus est » (3): » Qui non est mecum, contra me est, qui non col- » ligit mecum, dispergit » (4). Hinc Apostolus Pau- » lus huiusmodi homines dicit *subversos, et proprio iudicio condemnatos* (5), et Apostolorum Princeps illos appellat « magistros mendaces, qui introdu- » cunt sectas perditionis, Dominum negant, super- » ducentes sibi celerem perditionem » (6).

Absit vero, ut catholicae Ecclesiae filii ullo unquam modo inimici sint iis, qui eisdem fidei caritatisque vinculis, Nobiscum minime sunt coniuncti, quin immo illos sive pauperes, sive aegrotantes, sive aliis quibusque aerumnis afflictos omnibus christianae caritatis officiis prosequi adiuvare semper studeant, et in primis ab errorum tenebris, in quibus misere iacent, eripere, atque ad catholicam veritatem, et ad amantissimam matrem Ecclesiam reducere contendant, quae maternas suas manus ad illos amanter tendere, eosque ad suum sinum revocare nunquam desinit, ut in fide, spe, et caritate fundati, ac stabiles, et in omni opere bono fructificantes, aeternam assequantur salutem.

(1) Luc. 10. v. 16.
(2) Marc. c. ult. v. 16.
(3) Ioan. c. 3. v. 18.
(4) Luc. c. 11. v. 23.
(5) Ad Tit. c. 3. v. 11.
(6) Epist. 2. c. 2. v. 1.

Nunc autem, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, silentio praeterire non possumus alium perniciosissimum errorem, et malum, quo hac nostra infelicissima aetate hominum mentes animique misere abripiuntur, ac perturbantur. Loquimur nempe de effraenato ac damnoso illo proprio amore et studio, quo non pauci homines, nulla plane proximi sui ratione habita, proprias utilitates, et commoda unice spectant et quaerunt ; loquimur de insatiabili illa dominandi et acquirendi cupiditate, qua, honestatis iustitiaeque regulis omnino posthabitis, divitias quovis modo cupidissime congerere, et cumulare non desinunt, ac terrenis tantum rebus assidue intenti, et Dei, religionis, animaeque suae immemores suam omnem felicitatem in comparandis divitiis et pecuniae thesauris perperam collocant. Meminerint huiusmodi homines, ac serio meditentur gravissima illa Christi Domini verba: « Quid prodest » homini si mundum universum lucretur, animae » vero suae detrimentum patiatur? (1) » et animo sedulo reputent quae Apostolus Paulus docet : » Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem » et in laqueum diaboli, et desideria multa inuti» lia, et nociva, quae mergunt homines in interi» tum et perditionem. Radix enim omnium malo» rum est cupiditas, quam quidam appetentes, er» raverunt a fide, et inseruerunt se doloribus » multis » (2).

(1) Matth. c. 16. v. 26.
(2) Epist. 1. ad Timoth. c. 6. v. 9· 10.

Equidem homines iuxta propriam ac diversam cuiusque conditionem suis laboribus necessaria vitae praesidia sibi comparare debent seu in litteris, ac scientiis excolendis, seu in artibus tum ingenuis, tum vulgaribus exercendis, seu in publicis, privatisque muneribus obeundis, seu in rerum commercio habendo, sed omnino oportet, ut omnia cum honestate, iustitia, integritate et caritate agant, et Deum prae oculis semper habeant, eiusque mandata, ac praecepta diligentissime observent.

Iam vero dissimulare non possumus, acerbissimo Nos angi dolore, cum in Italia nonnulli ex utroque Clero reperiantur viri, qui adeo sanctae suae vocationis sunt obliti, ut minime erubescant exitialibus etiam scriptis falsas disseminare doctrinas ac populorum animos contra Nos, et hanc Apostolicam Sedem excitare, ac civilem Nostrum et ipsius Sedis principatum oppugnare, et nequissimis catholicae Ecclesiae, eiusdemque Sedis hostibus omni opera studioque impudenter favere. Qui ecclesiastici viri a suis Antistitibus, et a Nobis, atque ab hac Sancta Sede desciscentes, et Subalpini Gubernii, eiusque Magistratuum favore, et auxilio freti eo temeritatis devenerunt, ut, ecclesiasticis censuris et poenis plane spretis, minime extimuerint, quasdam omnino improbandas Societates *Clerico-liberali*, *Di mutuo soccorso*, *Emancipatrice del Clero italiano* vulgo appellatas, aliasque eodem pravo spiritu animatas constituere, et quamvis a propriis Antistitibus merito interdicti a sacro ministerio obeundo, tamen minime pavent illud, veluti intrusi, in pluribus Templis perperam et illicite exercere. Quapropter et com-

memoratas detestandas societates, et improbam eorumdem ecclesiasticorum hominum agendi rationem reprobamus, damnamus. Atque eodem tempore hos infelices ecclesiasticos viros etiam atque etiam monemus, hortamur, ut resipiscant, et redeant ad cor, propriaeque saluti consulant, serio considerantes, quod « nullum ab aliis magis praeiudicium, quam » a Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad » aliorum correctionem posuit, dare de se exempla » pravitatis cernit » (1), ac diligenter meditantes, districtam ante tribunal Christi rationem aliquando esse reddendam. Faxit Deus, ut hi miseri ecclesiastici homines paternis Nostris monitis obtemperantes velint Nobis eam adhibere consolationem, quam Nobis afferunt illi utriusque Cleri viri, qui misere decepti, et in errorem inducti ad Nos in singulos dies confugiunt poenitentes, ac supplici prece errati veniam, et a censuris ecclesiasticis absolutionem humiliter enixeque implorantes.

Optime autem noscitis, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, impia omnis generis scripta e tenebris emissa, ac dolis, mendaciis, calumniis, et blasphemiis plena, et scholas acatholicis magistris traditas, et templa acatholico cultui destinata, ac multiplices alias diabolicas sane insidias, artes, conatus, quibus Dei hominumque hostes in misera Italia catholicam Ecclesiam, si fieri unquam posset, funditus evertere, ac populos, et improvidam praesertim iuventutem quotidie magis depravare, corrumpere, et ex omnium animis sanctissimam nostram

(1) S. Gregor. M. Homil. 17. in Evangel.

fidem religionemque radicitus extirpare connituntur. Itaque nihil dubitamus, quin Vos, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, confortati in gratia Domini Nostri Iesu Christi pro egregio vestro episcopali zelo pergatis, ut adhuc cum maxima vestri nominis laude fecistis, concordissimis animis et ingeminatis studiis constanter opponere murum pro Domo Israel, et certare bonum certamen fidei, et ab adversariorum insidiis fideles curae vestrae commissos defendere, illosque assidue monere, et exhortari, ut sanctissimam fidem, sine qua impossibile est placere Deo, et quam a Christo Domino per Apostolos tenet ac docet catholica Ecclesia, constantissime teneant, ac stabiles et immoti permaneant in divina nostra religione, quae una est vera, aeternamque parat salutem, ac civilem etiam societatem vel maxime sospitat atque fortunat. Quapropter ne desinatis per parochos praesertim, aliosque ecclesiasticos viros vitae integritate, morum gravitate, ac sana solidaque doctrina spectatos tum divini verbi praedicatione, tum catechesi populos curae vestrae traditos veneranda augustae nostrae religionis mysteria, doctrinam, praecepta, disciplinam continenter et accurate docere. Etenim apprime scitis, ingentem malorum partem ex divinarum rerum, quae ad salutem necessariae sunt, inscitia plerumque oriri, ac propterea probe intelligitis, omnem curam industriamque esse adhibendam, ut huiusmodi malum a populis depellatur.

Antequam vero huic Nostrae Epistolae finem faciamus, Nobis temperare non possumus, quin meritas Italiae Clero laudes tribuamus, qui ex parte

longe maxima Nobis et huic Petri Cathedrae, ac suis Antistitibus ex animo adhaerens a recta via minime declinavit, sed illustria suorum Antistitum exempla sequens, et asperrima quaeque patientissime perferens munere suo egregie perfungitur. Ea profecto spe nitimur fore, ut Clerus idem, divina auxiliante gratia, digne ambulans vocatione, qua vocatus est, splendidiora suae pietatis, ac virtutis specimina exhibere semper contendat.

Debito quoque laudum praeconio prosequimur tot Virgines Deo sacras, quae a propriis Monasteriis violenter exturbatae, ac suis redditibus spoliatae, et ad mendicitatem redactae haud tamen fregerunt fidem, quam Sponso dederunt, sed omni constantia tristissimam suam conditionem tolerantes non cessant diurnis nocturnisque precibus levare manus suas in sancta, Deum pro omnium et suorum etiam persecutorum salute obsecrantes, et misericordiam a Domino patienter expectantes.

Meritis etiam laudibus Italiae populos ornare gaudemus, qui catholicis sensibus egregie animati tot impias contra Ecclesiam molitiones detestantur, et filiali Nos, et hanc Sanctam Sedem, ac suos Antistites pietate, observantia, et obedientia prosequi vehementer gloriantur, quique gravissimis licet difficultatibus, ac periculis praepediti singularis sui erga Nos amoris, studiique significationes modis omnibus quotidie exhibere, et maximas Nostras, et Apostolicae huius Sedis angustias tum collatitia pecunia, tum aliis largitionibus sublevare non desistunt.

In tantis autem acerbitatibus, tantaque contra Ecclesiam excitata tempestate, ne despondeamus

unquam animum, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, cum « consilium nostrum, et fortitudo » sit Christus, ac sine quo nihil possumus, per » ipsum cuncta possimus, qui confirmans praedi» catores Evangelii, et Sacramentorum ministros, » ecce ego, inquit, vobiscum sum omnibus diebus » usque ad consummationem saeculi (1) », et cum certo sciamus, inferi portas nunquam esse praevalituras adversus Ecclesiam, quae semper stetit, stabitque immota, custode et vindice Christo Iesu Domino Nostro, qui eam aedificavit, et qui fuit *heri, et hodie, ipse et in saecula* (2).

Ne desinamus autem, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, ardentiore usque studio in humilitate cordis nostri orationes et postulationes Deo per Iesum Christum dies noctesque offerre, ut, hac turbulentissima tempestate depulsa, Ecclesia sua sancta a tantis calamitatibus respiret, et ubique terrarum optatissima pace ac libertate fruatur, et novos ac splendidiores de suis inimicis agat triumphos, utque omnes errantes divinae suae gratiae lumine perfusi ab erroris via ad veritatis, iustitiaeque iter revertantur, ac dignum poenitentiae fructum facientes perpetuum sancti sui nominis amorem et timorem habeant. Ut autem dives in misericordia Deus ferventissimis nostris precibus facilius annuat, invocemus potentissimum Immaculatae Sanctissimaeque Dei Genitricis Virginis Mariae patrocinium, ac suffragia petamus Sanctorum Apostolorum Petri et Paulli, omniumque Beatorum Caelitum, ut validis suis

(1) S. Leo Epist. 167. ad Rustic. Narbon. Episcop.
(2) S. Paul. Epist. ad Hebr. c. 13, v. 8.

apud Deum deprecationibus implorent omnibus misericordiam et gratiam in auxilio opportuno, et omnes calamitates et pericula, quibus Ecclesia ubique, ac potissimum in Italia affligitur, potenter avertant.

Denique certissimum singularis Nostrae in Vos benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, et gregi curae vestrae commisso peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 10 Augusti Anno 1863.

Pontificatus Nostri anno decimoctavo.

VENERABILIBVS FRATRIBVS ANTONIO ARCHIEPISCOPO S. FIDEI DE BOGOTA, ET EPISCOPIS EIVS SVFFRAGANEIS IN NEOGRANATENSI REPVBLICA

PIUS PAPA IX.

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Incredibili afflictamur dolore, et una Vobiscum ingemiscimus, Venerabiles Fratres, cum noscamus quibus nefariis, dirisque modis a Neogranatensis Reipublicae Gubernio catholica impetitur, pertubatur, ac dilaceratur Ecclesia. Equidem verbis satis exprimere haud possumus multiplices sacrilegosque ausus, quibus Gubernium idem gravissimas Nobis, et huic Apostolicae Sedi iniurias afferens sanctissimam nostram religionem, eiusque veneranda iura, doctrinam, cultum, sacrosque Ministros conculcare ac destruere contendit. Namque idem Gubernium duos praesertim ab hinc annos infandas edidit leges et decreta, quae catholicae Ecclesiae, eiusque doctrinae, auctoritati, iuribusque vel maxime adversantur. Hisce enim iniquissimis legibus ac decretis inter alia, sacri Ministri prohibiti sunt ecclesiasticum ministerium exercere sine civilis potestatis venia, et omnia Ecclesiae bona usurpata, divendita, ac propterea parochiae, et Religiosae utriusque sexus Familiae, et Clerus, ac Valetudinaria, Domusque refugii, piae-

que Sodalitates, Beneficia, et Cappellaniae etiam iuris patronatus suis redditibus spoliatae. Atque per easdem iniustissimas leges, et decreta legitimum Ecclesiae acquirendi, ac possidendi ius omnino oppugnatum, et cuiusque acatholici cultus libertas sancita, et omnes utriusque sexus Religiosae Familiae in Neogranatensi territorio morantes de medio sublatae, earumque existentia plane interdicta, et vetita etiam omnium Litterarum, et cuiusque Apostolicae huius Sedis Rescripti promulgatio, et exilii poena ecclesiasticis viris, laicis vero multae et carceris indicta, si huic ordinationi obedire recusaverint. Insuper eisdem detestandis legibus ac decretis statuitur, ut utriusque Cleri viri exilii poena afficiantur, qui legi circa bonorum Ecclesiae spoliationem obtemperare detrectaverint, utque omnes ecclesiastici homines sacri ministerii munia obire minime queant, nisi primum iuraverint, se Neogranatensis Reipublicae constitutioni, cunctisque illius legibus Ecclesiae tantopere adversis iam editis, et in posterum edendis obsequi, ac simul exilii poena iis omnibus infligitur, qui huiusmodi impium illicitumque iusiurandum praestare minime voluerint. Haec et alia multa omnino iniusta et impia, quae singillatim commemorare taedet, contra Ecclesiam a Neogranatensis Reipublicae Gubernio, proculcatis omnibus divinis, humanisque iuribus, sunt constituta.

Cum autem vos, Venerabiles Fratres, pro egregia vestra religione, et virtute haud omiseritis tum voce, tum scriptis constanter obsistere tot iniquis sacrilegisque eiusdem Gubernii ausibus, et decretis,

atque Ecclesiae causam et iura impavide propugnare, tum eiusdem Gubernii furor in Vos, omnesque ecclesiasticos viros Vobis addictos, ac proprii officii, et vocationis memores, et in omnia, quae ad Ecclesiam pertinent, saevire non destitit. Quapropter Vos fere omnes miserandum in modum afflicti, ac militari manu comprehensi a vestro grege violenter distracti, in vincula coniecti, in exilium pulsi, et in pestiferi aeris regiones amandati, et ecclesiastici viri, ac Religiosarum Familiarum alumni pravis Gubernii ordinationibus merito obstantes vel in carcerem detrusi, vel exilio multati mortem occubuere, vel in silvis vitam agere coacti sunt. Cum vero omnes Virgines Deo devotae ab ipso Gubernio furenter, crudeliterque a propriis Monasteriis expulsae, et ad rerum omnium inopiam redactae, fuerint a piis fidelibus tristissima illarum conditione vehementer commotis humaniter in proprias domos receptae et admissae, id aegerrime ferens Gubernium minitatur, velle illas ex eorumdem fidelium domibus expellere ac disperdere. Hinc sacra Templa et Coenobia nudata, spoliata, polluta, et in militarium stationum usum commutata, eorumque sacra supellex, et ornamenta direpta, hinc sacrorum cultus sublatus, et christianus populus legitimis suis pastoribus orbatus, omnibusque divinae nostrae religionis praesidiis misere destitutus, cum summa Nostra, Vestraque aegritudine in maximo aeternae salutis discrimine versatur. Ecquis catholicis, humanisque sensibus animatus non vehementer ingemiscet, cum videat a Neogranatensi Gubernio tam gravi, tamque crudeli persecutione catholicam Ecclesiam, eius-

que doctrinam, auctoritatem, sacrasque personas oppugnari, ac tantas ab ipso supremae Nostrae, et Apostolicae huius Sedis auctoritati iniurias et contumelias inferri?

Atque illud vel maxime dolendum, Venerabiles Fratres, quod nonnulli ecclesiastici homines existere potuerint, qui pravis ipsius Gubernii legibus et consiliis obsequi, favere, et commemoratum illicitum obedientiae iuramentum praestare non dubitarunt cum maximo Nostro, vestroque moerore, et bonorum omnium admiratione ac luctu.

In hac igitur tanta rei catholicae clade, tantaque animarum pernicie Apostolici Nostri officii probe memores, ac de omnium Ecclesiarum bono vel maxime solliciti, et Nobis, uti olim Prophetae, indictum existimantes « Clama ne cesses, quasi tuba » exalta vocem tuam, et annuntia populo meo sce» lera eorum, et domui Iacob peccata eorum (1) », hisce Litteris Apostolicam Nostram attollentes vocem, omnia gravissima damna et iniurias a Neogranatensi Gubernio Ecclesiae, eiusque sacris personis ac rebus, et huic Sanctae Sedi illatas incessanter querimur, et gravissime exprobramus. Atque omnia et singula, quae sive in his, sive in aliis rebus ad Ecclesiam, eiusque ius spectantibus ab eodem Neogranatensi Gubernio, et ab inferioribus quibusque illius Magistratibus decreta, gesta, seu quomodolibet attentata sunt, auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, damnamus, et leges ac decreta ipsa cum omnibus inde sequutis eadem Nostra auctoritate abro-

(1) Isaias c. 58 v. I.

gamus, et irrita prorsus, ac nullius roboris fuisse, et fore declaramus. Ipsos autem illorum auctores etiam atque etiam in Domino obtestamur, ut tandem aliquando suos oculos aperiant super gravissima vulnera Ecclesiae imposita, ac simul recordentur, serioque considerent censuras et poenas, quas Apostolicae Constitutiones, et Generalium Conciliorum Decreta contra Ecclesiae iurium invasores facto ipso incurrendas infligunt, et iccirco animae suae misereantur prae oculis habentes « quoniam durissimum iis, qui praesunt, fiet iudicium (1) ». Atque etiam omni studio illos ecclesiasticos viros, qui Gubernio faventes a proprio officio misere declinarunt, monemus, et exhortamur, ut sanctam suam vocationem animo reputantes in iustitiae, veritatisque viam redire properent, et illorum ecclesiasticorum hominum exempla aemulentur, qui etiamsi infeliciter lapsi praescriptum a Gubernio obedientiae iuramentum praestiterunt, tamen cum ingenti Nostro, ac suorum Antistitum gaudio idem iusiurandum retractare, ac damnare gloriati sunt.

Interim vero amplissimas meritasque Vobis tribuimus laudes, Venerabiles Fratres, qui laborantes sicut boni milites Christi Iesu, ac strenue in agone certantes singulari constantia et fortitudine, quoad per Vos fieri potuit, seu voce, seu Litteris Ecclesiae causam, eiusque doctrinam, iura, libertatem, defendere, vestrique gregis saluti accurate consulere, eumque contra impias inimicorum hominum molitiones, et circumstantia religionis pericula praemu-

(1) Sap. 8.

nire haud omiseritis, gravissimas omnes iniurias, molestias, et asperrima quaeque episcopali robore tolerantes. Itaque dubitare non possumus, quin pari studio et contentione, quantum in Vobis est, pergatis, ut adhuc cum maxima vestri nominis laude fecistis, divinae nostrae Religionis causam propugnare, et fidelium saluti prospicere.

Debitas quoque laudes deferimus fideli Neogranatensis Reipublicae Clero, qui suae vocationis servantissimus, et Nobis, atque huic Petri Cathedrae, suisque Antistitibus addictus propter Ecclesiam, veritatem et iustitiam tam vehementer exagitatus immanem omnis generis insectationem patientissime est perpessus et patitur.

Non possumus quin admiremur et laudemus tot Virgines Deo sacras, quae etiamsi a suis monasteriis violenter expulsae, et ad tristem egestatem redactae, tamen caelesti Sponso firmiter adhaerentes, ac miserrimam, in qua versantur, conditionem christiana virtute perferentes, non cessant dies noctesque effundere corda sua coram Deo, Eumque humiliter enixeque pro omnium, ac suorum etiam persecutorum salute exorare. Collaudamus item catholicum Neogranatensis Reïpublicae populum, qui ex parte longe maxima in veteri suo erga catholicam Ecclesiam, ac Nos, et hanc Apostolicam Sedem, et erga suos Antistites amore, fide, reverentia et obedientia perseverat.

Ne cessemus autem, Venerabiles Fratres, adire cum fiducia ad thronum gratiae, et humillimis ac ferventissimis precibus misericordiarum Patrem ac Deum totius consolationis sine intermissione orare et obsecrare, ut exurgat et iudicet causam suam, et Ecclesiam suam sanctam a tantis, quibus istic, et ubique

fere orbis premitur, calamitatibus eripiat, eamque opportuno auxilio soletur, et optatissimam diu in tot tantisque adversis serenitatem, et pacem clementissime largiatur, omniumque misereatur secundum magnam misericordiam suam, atque omnipotenti sua virtute efficiat, ut omnes populi, gentes, nationes Ipsum, et Unigenitum Filium suum Dominum Nostrum Iesum Christum una cum Sancto Spiritu agnoscant, adorent, timeant, ac ex toto corde, anima ac mente diligant, et omnia divina mandata ac praecepta religiose observantes, ut filii lucis ambulent in omni bonitate, iustitia, et veritate.

Demum omnium caelestium munerum auspicem, et certissimum praecipuae Nostrae in Vos benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem ex imo corde depromptam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, et gregi vestrae vigilantiae concredito peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 17 Septembris anno 1863. Pontificatus Nostri anno decimoctavo.

PIUS PAPA IX.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Quod jampridem ab hac Apostolica Sede communia fidelium vota precesque postulaverant, quodque ad augendam in terris Beatissimae Genitricis Dei gloriam maxime pertinebat, id Nos tandem divino adflante Spiritu praestitimus, quum sexto Idus Decembris anni millesimi octingentesimi quinquagesimi quarti in Patriarchali Basilica Nostra Vaticana frequentissima adstante S. R. E. Cardinalium, et Sacrorum Antistitum corona, pronunciavimus, declaravimus, ac definivimus doctrinam, quae tenet Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari Dei Omnipotentis gratia, et privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi Redemptoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam, esse a Deo revelatam, atque iccirco ab omnibus fidelibus firmiter, constanterque credendam. Difficile porro dictu est quanto exinde gaudio perfusi fuerint universi Catholici Orbis Antistites cum Clero suo, nec non Principes viri, ceterique cujuscumque ordinis fideles, quippe qui inflammato studio ducti honore debito prosequendi immaculatam Virginem Genitricem Dei Mariam majorum exempla aemulati, idipsum novissima hac aetate iteratis precibus ab hac Sancta Sede imploraverant. Nos quidem vix dum ad universae Ecclesiae regimen meritis licet imparibus evecti fuimus id praecipue curavimus ut

secundum Ecclesiae vota ea perageremus quae ad augendum Deiparae Virginis cultum pertinerent, utque excellentissimae illius dotes et collata divinitus privilegia, atque ornamenta fidelium oculis clarius nitescerent; qua de causa novum ecclesiasticum Officium, novamque Missam approbavimus, ut solemnius celebraretur festum Beatissimae Virginis sine labe originali conceptae; atque ita arcano Dei consilio non intermissis hujusmodi curis via quodammodo sterni visa est ad solemne edendum decretum, quod de immaculato Deiparae conceptu memorata die atque anno pronunciavimus. Verumtamen quoniam necessarium esse novimus ut cum lege credendi lex conveniat supplicandi, iccirco eo curas Nostras convertimus ut novum conderetur Officium cum nova Missa tam in Vigilia, ubi concessa est, quam in festo immaculatae Conceptionis, quibus singula haec ex ordine recolantur, et faustissimi eventus series futuris in posterum aetatibus innotescat. Jamvero quum hujusmodi opus ad optatum exitum perductum sit memoratum Officium, Missamque respondentem de consilio peculiaris Congregationis Sacrorum Rituum ad id apposite per Nos deputatae auctoritate Nostra Apostolica approbandum existimavimus. Itaque de ejusdem Congregationis consilio, certa scientia, ac matura deliberatione Nostra idem Officium, Missamque Officio respondentem, nec non pro locis, ubi est concessa, Missam pro Vigilia immaculatae Conceptionis auctoritate Nostra Apostolica per praesentes Litteras probamus, eademque auctoritate praecipimus, ut hoc unice Officium et Missam quicumque de Clero saeculari, et regulari, non exclusis Monia-

libus, ad Horas Canonicas persolvendas quocumque titulo teneantur, adsumere debeant, Romae quidem, atque ubi fieri commode possit, hoc ipso anno vertente, alibi vero sequenti anno MDCCCLXIV sub poena Divini Officii onus minime adimplendi. Nequis vero reputet peculiari quocumque titulo etiam speciatim designando huiusmodi generali praescriptione minime comprehendi, auctoritate Nostra Apostolica abolemus, et proscribimus quodcumque aliud Officium, et quamcumque aliam Missam de immaculata Conceptione, etiam si sint ritus a Romano diversi, ac licet singulari privilegio concessa fuerint, etiam cuicumque Ordini regulari, ac jubemus, ut in novis editionibus Breviarii et Missalis hoc unice apponatur Officium in corpore Breviarii, et Missa imprimatur in corpore Missalis die VIII Decembris; in appendice vero Missalis Missa de Vigilia adiiciatur pro locis, ubi ex Apostolica concessione vigilia celebratur. Et quoniam nonnullae Regularium familiae ritum servant a Romano diversum, volumus ut ipsae quantocius exhibere teneantur Congregationi Sacrorum Rituum pro opportuno examine et revisione additiones, aut variationes proprio ritui respondentes. Haec volumus, jubemus, mandamus, contrariis, speciali licet atque individua mentione dignis, non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXV Septembris MDCCCLXIII Pontificatus Nostri Anno Decimoctavo.

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI

PIUS PP. IX.

VENERABILI FRATRI PETRO ANTONIO EPISCOPO POPAYANENSI
IN NEOGRANATENSI REPUBLICA.

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Etsi maximo affligtemur dolore ob tristissimam in ista Neogranatensi Republica augustae nostrae Religionis conditionem, quemadmodum Nostra Encyclica Epistola die 7. proxime elapsi mensis Septembris ad omnes Venerabiles Fratres eiusdem Reipublicae Sacrorum Antistites scripta palam publiceque declaravimus, tamen ubi hisce diebus Tuas accepimus Litteras die 18 proximi mensis Augusti ad Nos datas, et Conventionem a Te cum isto Neogranatensi Gubernio perperam initam, paterni animi Nostri aegritudo maiorem in modum est aucta. Etenim magis magisque novimus hostilem sane spiritum, quo idem Gubernium in catholicam Ecclesiam est animatum, et quomodo in dies veneranda ipsius Ecclesiae iura, auctoritatemque invadere, conculcare non desinit eo spectans, ut Ecclesiam ipsam in turpissimam civilis potestatis servitutem omnino redigat. Enimvero ecquis non vehementer plorabit videndo inter alia Episcopum ab eodem Gubernio fere coactum fuisse ad ineundam Conventionem catholici cultus tuendi causa ad normam tamen Constitutionis legum, decretorum Reipublicae, etiamsi

illa Ecclesiae, eiusque iuribus maxime adversentur? Nemo autem catholicis sensibus praeditus non ingemiscet, cum noscat, Episcopum debere Gubernii examini et approbationi subiicere vel ipsas eleemosynas, aliasque pias largitiones vel a fidelibus sponte oblatas, vel ex Ecclesiae praescripto aut consuetudine debitas ad sustentandum Clerum ab eodem Gubernio per summam iniustitiam propriis bonis spoliatum, ipsumque Episcopum etiam debere iis tantum ecclesiasticis viris opportunas ad sacrum ministerium obeundum tribuere facultates, quos Gubernium pro suo arbitrio ad sacras aedes designaverit, quae vel derelictae fuere, vel derelinquentur a propriis Rectoribus, qui a Gubernio in exilium iam pulsi sunt, aut eiicientur. Haec luctuosissima sane et nunquam satis improbanda ab iis patrantur, qui nolunt, quemadmodum omnino deberent, Ecclesiam veluti matrem et magistram agnoscere, et venerari, sed ausu temerario, ac prorsus sacrilego ipsius Ecclesiae auctoritatem attentare et impetere non reformidant. Quocirca haec Apostolica Sedes ad huiusmodi gravissima mala amovenda nunquam permisit, ut Episcopi suo arbitrio cum Gubernis conventiones inirent, sibique ius reservavit illas conficiendi, ut suprema sua auctoritate Ecclesiae iura sarta tecta servaret, et a praepotenti laicae potestatis arbitrio vindicaret. Equidem dissimulare non possumus, Venerabilis Frater, hanc Tuam agendi rationem, quae bonis omnibus scandalo fuit, summum Nobis attulisse moerorem. Namque etiamsi in maximis difficultatibus esses constitutus, tamen pro gravissimi episcopalis Tui muneris officio tot sacrilegis istius Gubernii ausi-

bus strenue obstare, et Ecclesiae causam defendere omnino debebas, quemadmodum alii Venerabiles Fratres istius Neogranatensis Reipublicae Sacrorum Antistites omni laude dignissimi egerunt. Ac scito a Nobis plane reprobari ac damnare Conventionem a Te cum isto Gubernio factam, quae Ecclesiae, eiusque iuribus tantopere adversatur, quaeque a Te sine Nostra, et huius Sanctae Sedis venia fieri nunquam poterat. Iam vero relatum ad Nos est, Te non solum pure ac simpliciter sine ulla exceptione iniquum iurasse iusiurandum ab isto Gubernio praescriptum, verum etiam istius Tuae Dioecesis Presbyteris in mandatis dedisse, ut iuramentum idem omnino praestent. Credere vix possumus, Venerabilis Frater, Te adeo episcopalis Tuae dignitatis et officii esse oblitum, ut haud extimueris hoc etiam gravi reatu Tuam conscientiam coram Deo et hominibus onerare. Itaque pro supremi Nostri Apostolici ministerii munere, et paterna Nostra in Te caritate Te etiam atque etiam monemus, hortamur, et obtestamur, ut Tuae conscientiae serio consulas, et meliori, quo fieri potest, modo scandalum reparare studeas, quod tum ex Conventione a Te cum Gubernio inita, tum ex iuramento a Te praestito in fideles redundavit, utque ipsam Conventionem, et iuramentum retractes, ac reprobes. Ea profecto spe sustentamur fore, Venerabilis Frater, ut animae Tuae miseratus hisce Nostris monitis et mandatis diligentissime obsequi velis, prae oculis potissimum habens, districtam aliquando rationem ante tribunal Christi Tibi esse reddendam. Ut autem haec omnia facilius et accuratius agere queas, vehementer optamus, ut cum Venerabili Fratre

Antonio Archiepiscopo S. Fidei de Bogota Tua conferas consilia. Denique Apostolicam Benedictionem Tibi ipsi, Venerabilis Frater, et gregi Tuae curae commisso peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 30 Novembris anno 1863. Pontificatus Nostri anno decimoctavo.

VENERABILI FRATRI GREGORIO ARCHIEPISCOPO MONACENSI ET FRISINGENSI.

PIUS PAPA IX.

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Tuas libenter accepimus Litteras, die 7 proxime elapsi mensis Octobris datas, ut Nos certiores faceres de Conventu in ista Monacensi civitate proximo mense septembri a nonnullis Germaniae Theologis, doctisque catholicis viris habito de variis argumentis, quae ad theologicas praesertim ac philosophicas tradendas disciplinas pertinent. Ex Litteris Tibi Nostro iussu scriptis a Venerabili Fratre Matthaeo Archiepiscopo Neocaesariensi Nostro, et Apostolicae huius Sedis apud istam Regiam Aulam Nuntio vel facile noscere potuisti, Venerabilis Frater, quibus Nos sensibus affecti fuerimus, ubi primum de hoc proposito Conventu nuntium accepimus, et postquam agnovimus quomodo commemorati Theologi, et viri ad huiusmodi Conventum invitati et congregati fuere. Nihil certe dubitare volebamus de laudabili fine, quo huius Conventus auctores, fautoresque permoti fuere, ut scilicet omnes catholici viri doctrina praestantes, collatis consiliis, coniun-

ctisque viribus, germanam catholicae Ecclesiae scientiam promoverent, eamque a nefariis, ac perniciosissimis tot adversariorum opinionibus conatibusque vindicarent, et defenderent. Sed in hac sublimi Principis Apostolorum Cathedra licet immerentes collocati asperrimis hisce temporibus, quibus Sacrorum Antistitum auctoritas, si unquam alias, ad unitatem et integritatem catholicae doctrinae custodiendam vel maxime est necessaria, et ab omnibus sarta tecta servari debet, non potuimus non vehementer mirari videntes memorati Conventus invitationem privato nomine factam et promulgatam, quin ullo modo intercederet impulsus, auctoritas, et missio ecclesiasticae potestatis, ad quam proprio, ac nativo iure unice pertinet advigilare ac dirigere theologicarum praesertim rerum doctrinam. Quae sane res, ut optime noscis, omnino nova, ac prorsus inusitata in Ecclesia est. Atque iccirco voluimus, Te, Venerabilis Frater, noscere hanc Nostram fuisse sententiam, ut cum a Te, tum ab aliis Venerabilibus Fratribus Sacrorum in Germania Antistitibus probe iudicari posset de scopo per Conventus programma enuntiato, si nempe talis esset, ut veram Ecolesiae utilitatem afferret. Eodem autem tempore certi eramus, Te, Venerabilis Frater, pro pastorali Tua sollicitudine ac zelo omnia consilia et studia esse adhibiturum, ne in eodem Conventu tum catholicae fidei ac doctrinae integritas, tum obedientia, quam omnes cuiusque classis et conditionis catholici homines Ecclesiae auctoritati ac magisterio praestare omnino debent, vel minimum detrimentum caperent. Ac dissimulare non possumus, non levibus Nos angustiis affectos fuisse, quandoqui-

dem verebamur, ne huiusmodi Conventu sine ecclesiastica auctoritate congregato exemplum praeberetur sensim usurpandi aliquid ex iure ecclesiastici regiminis, et authentici magisterii, quod divina institutione proprium est Romano Pontifici, et Episcopis in unione et consensione cum ipso S. Petri Successore, atque ita, ecclesiastico ordine perturbato, aliquando unitas, et obedientia fidei apud aliquos labefactaretur. Atque etiam timebamus, ne in ipso Conventu quaedam enunciarentur, ac tenerentur opiniones et placita, quae in vulgus praesertim emissa et catholicae doctrinae puritatem, et debitam subiectionem in periculum ac discrimen vocarent. Summo enim animi Nostri dolore recordabamur, Venerabilis Frater, hanc Apostolicam Sedem pro gravissimi sui muneris officio debuisse ultimis hisce temporibus censura notare, ac prohibere nonnullorum Germaniae scriptorum opera, qui cum nescirent decedere ab aliquo principio, seu methodo falsae scientiae, aut hodiernae fallacis philosophiae, praeter voluntatem, uti confidimus, inducti fuere ad docendas doctrinas dissentientes a vero nonnullorum sanctissimae fidei nostrae dogmatum sensu et interpretatione, quique errores ab Ecclesia iam damnatos e tenebris excitarunt, et propriam divinae revelationis et fidei indolem et naturam in alienum omnino sensum explicaverunt. Noscebamus etiam, Venerabilis Frater, nonnullos ex catholicis, qui severioribus disciplinis excolendis operam navant, humani ingenii viribus nimium fidentes errorum periculis haud fuisse absterritos, ne in asserenda fallaci, et minime sincera scientiae libertate abriperentur ultra limites, quos praetergredi non sinit obedientia debita erga

magisterium Ecclesiae ad totius revelatae veritatis integritatem servandam divinitus institutum. Ex quo evenit, ut huiusmodi catholici misere decepti et iis saepe consentiant, qui contra huius Apostolicae Sedis, ac Nostrarum Congregationum decreta declamant, ac blaterant, ea liberum scientiae progressum impedire, et periculo se exponunt sacra illa frangendi obedientiae vincula, quibus ex Dei voluntate eidem Apostolicae huic obstringuntur Sedi, quae a Deo ipso veritatis magistra, et vindex fuit constituta. Neque ignorabamus, in Germania etiam falsam invaluisse opinionem adversus veterem scholam, et adversus doctrinam summorum illorum Doctorum, quos propter admirabilem eorum sapientiam, et vitae sanctitatem universalis veneratur Ecclesia. Qua falsa opinione ipsius Ecclesiae auctoritas in discrimen vocatur, quandoquidem ipsa Ecclesia non solum per tot continentia saecula permisit, ut ex eorumdem Doctorum methodo, et ex principiis communi omnium catholicarum scholarum consensu sancitis theologica excoleretur scientia, verum etiam saepissime summis laudibus theologicam eorum doctrinam extulit, illamqne veluti fortissimum fidei propugnaculum et formidanda contra suos inimicos arma vehementer commendavit. Haec sane omnia pro gravissimi supremi Nostri Apostolici ministerii munere, ac pro singulari illo amore, quo omnes Germaniae catholicos, carissimam Dominici gregis partem, prosequimur, Nostrum sollicitabant, et angebant animum tot aliis pressum angustiis ubi, accepto memorati Conventus nuntio, res supra expositas Tibi significandas curavimus. Postquam vero per brevissimum nuntium ad Nos

41

relatum fuit, Te, Venerabilis Frater, huiusce Conventus auctorum precibus annuentem tribuisse veniam celebrandi eumdem Conventum, ac sacrum solemni ritu peregisse, et consultationes in eodem Conventu iuxta catholicae Ecclesiae doctrinam habitas fuisse, et postquam ipsius Conventus viri per eumdem nuntium Apostolicam Nostram imploraverunt Benedictionem, nulla interposita mora, piis illorum votis obsecundavimus. Summa vero anxietate Tuas expectabamus Litteras, ut a Te, Venerabilis Frater, accuratissime noscere possemus ea omnia, quae ad eumdem Conventum quovis modo possent pertinere. Nunc autem cum a Te acceperimus, quae scire vel maxime cupiebamus, ea spe nitimur fore, ut huiusmodi negotium, quemadmodum asseris, Deo auxiliante, in maiorem catholicae in Germania Ecclesiae utilitatem cedat. Equidem cum omnes eiusdem Conventus viri, veluti scribis, asseruerint, scientiarum progressum, et felicem exitum in devitandis ac refutandis miserrimae nostrae aetatis erroribus omnino pendere ab intima erga veritates revelatas adhaesione, quas catholica docet Ecclesia, ipsi noverunt, ac professi sunt illam veritatem, quam veri catholici scientiis excolendis et evolvendis dediti semper tenuere, ac tradiderunt. Atque hac veritate innixi potuerunt ipsi sapientes, ac veri catholici viri scientias easdem tuto excolere, explanare, easque utiles certasque reddere. Quod quidem obtineri non potest, si humanae rationis lumen finibus circumscriptum eas quoque veritates investigando, quas propriis viribus et facultatibus assequi potest, non veneretur maxime, ut par est, infallibile et

increatum Divini intellectus lumen, quod in christiana revelatione undique mirifice elucet. Quamvis enim naturales illae disciplinae suis propriis ratione cognitis principiis nitantur, catholici tamen earum cultores divinam revelationem veluti rectricem stellam prae oculis habeant oportet, qua praelucente sibi a syrtibus et erroribus caveant, ubi in suis investigationibus, et commentationibus animadvertant, posse se illis adduci, ut saepissime accidit, ad ea proferenda, quae plus minusve adversetur infallibili rerum veritati, quae a Deo revelatae fuere. Hinc dubitare nolumus, quin ipsius Conventus viri commemoratam veritatem noscentes, ac profitentes uno eodemque tempore plane reiicere ac reprobare voluerint recentem illam ac praeposteram philosophandi rationem, quae etiamsi divinam revelationem veluti historicum factum admittat, tamen ineffabiles veritates ab ipsa divina revelatione propositas humanae rationis investigationibus supponit, perinde ac si illae veritates rationi subiectae essent, vel ratio suis viribus et principiis posset consequi intelligentiam et scientiam omnium supernarum sanctissimae fidei nostrae veritatum, et mysteriorum, quae ita supra humanam rationem sunt, ut haec nunquam effici possit idonea ad illa suis viribus, et ex naturalibus suis principiis intelligenda, aut demonstranda. Eiusdem vero Conventus viros debitis prosequimur laudibus, propterea quod reiicientes, uti existimamus, falsam inter philosophum et philosophiam distinctionem, de qua in aliis Nostris Litteris ad Te scriptis loquuti sumus, noverunt, et asseruerunt, omnes catholicos in doctis suis commentationibus

debere ex conscientia dogmaticis infallibilis catholicae Ecclesiae obedire decretis. Dum vero debitas illis deferimus laudes, quod professi sint veritatem, quae ex catholicae fidei obligatione necessario oritur, persuadere Nobis volumus, noluisse obligationem, qua catholici Magistri, ac Scriptores omnino adstringuntur, coarctare in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae iudicio, veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur. Atque etiam Nobis persuademus, ipsos noluisse declarare, perfectam illam erga revelatas veritates adhaesionem, quam agnoverunt necessariam omnino esse ad verum scientiarum progressum assequendum, et ad errores confutandos, obtineri posse, si dumtaxat Dogmatibus ab Ecclesia expresse definitis fides, et obsequium adhibeatur. Namque etiamsi ageretur de illa subiectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum Conciliorum, aut Romanorum Pontificum, huiusque Apostolicae Sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis Theologis ad fidem pertinere retinentur. Sed cum agatur de illa subiectione, qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiae afferant utilitates, iccirco eiusdem Conventus viri recognoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut praefata Ecclesiae dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse, ut se subiiciant tum decisionibus, quae ad do-

ctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferentur, tum iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti Catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae, quamquam haereticae dici nequant, tamen aliam theologicam merentur censuram. Itaque haud existimamus viros, qui commemorato Monacensi interfuere Conventui, ullo modo potuisse, aut voluisse obstare doctrinae nuper expositae, quae ex verae theologiae principiis in Ecclesia retinetur, quin immo ea fiducia sustentamur fore, ut ipsi in severioribus excolendis disciplinis velint ad enunciatae doctrinae normam se diligenter conformare. Quae Nostra fiducia praesertim nititur iis Litteris, quas per Te, Venerabilis Frater, Nobis miserunt. Siquidem eisdem Litteris cum summa animi Nostri consolatione ipsi profitentur, sibi in cogendo Conventu mentem nunquam fuisse vel minimam sibi arrogare auctoritatem, quae ad Ecclesiam omnino pertinet, ac simul testantur, noluisse eumdem dimittere Conventum, quin primum declararent summam observantiam, obedientiam, ac filialem pietatem, qua Nos et hanc Petri cathedram catholicae unitatis centrum prosequuntur. Cum igitur hisce sensibus supremam Nostram, et Apostolicae huius Sedis potestatem, auctoritatemque ipsi recognoscant, ac simul intelligant, gravissimum officium Nobis ab ipso Christo Domino commissum regendi, ac moderandi universam suam Ecclesiam, ac pascendi omnem suum gregem salutaris doctrinae pascuis, et continenter advigilandi, ne sanctissima fides, eiusque doctrina ullum unquam

detrimentum patiatur, dubitare non possumus, quin ipsi severioribus disciplinis excolendis, tradendis, sanaeque doctrinae tuendae operam navantes uno eodemque tempore agnoscant, se debere et religiose exsequi regulas ab Ecclesia semper servatas, et obedire omnibus decretis, quae circa doctrinam a suprema Nostra Pontificia auctoritate eduntur. Haec autem omnia Tibi communicamus, ac summopere optamus, ut ea iis omnibus significes viris, qui in memorato Conventu fuere, dum, si opportunum esse censuerimus, haud omittemus alia Tibi, et Venerabilibus Fratribus Germaniae Sacrorum Antistitibus hac super re significare, postquam Tuam, et eorumdem Antistitum sententiam intellexerimus de huiusmodi Conventuum opportunitate. Demum pastoralem Tuam sollicitudinem, ac vigilantiam iterum vehementer excitamus, ut una cum aliis Venerabilibus Fratribus Sacrorum in Germania Antistitibus curas omnes, cogitationesque in tuendam et propagandam sanam doctrinam assidue conferas. Neque omittas omnibus inculcare, ut profanas omnes novitates diligenter devitent, neque ab illis se decipi unquam patiantur, qui falsam scientiae libertatem, eiusque non solum verum profectum, sed etiam errores tamquam progressus impudenter iactant. Atque pari studio et contentione ne desinas omnes hortari, ut maxima cura, et industria in veram christianam et catholicam sapientiam incumbant, atque, uti par est, in summo pretio habeant veros solidosque scientiae progressus, qui, sanctissima ac divina fide duce, et magistra, in catholicis scholis habiti fuerunt, utque theologicas praesertim disciplinas ex-

colant secundum principia, et constantes doctrinas, quibus unanimiter innixi sapientissimi Doctores immortalem sibi nominis laudem, et maximam Ecclesiae, et scientiae utilitatem, ac splendorem pepererunt. Hoc sane modo catholici viri in scientiis excolendis poterunt, Deo auxiliante, magis in dies, quantum homini fas est, noscere, evolvere, et explanare veritatum thesaurum, quas in naturae et gratiae operibus Deus posuit, ut homo postquam illas rationis fidei lumine notaverit, suamque vitam ad eas sedulo conformaverit, possit in aeternae gloriae claritate summam veritatem, Deum scilicet, sine ullo velamine intueri, Eoque felicissime in aeternum perfrui et gaudere. Hanc autem occasionem libentissimo animo amplectimur, ut denuo testemur et confirmemus praecipuam Nostram in Te caritatem. Cuius quoque pignus esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam effuso cordis affectu Tibi ipsi, Venerabilis Frater, et gregi Tuae curae commisso peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 21 Decembris Anno 1863.

Pontificatus Nostri Anno Decimoctavo

DILECTO FILIO NOSTRO LUDOVICO PRESBYTERO
S. R. E. CARDINALI DE BONALD ARCHIEPISCOPO LUGDUNENSI.

PIUS PP. IX.

DILECTE FILI NOSTER
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Non mediocri animi Nostri molestia noscebamus, Dilecte Fili Noster, antiquam Lugdunensis Ecclesiae Liturgiam pluribus mendis misere fuisse corruptam ab uno ex Tuis Praedecessoribus, qui id agere minime dubitavit non solum contra sapientissimam Sancti Decessoris Nostri Pii V Constitutionem incipientem « *Quod a Nobis postulat* », ac septimo Idus Iulii anno millesimo quingentesimo sexagesimo octavo editam, cui universus catholici orbis clerus obedire tenetur, verum etiam contra sententiam et expostulationes Collegii illius temporis Metropolitani Lugdunensis Templi Canonicorum, qui adversus novitates ab eodem Tuo Praedecessore in ipsam Liturgiam perperam inductas solemni modo reclamare, ac protestari haud omiserunt. Nos itaque de illustris Lugdunensis Ecclesiae splendore, deque commemoratae Pii V Constitutionis observantia vehementer solliciti Te, Dilecte Fili Noster, omni studio excitavimus, ut praeclara omnium fere clarissimorum Galliae Sacrorum Antistitum exempla ae-

mulans, Nostrisque obsequens desideriis Romani Missalis, et Breviarii usum in Lugdunensem Dioecesim Tuae curae commissam induceres. Atque eodem tempore Tibi significavimus, a Nobis permitti, ut vetus Lugdunensis Ecclesiae Liturgia ab omni tamen labe purgata posset etiam in posterum conservari. Quibus iustissimis Nostris votis pro eximia Tua erga Nos et hanc Apostolicam Sedem fide et reverentia obsecundans, ac probe noscens, quomodo Lugdunensis Tuae Ecclesiae Liturgia fuisset deformata, manum operi summa alacritate, libentissimoque animo admovisti, ac propria Tuae Dioecesis Sanctorum, uti vocant, officia una cum Kalendario conficienda curasti. Hinc, Dilecte Fili Noster, Romam Te contulisti, ut omnia supremo Nostro, et huius Sanctae Sedis iudicio ex maiorum more subiiceres, et huiusmodi negotium ad optatum exitum adduceres. Nos igitur idem Kalendarium et officia Nostrae Congregationi legitimis ritibus cognoscendis praepositae examinanda commisimus, eidemque Congregationi in mandatis dedimus, ut priscam Lugdunensis Ecclesiae Liturgiam ab omnibus novitatibus, quibus illam Tuus Praedecessor infecerat, diligenter expurgaret. Rebus autem omnibus ab eadem Congregatione diligentissimo examine perpensis, et accurate ad Nos delatis, veluti optime agnoscis, statutum fuit, ut in Lugdunensem Dioecesim Romanum Missale et Breviarium sensim induceretur, utque vetusta Lugdunensis Ecclesiae Liturgia, omnibus mendis penitus eliminatis, posset futuris quoque temporibus servari. Dum vero ea spe nitebamur fore, ut huiusmodi res, quae bonis omnibus, ac

praesertim Lugdunensibus summam attulit laetitiam, secundum Nostra ac Tua desideria sine ulla molestia prospere succederet, dolere debuimus improbandam nonnullorum Lugdunensium Parochorum agendi rationem. Hi enim vel ab ipso huiusce negotii exordio minime veriti sunt in hac re, cuius iudicium ad supremam Nostram et Apostolicae huius Sedis auctoritatem unice pertinet, Nostrae ac Tuae voluntati obsistere. Neque extimuerunt tum per libellos typis editos, et erroribus infectos, et in hanc Sanctam Sedem, ac in Venerabiles Fratres Galliae Sacrorum Antistites maxime iniuriosos, tum per publicas ephemerides huic Sanctae Sedi adversas spectatum Galliae Clerum Nobis, et huic Petri Cathedrae addictum contra Romanae Ecclesiae Liturgiam inter alia excitare. Quae Parochorum contumacia eo magis est redarguenda, quod cum aliqui ex ipsis in hanc almam urbem Nostram venissent, et in conspectum Nostrum fuissent admissi paternis Nostris monitis et exhortationibus acquiescere noluerunt, quibus prompto alacrique animo obedire debuissent, quemadmodum ecclesiasticos viros omnino decet. Quapropter, ut huiusmodi res ex Nostris Tuisque votis suum tandem assequatur exitum, has Tibi scribimus Litteras, quibus denuo Nostram voluntatem clare aperteque significamus. Etenim volumus, praecipimus, et mandamus, ut veluti fuit constitutum, in Lugdunensem Dioecesim Romanum Missale, et Breviarium sensim inducatur, ut scilicet ii omnes, qui in posterum sacro Subdiaconatus Ordine rite fuerint initiati, teneantur et canonicas horas recitare iuxta Romanum Breviarium, et illa Sanctorum officia a Te

confecta, et a Nostra Sacrorum Rituum Congregatione approbata, et Romanum etiam Missale adoptare. Concedimus autem et indulgemus, ut antiqua Lugdunensis Ecclesiae Liturgia ab omnibus memoratis novitatibus emendata ad modum et formam, quae ab eadem Nostra Sacrorum Rituum Congregatione fuit sancita, futuris quoque temporibus licite ac libere possit servari. Nihil vero dubitamus, Dilecte Fili Noster, quin omni cura studioque hanc Nostram voluntatem exsequi glorieris, ac simul efficias, ut omnes, ad quos spectat, et in posterum quomodolibet spectabit, eidem Nostrae voluntati et praescripto diligenter obtemperent. Atque etiam futurum confidimus, ut, Deo auxiliante, ii Parochi, qui Nobis, Tibique moerori, et bonis omnibus offensioni fuerunt, resipiscant, acquiescant, et optimi Cleri Gallicani imitentur exemplum, qui singulari Nos, et hanc Apostolicam Sedem amore, obsequio, et obedientia prosequi, et egregiis factis de Nobis, atque de eadem Sede asperrimis hisce temporibus optime mereri summopere laetatur. Denique omnium caelestium munerum auspicem, et praecipuae Nostrae in Te benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem intimo cordis affectu Tibi ipsi, Dilecte Fili Noster, et gregi Tuae vigilantiae concredito peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 17 Martii Anno 1864.

Pontificatus Nostri anno decimoctavo.

VENERABILI FRATRI HERMANNO ARCHIEPISCOPO FRIBVRGENSI
IN BRISGOVIA.

PIVS PP. IX.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Quum non sine maxima animi Nostri aegritudine ex pluribus nunciis accepimus, in magno isto Badensi Ducatu de novo popularium scholarum regimine parari ordinationes, quae variis modis christianam iuventutis institutionem, et educationem in magnum adducunt discrimen, propterea quod illas a salutari catholicae Ecclesiae magisterio ac vigilantia quotidie magis amovent, nihil dubitavimus, quin Tu, Venerabilis Frater, pro eximio Tuo in animarum salute curanda studio, ac pro perspecta Tua in Ecclesiae libertate, eiusque iuribus tuendis constantia fortiter iis omnibus obsisteres, quae vel minimum animarum saluti damnum afferre, vel quovis modo episcopalis Tui ministerii liberam auctoritatem coarctare possent. Quod autem pro certo habebamus, id luculenter confirmarunt Tuae Litterae super hoc tanti momenti negotio ad Nos datae, et commentarius eisdem adiectus. Ac vehementer laetamur, cum videamus, Te, Venerabilis Frater, licet aetate gravem, pro Ecclesia strenue pugnare

eadem illa fortitudine, qua in episcopalis Tui ministerii decursu summopere praestitisti, ac Nostras, et huius Sanctae Sedis laudes merito, optimoque iure Tibi comparasti. Equidem inter maximas, quibus affligimur, acerbitates, summa utimur consolatione, noscentes quomodo dives in misericordia Deus Sacrorum Antistites eo maiore divinae suae gratiae auxilio roboret ad Christi Iesu gregem tuendum, quo graviora in ipsum gregem luctuosissimis hisce temporibus damna inimicorum hominum opera irruunt et invadunt.

Nemo certe ignorare potest, tristissimam ac deplorandam conditionem, in quam hodierna societas magis in dies prolabitur, derivare ex tot funestissimis machinationibus, quae adhibentur, ut a publicis Institutionibus, ac domesticis familiis quotidie magis sanctissima Christi fides, religio, eiusque salutaris doctrina amoveatur, et saluberrima eius vis coangustetur, ac praepediatur. Quae perniciosissimae machinationes ex tot pravis doctrinis necessario originem habent, quas hac miserrima nostra aetate cum maximo christianae civilisque reipublicae damno undique maiorem in modum invalescere, et caput altius extollere vehementer dolemus. Et sane cum veritates a Deo revelatae impudenter denegentur, vel humanae rationis examini subiiciantur, evenit, ut illa naturalium rerum plane tollatur subiectio, quae supernaturali ordini omnino debetur, utque homines ab aeterno suo fine arceantur, eorumque cogitationes actionesque ad materialium,

fugaciumque huius mundi rerum limites redigantur. Et quoniam Ecclesia, quae columna et firmamentum veritatis a Divino suo Auctore fuit constituta, ut omnes homines divinam edoceat fidem, eiusque depositum sibi traditum integrum inviolatumque custodiat, ac homines, eorumque consortia et actiones ad morum honestatem, vitaeque integritatem iuxta revelatae doctrinae normam dirigat et fingat, iccirco pravarum doctrinarum fautores et propagatores omnia conantur, ut ecclesiasticam potestatem sua erga humanam societatem auctoritate spolient. Quamobrem nihil intentatum, nihilque inexpertum relinquunt, ut omnem Ecclesiae potestatem, eiusque salutarem vim, quam ipsa Ecclesia ex divina sua institutione semper exercuit, et in humanae societatis Instituta exercere debet vel magis in dies coarctent, vel ab eisdem Institutis arceant, et ipsa Instituta pleno civilis, politicaeque auctoritatis arbitrio subiiciant ad imperantium placita, et ad volubilium aetatis opinionum rationem.

Nihil vero mirum si huiusmodi funestissimi sane conatus in publicam iuventutis institutionem educationemque in primis comparentur, nihilque dubitandum, quin humana societas gravissimis repleatur et vexetur damnis, ubi a publica et privata iuventutis institutione, qua rei cum sacrae, tum publicae felicitas tantopere continetur, fuerit moderatrix Ecclesiae auctoritas, eiusque salutifera vis amota. Hoc enim modo humana societas vero illo christiano spiritu sensim privatur, qui unus potest et publici ordinis, tranquillitatisque fundamenta stabiliter servare, ac verum utilemque civilitatis progressum efficere

ac moderari, et ea omnia hominibus praebere subsidia, quae ad ultimum suum post mortalis huiusce vitae stationem finem assequendum, scilicet ad aeternam salutem obtinendam sunt necessaria. Et sane institutio, quae non solum rerum dumtaxat naturalium scientiam, ac terrenae socialis vitae fines spectat, verum etiam a veritatibus a Deo revelatis decedit, in erroris, mendaciique spiritum prolabatur oportet, et educatio, quae sine christianae doctrinae, morumque disciplinae auxilio teneras adolescentium mentes, eorumque cerea in vitium flecti corda informat, non potest non parere progeniem, quae pravis cupiditatibus propriisque rationibus tantum permota, et impulsa maximas tum privatis familiis, tum reipublicae affert calamitates.

At vero cum huiusmodi perniciosissima docendi ratio seiuncta a catholica fide, et ab Ecclesiae potestate maximo sit hominibus, et societati damno, dum agitur de litteris severioribusque disciplinis tradendis, ac de educatione curanda in scholis publicisque Institutis, quae honestioribus societatis classibus sunt destinata, ecquis non videt, multo graviora mala et damna ex hac methodo derivare, si eadem in populares inducatur scholas? Etenim in hisce potissimum scholis omnes cuiusque e populo classis pueri vel a teneris annis sanctissimae nostrae religionis mysteriis, ac praeceptionibus sedulo sunt erudiendi, et ad pietatem, morumque honestatem, et ad religionem, civilemque vivendi rationem accurate formandi. Atque in eisdem scholis religiosa praesertim doctrina ita primarium in instit tione, et

educatione locum habere, ac dominari debet, ut aliarum cognitiones, quibus iuventus ibi imbuitur, veluti adventiciae appareant. Quapropter iuventus maximis exponitur periculis, nisi eius in memoratis scholis institutio arctissimo cum religiosa doctrina vinculo consocietur. Cum igitur populares scholae ad populum religiose formandum, eiusque pietatem, et christianam morum disciplinam fovendam sint praesertim statutae, iccirco omnem Ecclesiae curam, sollicitudinem, et vigilantiam prae ceteris educationis Institutis sibi merito, atque optimo iure semper vindicarunt. Ac propterea consilia, conatusque arcendi a popularibus scholis Ecclesiae potestatem proficiscuntur ex animo eidem Ecclesiae summopere adverso, atque ex studio extinguendi in populis divinum sanctissimae fidei nostrae lumen. Quocirca Ecclesia, quae easdem fundavit scholas summa cura studioque eas semper est prosequuta, illasque veluti potiorem ecclesiasticae suae auctoritatis ac regiminis partem consideravit, et quaecumque earum ab Ecclesia seiunctio maximum eidem Ecclesiae, ipsisque scholis affert detrimentum. Ii autem omnes, qui perperam contendunt, Ecclesiam debere salutarem suam moderatricem vim erga populares scholas deponere, aut intermittere, iidem nihil aliud profecto vellent, quam ut Ecclesia contra divini sui Auctoris mandata ageret, et gravissimo officio curandi omnium hominum salutem, sibi divinitus commisso, deesset. Certe quidem ubi in quibusque locis, regionibusque perniciosissimum hiusmodi vel susciperetur, vel ad exitum perduceretur consilium expellendi a scholis Ecclesiae auctoritatem, et iuventus misere expone-

retur damno circa fidem, tunc Ecclesia non solum deberet intentissimo studio omnia conari, nullisque curis unquam parcere, ut eadem iuventus necessariam christianam institutionem, et educationem habeat, verum etiam cogeretur omnes fideles monere, eisque declarare, eiusmodi scholas catholicae Ecclesiae adversas haud posse in conscientia frequentari.

Tibi autem, Venerabilis Frater, summopere gratulamur, quod catholicae Ecclesiae doctrinae quoad iuventutis institutionem educationemque firmiter inhaerens, Tuo commentario omnibus opinionibus ordinationibusque sapienter et constanter obstitisti, quae ab isto Magno Badarum Ducatu propositae fuere circa popularium scholarum reformationem, quaeque maximam christianae educationi perniciem afferunt, et veneranda Ecclesiae in tanto negotio iura omnino destruunt. Ac persuasissimum Nobis est, Te nihil unquam inexpertum esse relicturum, ut eiusdem Ecclesiae iura impavide defendas, utque ab adolescentium institutione, et educatione diligentissime removeas quidquid fidei firmitatem vel leviter turbare, labefactare, aut religiosam eorumdem conscientiam corrumpere, morumque honestatem contaminare possit, quae unice a fide nostra sanctissima producitur, alitur, et augetur. Summa vero afficimur consolatione, cum istius Tuae Dioecesis Clerus suae vocationis et officii probe memor una Tecum suam omnem in Ecclesiae, eiusque catholici populi iuribus tutandis operam impendat. Nec minori gaudio perfundimur, propterea quod iste fidelis populus optime sentiens de catholica suae prolis educatione, nihil antiquius habeat, quam ut eadem proles omnino

instituatur in scholis, quae a catholica dirigantur Ecclesia. Iam vero levantes oculos Nostros ad Dominum Deum Nostrum, ab Ipso humiliter enixeque exposcimus, ut in abundantiam divinae suae gratiae Tibi, Venerabilis Frater, et isti Clero populoque fideli semper propitius adesse velit, quo omnes caelesti ope roborati pro Ecclesiae suae sanctae causa sub Tuo ductu strenue dimicare pergant. Atque superni huius praesidii auspicem, et peculiaris, qua Te in Domino complectimur, benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Tibi ipsi, Venerabilis Frater, cunctisque Clericis laicisque fidelibus Tuae vigilantiae concreditis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 14 Iulii Anno 1864.

Pontificatus Nostri anno decimonono.

VENERABILIBVS FRATRIBVS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS ALIISQVE LOCORVM ORDINARIIS IN POLONIAE REGNO, ET RVSSICI IMPERII REGIONIBVS MORANTIBVS GRATIAM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTIBVS.

PIVS PP. IX.

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ubi Urbaniano in Collegio christianae fidei propagandae huius almae Nostrae urbis die 24 proximi mensis Aprilis invicto Christi martyri S. Fideli a Sigmaringa sacro vehementer lamentati sumus, Venerabiles Fratres, miseram, et numquam satis deplorandam Poloniae Regni conditionem, et male consultum motum ibi contra Potentissimum Principem excitatum, significavimus etiam, Nos in publicis ephemeridibus legisse severissima sane consilia a Russico Gubernio suscepta non solum ad eumdem motum comprimendum, verum etiam ad catholicam religionem eodem in Regno sensim extirpandam. Atque eodem tempore manifestavimus, oportere huiusmodi tristissimos nuncios indubitato modo, ac maiore auctoritate comprobari, quandoquidem publicis ephemeridibus plena fides adhiberi semper nequit. Nunc vero ex pluribus variisque fide dignis testimoniis ad Nos perlatis cum incredibili animi Nostri dolore agno-

vimus, Venerabiles Fratres, verissimas esse acerbitates, quibus a Russico Gubernio catholica Ecclesia eiusque ministri, et cultores magis in dies divexantur ac lacerantur. Etenim certo scivimus, idem Gubernium iamdiu catholicae Ecclesiae summopere infensum, omnesque ad funestissimum schisma pertrahere exoptans, excitatae perturbationis praetextu sanctissimam nostram religionem, omnesque catholicos quibusque modis acriter insectari. Hinc, Conventione cum Nobis, et hac S. Sede inita numquam plenae executioni mandata, ac publicis pactis de catholica religione in Poloniae Regno tuenda plane despectis, plurimisque editis legibus et decretis rei catholicae maxime adversis, Gubernium idem nunquam intermisit catholica scripta interdicere, et libros, ephemeridesque catholicae doctrinae omnino repugnantes, et in Christi hic in terris Vicarium, et Apostolicam hanc Sedem summopere iniuriosas, atque ad Polonum praesertim populum depravandum accommodatas disseminare, et communicationem cum Nobis, et hac Apostolica Sede praepedire, et iuramentum divinis legibus contrarium praescribere, et populum contra catholicos sacerdotes excitare, et prohibere, ne praedicari ac doceri queat discrimen, quod inter catholicam veritatem et schisma intercedit, et gravissimis constitutis poenis impedire, quominus aliquis ex infelici schismate emergere, et ad catholicae Ecclesiae sinum redire possit. Hinc Religiosi viri ex suis Coenobiis deturbati, eorumque monasteria militaribus stationibus destinata, et catholici Episcopi a sua Dioecesi abrepti, et exilio multati, et innumeri fere catholici graeci ritus sub-

dolis quibusque machinationibus iamdiu in schisma violenter tracti, et impediti ad redeundum in catholicae Ecclesiae gremium, veluti exoptarent, ac innumerabiles etiam latini ritus catholici per mixta praesertim matrimonia catholicae Ecclesiae erepti, et pueri catholicis parentibus orbati, sub tutelae praetextu, in longinquas regiones amandati, a catholico cultu avulsi, et in schismatis discrimen adducti. Hinc innumeri cuiusque generis, aetatis, sexus et conditionis catholici summopere afflicti, et in remotissimas terras transducti, et catholicorum templa direpta, polluta, ac in cultum acatholicum, vel in militares stationes conversa, et catholici sacerdotes miserandum in modum vexati, suisque bonis spoliati ad tristem paupertatem redacti, ac vel in exilium pulsi, vel in carcerem detrusi vel etiam necati, proptereaquod in acie vulneratis, morientibusque sacri ministerii opem, auxiliumque ferre haud omiserunt. Accedit etiam, ut cum Presbyteri, tum laici in exilium missi omni sanctissimae nostrae religionis solatio, praesidioque carere debeant, utque Lithuaniae catholicis optio data fuerit vel exsules abeundi in disiunctissimas regiones, vel deficiendi a catholica religione. Haec et alia sane lugenda a Russico Gubernio contra catholicam Ecclesiam indesinenter patrantur. Equidem Nos immenso moerore confecti lacrimas continere non possumus, cum videamus, Vos, Venerabiles Fratres, ac dilectos filios fideles catholicos omnibus illis gravissimis insectationibus obnoxios, quibus commemoratum Gubernium catholicam fidem et religionem tum in Poloniae Regno, tum in aliis praesertim illius Imperii regionibus ad ultimum discrimen adducere conatur.

At etiam in hoc acerrimo bello a Russico Gubernio catholicae Ecclesiae, eiusque sacris iuribus, ministris, rebusque illato, alium novum prorsus in Ecclesiae fastis, et ante hunc diem inauditum ausum lamentari, et exprobrare cogimur, Venerabiles Fratres. Siquidem Gubernium idem non solum Venerabilem Fratrem Sigismundum egregium, omnique laude dignum Varsaviensem Archiepiscopum a suo grege divulsum in longinquas regiones amandavit, verum etiam non dubitavit decernere, eumdem Venerabilem Fratrem episcopali in Varsaviensem Dioecesim auctoritate et iurisdictione esse privatum, et neminem e sua Dioecesi cum ipso posse communicare, et in eius locum sufficere, veluti Dioecesis administratorem Dilectum Filium Paulum Rzewuski eius Vicarium Generalem, et Episcopum Prusensem in partibus Infidelium iam a Nobis electum ac Suffraganeum eiusdem Varsaviensis Antistitis designatum. Verba quidem desunt, Venerabiles Fratres, ad huiusmodi factum reprobandum ac detestandum. Ecquis enim non vehementissime mirabitur, cum sciat eo devenisse Russicum Gubernium, ut perperam autumet et audeat, Episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, sacra eorum auctoritate ipsis a Deo tradita, et nullo prorsus modo laicae potestati unquam obnoxia privare, eosque a propriae Dioecesis regimine et procuratione amovere? Dum autem haec reprobamus et damnamus, eodem tempore clare aperteque declaramus, neminem memoratae ordinationi posse obedire, omnesque Varsaviensis Dioeceseos fideles debere eidem Venerabili Fratri Sigismundo sedulo obtemperare, qui verus, legitimusque est Varsaviensis Antistes.

Nihil vero dubitamus, quin idem Dilectus Filius Paulus Rzewuski sui officii probe memor huiusmodi Russici Gubernii mandato minime obsequens pergat Vicarii Generalis munere fungi sibi commisso a Venerabili Fratre Sigismundo Archiepiscopo Varsaviensi suo legitimo Antistite, eique in omnibus diligentissime obedire.

Iam vero, Venerabiles Fratres, dum caelum ac terram testes invocando, de omnibus, quae in Poloniae regno, aliisque Russici Imperii regionibus contra catholicam Ecclesiam, eiusque sacrorum Antistites, ministros, iura, patrimonium, ac dilectos ipsius Ecclesiae filios gesta sunt et geruntur, vehementer expostulamus, et etiam atque etiam querimur persecutionem, quam Russicum Gubernium contra Ecclesiam gerere non desinit, absit, ut ullo modo probare velimus male consultos motus in Polonia misere excitatos. Omnes enim norunt quanto studio catholica Ecclesia semper inculcaverit, ac docuerit, omnem animam subditam esse potestatibus sublimioribus, omnesque civili auctoritati subiectos esse, debitamque obedientiam praestare omnino debere in iis omnibus, quae Dei, eiusque Ecclesiae legibus non adversantur. Equidem summopere dolendum, huiuscemodi motus Russico Gubernio ansam dedisse ad catholicam quotidie magis divexandam, et opprimendam Ecclesiam.

Dum autem eiusmodi christianae, civilique reipublicae funestissimos motus reprobamus ac damnamus, haud possumus, quin omnibus summis populorum Principibus vehementer inculcemus, ut quantum in ipsis est, omnia conentur, ne in eos gra-

vissima illa cadant divinae sapientiae ad reges verba: « Quoniam data est a Domino potestas vobis, et » virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, » et cogitationes scrutabitur; quoniam cum essetis » ministri regni illius, non recte iudicastis, nec cu- » stodistis legem iustitiae, neque secundum volun- » tatem Dei ambulastis; horrende et cito apparebit » vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui » praesunt, fiet, exiguo enim conceditur misericordia » potentes autem potenter tormenta patientur » (*). Atque etiam omnes summos Principes maiore, qua possumus, animi Nostri contentione hortamur et rogamus, ut aliquando intelligere, animadvertere, ac noscere velint quod populi, cum a sanctissima nostra religione, eiusque salutari doctrina, atque a debita erga Deum, eiusque Ecclesiam, et leges obedientia, et a libera cum hac S. Sede communicatione amoti fuerint, tum perniciosissimis quibusque erroribus, vitiisque depravantur, et iccirco evenit, ut iidem populi, timore et pietate erga Deum sublata, suavique religionis iugo exuto, et plane abiecta obedientia, quae Deo, eiusque Ecclesiae et legibus omnino debetur, in effrenatam vivendi, agendique licentiam misere prolabantur, et ambulantes secundum sua desideria in impietatibus dominationem spernant, maiestatem blasphement, et contra Principes insurgant eisque obedire recusent.

In summa vero animi Nostri moestitia ob tantam malorum congeriem, quae Vos, Venerabiles Fratres, et fideles curae vestrae commissos premit,

(*) Sap. c. 6. v. 4. 5. 6. 7.

non parum certe Nos reficit et consolatur egregia vestra in Ecclesia tuenda, tantisque in laboribus, aerumnisque propter catholicam fidem perferendis virtus et constantia. Et quoniam optime nostis, beatos esse, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, ac pulcherrimum et gloriosissimum esse pro nomine Iesu contumeliam pati, eumque salvum fieri, qui perseveravit usque in finem, iccirco nihil dubitamus, quin Vos, Venerabiles Fratres, confortati in Domino, et in potentia virtutis eius pergatis animo invicto pro Dei, eiusque sanctae Ecclesiae defensione, animarumque salute fortiter dimicare, memoria repetentes « quod non sunt con» dignae passiones huius temporis ad futuram glo» riam, quae revelabitur in nobis » (*). Atque iccirco has Vobis scribimus Litteras, quibus Episcopalem vestram in tantis tolerandis angustiis fortitudinem, et in grege vestrae curae concredito vigilantiam magis magisque in Domino excitamus, ut nullis curis, nullis consiliis, nullisque laboribus parcere unquam velitis, quo fideles Vobis commissi abstinentes se ab omni specie mali, nullisque deterriti periculis in catholicae fidei et religionis professione quotidie magis stabiles et immoti permaneant, et nunquam ab eiusdem fidei, religionisque hostibus se decipi, et in errorem induci patiantur. Ac ipsos fideles Vobis concreditos, Nobisque carissimos omni paterni animi Nostri affectu et studio monemus, exhortamur, et obtestamur, ut catholicam fidem, religionem ac doctrinam, quam singulari Dei beneficio accepe-

(*) Rom. c. 8. v. 18.

runt, constantissime profitentes, et cetera omnia posteriora existimantes per semitas mandatorum Dei sedulo ambulent, iisque omnibus instent operibus, quae caritatem vel in Deum, vel in proximum praeseferunt, quaeque catholicae Ecclesiae filios omnino decent.

Persuasissimum autem Vobis sit, Nos in humilitate cordis Nostri ferventissimas diu noctuque sine intermissione clementissimo misericordiarum Patri et Deo totius consolationis offerre preces, ut Vos induat virtute ex alto, ac divina sua dextera protegat, custodiat, defendat, et exurgens iudicet causam suam, et Ecclesiam suam sanctam a tantis, quibus istic divexatur, calamitatibus eripiat, et inimicorum suorum superbiam elidat, eorumque contumaciam omnipotenti sua virtute prosternat, et uberrima quaequae suae Bonitatis dona super Vos et fideles Vobis traditos propitius semper effundat. Atque horum auspicem, et certissimum peculiaris, qua Vos in Domino complectimur, benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde depromptam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis laicisque fidelibus vestrae vigilantiae concreditis peramanter impertimus.

Datum ex Arce Gandulphi die 30 Iulii Anno 1864.
Pontificatus Nostri Anno Decimonono.

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qui contra Ecclesiam suam inferorum portas numquam praevalituras edixit Christus Dominus, quoties ad eam concutiendam ac turbandam perditi homines exorti sunt, strenuos continuo viros excitavit, qui sanctitate ac doctrina, duplici quasi muniti gladio, eorum audaciam frangerent, impetum viresque retardarent. Id certe si saepe alias funesta potissimum Lutheri aetate videre licuit; quum nimirum impius homo ac superbia elatus adversus Apostolicam Sedem, propugnaculum arcemque Catholici nominis, rebellionis signum extulit, innumerosque disseminare coepit errores, quibus fidei integritatem in animarum perniciem contaminare niteretur. Neque enim sine providentis Dei consilio factum est, ut quo anno Ignatius Loyolaeus Societatis Iesu auctor et parens in obsidione Arcis Pampilonensis salutari vulnere prostratus iacuit, abiectisque militiae saecularis armis, ad praelianda praelia Domini se totum convertit, eodem ipso anno ederetur in lucem Venerabilis Dei famulus Petrus Canisius, qui olim in Ecclesiae castris, Ignatio auspice, contra novum hostium genus animose ac fortiter decertaret. Hic enim vero Noviomagi in Belgio generosa stirpe ortus anno MDXXI, innocenter acta paternis

in aedibus pueritia, Coloniam studiorum causa concessit, ibique humanioribus litteris excultus iuri Civili Lovanii postmodum sacris canonibus operam adiunxit, ac iam inde a prima aetate flagrare coepit ardore tuendae fidei, ut gloriosis certaminibus proludere quodammodo visus sit, quum verba e suggestu faciens haereticam pravitatem insectaretur. Quod quidem praeclarum studium ut facilius expleret, primus inter Germanos fundatae Societati Iesu nomen dedit, ab eoque proposito neque amplissimis paternae domus fortunis et commoditatibus neque honestissimis exhibitis nuptiis potuit vel minimum deterreri. Sacerdotio auctus ad Ecclesiae defensionem vehementius exarsit, ac nihil sibi defugiendum duxit, quominus eidem laboranti succurrere, quacumque ratione posset, experiretur. A Clero et populo Coloniensi sincerae fidei retinentissimo missus legatus est ad Carolum V Imperatorem, itemque ad Georgium Austriacum Episcopum Leodiensem, ut ipsorum imploraret opem contra Hermannum Ecclesiae Coloniensis Antistitem, qui novarum opinionum captus illecebris, et haereticorum fraudibus irretitus, complures ex his Coloniam adciverat, nimirum in ovile Christi teterrimos lupos induxerat; remque Canisius ita prospere gessit, ut haud ita multo post ille, non pastor, sed mercenarius, merito sit percussus anathemate, et a catholici gregis custodia deturbatus. Ac vix annum sextum supra vicesimum Petrus attigerat, quum a Cardinali Othone Fruchensi Episcopo Augustano, qui viri scientiam virtutemque probe noverat, missus ad Concilium Tridentinum est Theologi nomine ac munere insignitus,

in eoque frequentissimo Catholicorum Patrum consessu nemini probata non est illius in disserendo doctrina, in explicandis quaestionibus consilii maturitas, in respondendo alacritas, in dicenda sententia gravitas et constantia. Exinde a S. Ignatio arcessitus in Urbem, mox jussu illius politiores litteras publice docturus Messanam profectus est, idque munus neque curis, nec sollicitudine vacuum summa cum laude in iuventutis commoditatem exercuit. Elapso vix anno restitutus Germaniae fuit Venerabilis Petrus, ut ibi latissimo veluti in campo virtutem exerceret suam. Inglostadium primo, Vindobonam deinde quum pervenisset, deplorare coactus est multa et gravia inflicta ab haereticis Religioni vulnera, depravatos quippe offendit populi mores, collapsam ecclesiasticorum virorum disciplinam, neglectum templorum cultum, intermissum Sacramentorum usum, oppida pleraque suis orbata pastoribus; quibus malis ut mederetur, tum voce, tum exemplo, cuius maxima esse solet ad persuadendum vis, plurimum laboravit. Maxime anxius, ac sollicitus de studiorum ratione in Lyceis instauranda, pertinaci contentione hoc tandem est assequutus, ut vocatis ad docendum probatae fidei magistris, sana iterum doctrina et scholastica theologia publice traderetur, a qua, utpote veritati Catholicae explicandae opportunissima, Protestantes maximopere abhorrebant. Per libellos erroribus refertos dispergi venenum quum cerneret, opportunum adhibere remedium cogitavit, summam Catholicae doctrinae conscribendo, idque operis tam enucleate, tam dilucide, ac presse confecit, ut ad erudiendos catholica veritate populos,

in eaque confirmandos nihil eo libello accommodatius; isque proinde et probatus et exceptus ab Episcopis ac Theologis fuit communi cum plausu, et in bonum animarum undequaque diffusus. Iam vero strenuissimus hic vir periculosissimo tempore Ecclesiae ad praesidium datus, quot et quam longa itinera susceperit, per quinquaginta, eoque amplius, annos, quot aerumnas tulerit, quot molestias devoraverit, nemo facile cogitando assequi posset. Poloniam, Franconiam, Bavariam, Bohemiam, atque universam fere Germaniam religionis causa peragravit. Multis et civitatibus et provinciis saluti fuit, quarum alias ab imminenti contagione servavit immunes, alias ab inveterata errorum peste purgavit. In conventibus Ratisbonensi, Patricoviensi et Augustano catholicos Principes, sacrosque Antistites excitavit, exacuit ad comprimendum haereticorum furorem, ad funestam flammam, quae in manifestum erumpebat incendium, restinguendam. In colloquio Wormatiensi cum haereseos magistris in disputationis certamen palam venit, tantamque exprompsit eruditionis copiam, ac dicendi vim, ut eos proiectae licet audaciae ad silentium redegerit. Doctis ac laboriosis conscriptis voluminibus Centuriatorum Magdeburgensium calumnias invicte refellit. Primus gubernandae Provinciae Germanicae a S. Ignatio praepositus Collegia erudiendae iuventuti ubique excitavit, omnemque dedit operam, ut perpetuo constitueretur in Urbe Germanicum Collegium excipiendis eius nationis iuvenibus, qui sub auspiciis Romanorum Pontificum bonis instituti moribus, rectisque innutriti doctrinis in patriam reversi, fortes tamquam Christi milites

pervagantem haeresim debellarent. Quo vero advolare ipse nequibat, illud ecclesiasticos mittebat viros, suae charitatis aemulatores, qui in purgando excolendoque agro Domini utiliter insudarent. A Legatis Pontificiis revocatus in Concilium fuit, suam ut scientiam et operam satis iam probatam et cognitam in rei catholicae subsidium impenderet. Plures easque gravissimas, a Romanis Pontificibus Decessoribus Nostris legationes accepit, quippe qui summa apud eos florebat opinione doctrinae et sanctitatis. A Paulo IV missus in Poloniam est, ut religionem ibi in discrimen adductam erigeret, recrearet: a Pio IV creatus Legatus est ad Episcopos et Principes Germaniae, graviter apud illos acturus, ut exciperentur, et promulgarentur Concilii Tridentini Decreta ad fulciendam fidem, ad emendandam morum disciplinam: denique a Gregorio XIII in pluribus atque impeditissimis Ecclesiae negotiis adhibitus, omnia ex Pontificis sententia, multis superatis et difficultatibus et periculis, feliciter expediit; nullis enim neque conviciis, neque minis, neque ipsa capitis dimicatione prohiberi umquam potuit, quin ad religionem, quae perfidiosis Protestantium artibus maxime laboraret, sublevandam, omnes animi corporisque vires intenderet. Iam multis districtus curis, nihil ut otii, nulla ut reliqua illi foret particula subsecivi temporis, magnam noctis partem necessariae quieti subtrahens precationi dabat, atque in rerum coelestium meditatione defixus tantam capiebat iucunditatem, ut vim lacrymarum plerumque profunderet. Quamquam a Summis Pontificibus, atque a viris dignitate ac virtute conspicuis, in primisque a

Sanctis Carolo Borromeo et Philippo Nerio magno in pretio haberetur, de se nihilominus tam demisse atque abjecte sentiebat, ut ultro delatum semel atque iterum Vindobonensem Episcopatum constanter detrectaverit, atque aegre admodum adductus sit, ut illius Ecclesiae procurationem Apostolica auctoritate per anni spatium exerceret. Praecipuo quodam observantiae studio tenebatur erga Apostolicam Sedem, cui quidem omnia sua studia, contentiones, curas, omnes vitae rationes plane devoverat. Obedientiae virtutem tam sedulo excoluit, ut a suorum Praesidum voce, nutuque penderet, ac nihil esset tam arduum ac difficile, quod non illorum auctoritate laetus atque alacer aggredetur. Castitatem, cui servandae sese a primis annis voto obstrinxerat, ad extremum usque spiritum custodivit illaesam, idque potissimum assecutus est omni asperitatum genere corpus affligendo, atque ad exemplum Apostoli Pauli in servitutem redigendo, ne adversus spiritum reluctaretur atque insolesceret. Tandem Friburgum Helvetiorum ire iussus, quum ibidem pro gloria divini Nominis, pro salute animarum multa ac praeclara gessisset, non aetate magis, quam diuturnis laboribus fractus placidissime quievit in osculo Domini Anno MDXCVII, aetatis suae septuagesimo septimo. Quae de Venerabilis Petri virtute praestanti atque eximia hominum animis opinio insederat, magis invaluit posteaquam ipse ex hac mortali statione recessit. Hinc annis MDCXXV et MDCXXX per Sacros Antistites Lausanensem et Frisigensem curatum est, ut de illius vita, rebusque gestis acta conficerentur: verum suborti bellorum tumultus, quominus absolvi illa

possent, prohibuerunt. Quapropter Anno MDCCXXXIV peractis omnibus, quae sunt ex Ecclesiae sanctionibus necessaria, ad Apostolicam sedem delata causa fuit, cuius tamen cursus intercisus mansit, excitatis turbulentissimis rei sacrae ac publicae tempestatibus. Compositis tandem rebus ad Consilium Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus tuendis praepositorum agitari quaestio coepit de virtutibus, quibus Venerabilis Dei Famulus emicuisset, ac diligenter adhibita pervestigatione heroicum illas culmen attigisse declaravit fel: rec: Gregorius XVI Praedecessor Noster V kalendas Februarias Anno MDCCCXLIV. Postmodum institutum iudicium est de quatuor miraculis, quae Venerabili Petro deprecante a Deo patrata dicebantur, omnique iudicii severitate adhibita, rebusque omnibus diu multumque perpensis, de illorum prodigiorum veritate constare decrevimus XV Kal. Maii anno vertente MDCCCLXIV. Nihil proinde supererat, quam in eodem Cardinalium Consilio disceptaretur, num Venerabili Petro decerni tuto possent Beatorum coelitum honores. In generali itaque conventu Vaticanis in aedibus coram Nobis habito VIII Kal. Iulii vertentis anni, tum iidem Cardinales, tum quotquot aderant Consultores unanimi suffragio censuerunt, commemoratum Dei Famulum tuto posse Beatum declarari cum omnibus indultis, donec illius Canonizationis solemnia celebrentur. Nos vero posteaquam a Patre luminum, ut Nobis in tanti momenti re propitius adesse vellet, iteratis precibus postulassemus, de Beatorum honoribus Venerabili Petro deferendis sententiam protulimus Decreto edito VIII

Kal. Julii anni huius vertentis. Quamobrem ut in tanta temporum iniquitate, qua impiorum armis Ecclesia Dei vehementer oppugnatur, habeant fideles in hoc acerrimo Catholicae fidei vindice luculentum prae oculis exemplar, quod imitentur in custodiendo pretioso fidei thesauro, sine qua obtineri aeterna salus nequit, ac precibus Nos permoti fere omnium Sacrorum Germaniae Antistitum, et universae Societatis Jesu, de consilio et assensu Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium legitimis ritibus cognoscendis praepositorum, auctoritate Nostra Apostolica tenore praesentium facultatem impertimur, ut memoratus Venerabilis Dei Famulus Petrus Canisius Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus et lipsana seu reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur. Praeterea eadem auctoritate concedimus, ut de illo recitetur Missa et officium de communi Confessoris non Pontificis cum orationibus propriis a Nobis approbatis iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Eiusmodi vero officii recitationem concedimus fieri dumtaxat in dioecesibus Ultraiectensi et Lausanensi, atque in templis atque domibus, ubi Societas Jesu instituta reperiatur, die XXVII Aprilis ab omnibus Christifidelibus, tam saecularibus, quam Regularibus, qui horas canonicas recitare teneantur; et quod ad Missas attinet, ab omnibus Sacerdotibus ad templa, in quibus festum agitur, confluentibus. Denique concedimus, ut anno a datis hisce Litteris primo Solemnia Beatificationis Venerabilis Servi Dei Petri Canisii in templis dioecesium dictarum et Societatis Jesu celebrentur cum

officio et Missa duplicis maioris ritus; idque fieri praecipimus die per Ordinarios indicenda, et postquam eadem solemnia in Basilica Vaticana celebrata sint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam typo impressis, dummodo manu Secretarii praedictae Congregationis sacrorum rituum subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce ostensis Litteris, haberentur. Datum ex arce Gandulphi sub Annulo Piscatoris die II Augusti MDCCCLXIV Pontificatus Nostri Anno XIX.

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI

VENERABILIBVS FRATRIBVS GREGORIO ARCHIEPISCOPO MONACENSI
ET FRISINGENSI, MICHAELI ARCHIEPISCOPO BAMBERGENSI,
ET EPISCOPIS EORVM SVFFRAGANEIS
IN BAVARIA

PIVS PAPA IX.

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Maximae quidem consolationi Nobis fuerunt inter gravissimas, quibus affligimur, curas et angustias, vestrae gratissimae Litterae quas XIII Kalendas huius mensis ad Nos dedistis, Venerabiles Fratres, in congressu a Vobis Bambergae habito, ut collatis inter Vos consiliis, ea statueretis, quae hisce praesertim asperrimis temporibus ad Catholicae Ecclesiae causam, doctrinam, iura tuenda, et ad istorum fidelium salutem procurandam quotidie magis conducere possint. In eisdem enim Litteris undique enitet egregia et explorata Vestra erga Nos, et hanc Petri Cathedram fides, amor et observantia, ac mirum sane studium, quo incensi estis ad omnia peragenda, ut fideles vestrae potissimum vigilantiae commissi summa ac debita reverentia, et obedientia Nos et eamdem Petri Cathedram prosequantur, quae catholicae unitatis est centrum, omniumque

Ecclesiarum non modo caput, sed mater et magistra, quaeque erroris tenebras undique dispellit, et omnium fluctuantium tutissimus est portus. Itaque hac eximia vestra episcopali virtute et sollicitudine vehementer gaudemus, Vobisque maiorem in modum gratulamur, Venerabiles Fratres, quod vestro facto, vestrisque pastoralibus ad istos fideles cuiusque vestrum curae concreditos datis Litteris haud omiseritis debitis, meritisque laudibus efferre arctissimam illam et admirabilem omnium totius catholici orbis Sacrorum Antistitum coniunctionem, quae luctuosissimis hisce temporibus cum Christi hic in terris Vicario, et hac Apostolica Sede singulari Dei beneficio tantopere viget ac tot splendidissimis factis magis in dies refulget. Ac vel maxime laetamur de conventu, quem Bambergae habuistis, in quo , Vos omnes, Venerabiles Fratres , concordissimis animis pro gravissimi episcopalis vestri ministerii officio ea suscepistis consilia, quae hisce potissimum temporibus magis opportuna esse existimastis ad Ecclesiae causam tutandam, eiusque rationes curandas, atque ad nefarios inimicorum hominum reprimendos conatus, qui unanimi constantique Episcoporum studio ac vigilantia sunt profligandi. Et sane , si unquam alias, hac praecipue nostra tristissima aetate Episcoporum est, veluti apprime intelligitis, contra sanctissimae nostrae religionis hostes strenuissime pugnare. Quocirca Sacrorum Antistites divino auxilio freti debent intentissimo studio episcopalem suam attollere vocem, et omnibus praedicare evangelium ac sapientibus et insipientibus aeternas divinae fidei

nostrae veritates, et augustae religionis dogmata, doctrinam, praeceptiones nuntiare, tradere, explicare, et inculcare. Ac pari contentione iidem Sacrorum Antistites tenentur exponere, et ostendere tum Summis Principibus, tum Guberniis funestissima et nunquam satis deploranda mala et damna, quae in populos et in ipsos Principes redundant ex hodierno religionis contemptu, et incredulitatis spiritu, qui sub fallaci socialis progressus specie e tenebris emissus, cum maximo christianae, civilisque reipublicae detrimento ubique magis in dies invalescit ac dominatur, et hominum mentes animosque miserandum in modum pervertit et corrumpit. Atque iccirco gratissimum Nobis fuit agnoscere Vos, Venerabiles Fratres, isti Carissimo in Christo Filio Nostro Bavariae Regi Illustri vestras pro sanctissimae nostrae Religionis eiusque iurium defensione misisse Litteras, et ea spe nitimur fore, ut idem Serenissimus Princeps pro animi Sui pietate, iustitia, aequitate iustissimis vestris desideriis, postulationibusque perlibenter obsecundare studeat. Neque vero ignoratis, Venerabiles Fratres, esse praetera aliud, quod Sacri Pastores omnibus studiis et contentionibus agere debent. Siquidem oportet, ipsos summa constantia et fortitudine defendere catholicae Ecclesiae libertatem, quam ei Suo Sanguine peperit Unigenitus Dei Filius ipsius Ecclesiae sponsus, ac viriliter propugnare omnia veneranda ipsius Ecclesiae iura ei divinitus tributa. Opus quoque est, ut Episcopi nunquam cessent qua voce qua scriptis ad omnium memoriam revocare, Ecclesiam ipsam semper fuisse, et esse salutari sua doctrina et vi ac sa-

pientissimis suis legibus et institutis non solum virtutum omnium matrem et magistram, omniumque vitiorum expultricem, verum etiam verae omnium gentium humanitatis, honestatis, civilitatis, libertatis, progressus, prosperitatis, tranquillitatisque conditricem ac moderatricem, et ipsam solam posse firmiter constabilire et servare publicum humanae societatis ordinem, qui impietate et rebellione hisce diebus ubique tam vehementer perturbatur. Debitas autem meritasque laudes Vobis tribuimus, Venerabiles Fratres, quod vestris Litteris ad istud Gubernium scriptis de popularium scholarum bono et regimine maxime solliciti catholicae Ecclesiae hac super re doctrinam, auctoritatem et iura omni rationum genere scite ac strenue propugnastis eo sensu, quo Nos in Nostra Epistola ad Venerabilem Fratrem Hermannum Archiepiscopum Friburgensem in Brisgovia die 14 iulii huius anni missa coacti fuimus eiusdem Ecclesiae iura in tanti momenti negotio sarta tecta tueri et vindicare contra Ecclesiae hostium conatus, et molitiones, qui in Magno Badensi Ducatu eo iam pervenerunt, ut leges proponerentur, quae christianam scholarum indolem plane destruunt, ac delent. Etsi vero in pretio habeamus causas, quibus, Venerabiles Fratres, Ecclesiae iura quoad populares tantum scholas nunc propugnanda curastis, tamen haud possumus, quin hac occasione egregiam vestram episcopalem sollicitudinem etiam atque etiam excitemus, ut sedulam strenuamque operam detis quo eadem Ecclesiae jura recognoscantur quoque ac serventur circa superiores litterarum,

severiorumque disciplinarum scholas. Etenim pro vestra sapientia optime nostis, ex eisdem scholis ab Ecclesiae doctrina, auctoritate, et vigilantia amotis graviora oriri damna et mala, quandoquidem erroribus falsisque doctrinis ii praesertim honestioris classis homines inficiuntur qui ad publica gubernii munera obeunda destinantur, quique ad communem civilis societatis spiritum formandum tantopere valere solent. Atque hic, Venerabiles Fratres, a Vobis exposcimus, ut prae oculis habere velitis quae Nos isti Venerabili Fratri Gregorio Archiepiscopo Monacensi per Nostram Epistolam die 21 Decembris anno superiore significavimus de philosophicis ac theologicis disciplinis tradendis, ac Vos impensissime hortamur, ut vestras omnes curas cogitationesque in accuratam Cleri institutionem educationemque quotidie magis promovendam indesinenter conferatis, nihilque intentatum relinquatis, ut vester Clerus plenam illam, solidamque habeat institutionem, quae ex puris incontaminatisque fontibus hausta, et communi Catholicae Ecclesiae docendi ratione innixa illa omnia removeat pericula, quibus nova hodierna docendi systemata super scientiae libertatem vel potius licentiam fundata, ac tantopere iactata sunt necessario obnoxia. Quamobrem vel maxime optamus, Venerabiles Fratres, ut memoria repetere, et exsequi velitis ea omnia, quae iam alias vel omnibus, vel singulis vestri Episcopalis Ordinis significavimus vehementerque commendavimus quoad Clericorum Seminaria ex providentissimis Concilii Tridentini praescriptis erigenda et

moderanda. Persuasissimum autem Nobis est, Vos, Venerabiles Fratres, pro spectata vestra religione, et episcopali zelo naviter esse defensuros alia Ecclesiae iura, quae nondum in Bavaria plene sunt recognita, et pro quibus Bavariae Sacrorum Antistites in Frisingensi praecipue conventu suas protestationes emittere haud omiserunt. Ac propterea summopere probamus consilium a Vobis susceptum habendi quotannis inter Vos congressus. Id vero nullo modo impedire debet, quominus, Venerabiles Fratres, omnia conemini, ut quamprimum, veluti Nostris in votis est, Provinciales Synodos ex Sacrorum Canonum praescripto concelebrare possitis, quemadmodum alii in germania Sacrorum Antistites in suis ecclesiasticis provinciis cum summo animi Nostri gaudio, et suorum fidelium utilitate egerunt. Nihil certe Nobis gratius erit quam in hac re omnem Vobis opem auxiliumque ferre. Denique pro certo habeatis velimus, peculiarem esse, qua Vos prosequimur, benevolentiam. Cuius quoque certissimum pignus accipite Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque Fidelibus, cuiusque Vestrum curae commissis peramanter impertimus.

Datum ex Arce Gandulphi die 18 augusti anno 1864, Pontificatus Nostri anno decimonono.

PIVS PP. IX.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Auctor nostrae fidei et consummator Iesus, qui nimia ductus charitate, naturae mortalis infirmitate assumpta, obtulit se in ara Crucis immaculatum Deo, ut nos a peccati teterrima servitute liberaret, nihil potius habuit, quam ut flammam charitatis, qua Cor Eius ureretur, in hominum animis modis omnibus excitaret, quemadmodum suis adseruisse discipulis novimus ex evangelio « ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur » ? Hunc vero charitatis ignem ut magis incenderet, sanctissimi Sui Cordis venerationem cultumque institui in Ecclesia voluit, ac promoveri. Ecquis enim tam durus ac ferreus sit, quin moveatur ad redamandum Cor illud suavissimum idcirco transfixum ac vulneratum lancea, ut animus ibi noster quoddam quasi latibulum, ac perfugium habeat, quo se ab hostium incursione, insidiisque recipiat, ac tueatur? Ecquis non provocetur ad prosequendum omni observantiae studio Cor illud sacratissimum, cuius ex vulnere aqua, et sanguis, fons scilicet nostrae vitae, ac salutis effluxit? Iamvero ad tam salutarem, ac debitum pietatis cultum instituendum, lateque inter homines propagandum eligere Servator Noster digna-

tus est Venerabilem Famulam suam Margaritam Mariam de Alacoque religiosam sororem ex ordine Visitationis Beatae Mariae Virginis, quae quidem et innocentia vitae et assidua virtutum omnium exercitatione tanto officio ac muneri, divina adiuvante gratia, se dignam probavit. Haec enim vero in oppido cui nomen Lauthecourt intra fines Dioecesis Augustodunensis in Gallia honesto genere orta iam inde a pueritia ingenium docile prae se tulit, moresque probos, et supra aetatem compositos, sic ut qualis esset futura, certis indiciis parentes ominarentur. Etenim adhuc puella ab oblectamentis, quibus illa aetatula capi solet, abhorrens, secretiora petebat domus cubicula, ubi intenta mente Deum coleret ac veneraretur, adolescentior autem frequentiam hominum devitans nihil magis habebat in deliciis, quam versari in templis assidue, precesque ad plures horas producere. Virginitatem emisso voto primis ab annis Deo consecravit, atque adeo ieiuniis, flagellis, aliisque asperitatibus adfligere corpus instituit, ut iisdem quibusdam quasi spinis virginitatis florem septum custodiret. Mansuetudinis porro atque humilitatis illustre documentum exhibuit. Etenim demortuo patre, matre vero tum aetate, tum gravi morbo confecta, ab iis, qui rei domesticae curationem gerebant, sic dure atque aspere habita est, ut rebus etiam ad victum cultumque necessariis plerumque careret. Atqui tantam inclementiam atque iniuriam, proposito sibi Christi patientis exemplo complures annos aequo animo tulit. Novem annos nata ad Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum suscipiendum primum accessit, atque ex caelesti dape tantum con-

cepit charitatis ardorem, ut ignis ille divinus ex eius ore atque oculis emicaret. Pari erga proximum caritate incensa, graviter dolebat miseram puerorum turbam fere a parentibus derelictam vitiis succrescere rerum ad salutem aeternam pertinentium ignaram, idcirco eos patienter erudiebat mysteriis fidei, ad virtutem informabat, et vero etiam non modicam quotidiani cibatus partem eisdem alendis detrahere sibi consueverat. Quum caelestem sibi Sponsum delegisset, exhibitas a matre nuptias licet opulentas atque illustres constanter recusavit, et quo datam caelesti eidem Sponso fidem praestaret securius, de ingrediendo sacrarum virginum claustro cogitavit. Qua de re posteaquam diu multumque secum deliberasset, fusisque precibus divinam consuluisset voluntatem annum agens aetatis suae vicesimum tertium in civitate, cui nomen Paray le Monial, intra fines Augustodunensis Dioecesis religiosis sororibus ex Ordine Visitationis Beatae Mariae Virginis adscita est. In tyrocinio quum se talem probasset, qualem et egregia ad virtutem indoles, et innocenter acta vita portenderat, ad solemnia nuncupanda vota admitti promeruit. Quibus quidem nuncupatis, videri coepit ad religiosae disciplinae perfectionem concitato cursu contendere; adeo sodalibus suis Deo dicatis virtutum omnium exemplar enituit. Mira quippe in ipsa elucebat humilitas, singularis et in obtemperando alacritas, et in quibusvis molestiis perferendis patientia, accuratissima legum vel minimarum observantia, in affligendo corpore assidua austeritas, numquam intermissum precationis studium, cui dies no-

ctesque quum instaret, alienato saepe a sensibus animo, divinae gratiae donis uberrime perfundebatur. In recolendis autem Christi Domini cruciatibus tanto afficiebatur doloris sensu, tantaque inardescebat amoris flamma, ut prope exanimis plerumque languesceret. Porro quum ob virtutis praestantiam omnium sibi sodalium admirationem conciliasset, puellis, quae in tyrocinio versarentur, ad religiosam vitam exercendis, informandisque praeposita fuit; eique muneri nulla potuisset aptior inveniri, quam Venerabilis Margarita Maria, utpote quae commissas suae fidei ac magisterio puellas ad ingrediendum atque excurrendum perfectionis iter erigeret, ac confirmaret exemplo suo. Iam vero ante augustissimum Eucharistiae Sacramentum eidem fervidius oranti significatum est a Christo Domino, gratissimum sibi fore si cultus institueretur sacratissimi Sui Cordis humanum erga genus charitatis igne flagrantis, ac velle Se huius rei curam ipsi demandatam. Qua erat humilitate cohorruit Venerabilis Dei Famula, tanto se officio indignam existimans; sed tamen ut supernae obsequeretur voluntati, utque desiderio suo faceret satis divinum amorem in hominum animis excitandi, studiose egit tum apud religiosas sui coenobii sorores, tum vero etiam apud omnes, quoad potuit, homines, ut Cor illud Sanctissimum divinae charitatis sedem, omni honoris significatione colerent ac venerarentur. Multae iccirco et graves Venerabili Dei Famulae tolerandae fuerunt molestiae, plurimae superandae difficultates, numquam tamen ipsa deiecit animum, et spe subnixa caelestis auxilii tam operose ac constanter promovere instituit id ge-

nus pietatis, ut, divina favente gratia, non sine magno animarum fructu in Ecclesia auctum longe sit, ac propagatum. Denique dissolvi cupiens, ut ad caelestes Agni nuptias, quas tantopere deperibat, advolaret, non tam morbo, quam flamma charitatis absumpta diem obiit supremum decimo sexto kalendas Novembris anno MDCLXXXX. Quae de Venerabilis Margaritae Mariae sanctitate invaluerat opinio percrebuit magis postquam ipsa e vivis excessit , accedente praesertim prodigiorum celebritate , quae Venerabili Dei Famula deprecante ferebantur contigisse. Quapropter anno MDCCXV Augustodunensis Antistes de illius vita et moribus opportunas de more tabulas condendas curavit. Verumtamen ne ad Sanctae Sedis iudicium deferri causa posset gravissimi rerum publicarum motus effecerunt, qui exeunte saeculo decimo octavo universam fere Europam perturbarunt. Sedata tamen turbulentissima procella temporum, postulatum est Apostolicae Sedis iudicium , et apud Consilium S. R. Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus tuendis praepositorum instituta de virtutibus quaestione , quibus Ven. Margarita inclaruisset , rebus omnibus diu multumque ponderatis, Nos tandem heroicum illas attigisse gradum ediximus , decreto evulgato decimo kalendas septembris anno MDCCCXLVI. Exinde in eodem Cardinalium Consilio proposita disceptatio est de miraculis , quibus Venerabilis Margaritae sanctitas comprobata divinitus diceretur, ac postquam severo habito examine tum a Consultoribus, tum a Cardinalibus illa fuissent probata, Nos, implorato antea superni luminis auxilio, de eorumdem miraculorum

veritate affirmativam evulgavimus sententiam die octavo kalendas Maias anni vertentis MDCCCLXIV. Illud unum supererat, ut iidem interrogarentur Cardinales, num procedi tuto posset ad Beatorum Caelitum honores Venerabili Margaritae tribuendos, iidemque coram Nobis coacti decimo octavo kal. Iulii vertentis anni procedi tuto posse unanimi suffragio responderunt. Nos porro, ut in tanta re, caelestem opem adprecati die octavo kalendas Iulii anni eiusdem decrevimus deferri tuto posse, quum Nobis visum esset, Venerabili Servae Dei Beatorum honores cum omnibus indultis, donec solemnis Eiusdem canonizatio celebretur. Nos igitur permoti precibus omnium ferme sacrorum Galliae Antistitum, nec non religiosarum sororum Ordinis Visitationis B. Mariae Virginis, de consilio et assensu Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus cognoscendis praepositorum auctoritate Nostra Apostolica facultatem impertimur, ut eadem Venerabilis Dei Famula Margarita Maria de Alacoque Beatae nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus et reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur. Praeterea eadem auctoritate concedimus, ut de illa recitetur Officium et Missa de communi Virginum cum orationibus propriis a Nobis approbatis iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Eiusmodi vero Missae celebrationem, et Officii recitationem fieri dumtaxat concedimus in Dioecesi Augustodunensi, ac in templis omnibus domorum ubicumque existentium, in quibus institutus reperitur religiosus Ordo monialium Visitationis B.

Mariae Virginis die XVII Octobris ab omnibus christifidelibus tam saecularibus, quam regularibus, qui horas canonicas recitare teneantur, et quantum ad Missas attinet ab omnibus Sacerdotibus ad templa, in quibus festum celebratur, confluentibus. Denique concedimus ut anno a datis hisce Litteris primo solemnia Beatificationis Ven. Servae Dei Margaritae Mariae de Alacoque in Dioecesi, atque in Templis, de quibus habita mentio est, celebrentur cum Officio, et Missis duplicis maioris ritus, idque fieri praecipimus die per Ordinarios indicenda, ac posteaquam eadem Solemnia in Basilica Vaticana celebrata sint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii praedictae Congregationis sacrorum rituum subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce ostensis Litteris haberetur.

Datum ex Arce Gandulphi sub Annulo Piscatoris die XIX Mensis Augusti Anno MDCCCLXIV, Pontificatus Nostri Anno XIX.

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI.

VENERABILIBVS FRATRIBVS PATRIARCHIS, PRIMATIBVS, ARCHIEPISCOPIS, ET EPISCOPIS VNIVERSIS GRATIAM ET COMMVNIONEM APOSTOLICAE SEDIS HABENTIBVS.

PIUS PP. IX.

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quanta cura ac pastorali vigilantia Romani Pontifices Praedecessores Nostri exsequentes demandatum sibi ab ipso Christo Domino in persona Beatissimi Petri Apostolorum Principis officium, munusque pascendi agnos et oves nunquam intermiserint universum Dominicum gregem sedulo enutrire, verbis fidei, ac salutari doctrina imbuere, eumque ab venenatis pascuis arcere, omnibus quidem ac Vobis praesertim compertum, exploratumque est, Venerabiles Fratres. Et sane iidem Decessores Nostri augustae catholicae religionis, veritatis ac iustitiae assertores et vindices, de animarum salute maxime solliciti nihil potius unquam habuere, quam sapientissimis suis Litteris, et Constitutionibus retegere et damnare omnes haereses et errores, qui Divinae Fidei nostrae, catholicae Ecclesiae doctrinae, morum honestati, ac sempiternae hominum saluti adversi, graves frequenter excitarunt tempestates, et christianam civilemque rempublicam miserandum in

modum funestarunt. Quocirca iidem Decessores Nostri Apostolica fortitudine continenter obstiterunt nefariis iniquorum hominum molitionibus, qui despumantes tamquam fluctus feri maris confusiones suas, ac libertatem promittentes, cum servi sint corruptionis, fallacibus suis opinionibus, et perniciosissimis scriptis catholicae religionis civilisque societatis fundamenta convellere, omnemque virtutem ac iustitiam de medio tollere, omniumque animos mentesque depravare, et incautos imperitamque praesertim iuventutem a recta morum disciplina avertere, eamque miserabiliter corrumpere, in erroris laqueos inducere, ac tandem ab Ecclesiae catholicae sinu avellere conati sunt.

Iam vero, uti Vobis, Venerabiles Fratres, apprime notum est, Nos vix dum arcano divinae providentiae consilio nullis certe Nostris meritis ad hanc Petri Cathedram evecti fuimus, cum videremus summo animi Nostri dolore horribilem sane procellam tot pravis opinionibus excitatam, et gravissima, ac nunquam satis lugenda damna, quae in christianum populum ex tot erroribus redundant, pro Apostolici Nostri Ministerii officio illustria Praedecessorum Nostrorum vestigia sectantes Nostram extulimus vocem, ac pluribus in vulgus editis encyclicis Epistolis et Allocutionibus in Consistorio habitis, aliisque Apostolicis Litteris praecipuos tristissimae nostrae aetatis errores damnavimus, eximiamque vestram episcopalem vigilantiam excitavimus, et universos catholicae Ecclesiae Nobis carissimos filios etiam atque etiam monuimus et exhortati sumus, ut

tam dirae contagia pestis omnino horrerent et devitarent. Ac praesertim Nostra prima encyclica Epistola die 9 novembris anno 1846 Vobis scripta, binisque Allocutionibus, quarum altera die 9 decembris anno 1854, altera vero 9 iunii anno 1862 in Consistorio a Nobis habita fuit, monstrosa opinionum portenta damnavimus, quae hac potissimum aetate cum maximo animarum damno, et civilis ipsius societatis detrimento dominantur, quaeque non solum catholicae Ecclesiae, eiusque salutari doctrinae ac venerandis iuribus, verum etiam sempiternae naturali legi a Deo in omnium cordibus insculptae, rectaeque rationi maximo adversantur, et ex quibus alii prope omnes originem habent errores.

Etsi autem haud omiserimus potissimos huiusmodi errores saepe proscribere et reprobare, tamen catholicae Ecclesiae causa, animarumque salus Nobis divinitus commissa, atque ipsius humanae societatis bonum omnino postulant, ut iterum pastoralem vestram sollicitudinem excitemus ad alias pravas profligandas opiniones, quae ex eisdem erroribus, veluti ex fontibus erumpunt. Quae falsae ac perversae opiniones eo magis detestandae sunt, quod eo potissimum spectant, ut impediatur et amoveatur salutaris illa vis, quam catholica Ecclesia ex divini sui Auctoris institutione, et mandato libere exercere debetusque ad consummationem saeculi non minus erga singulos homines, quam erga nationes, populos summosque eorum Principes, utque de medio tollatur mutua illa inter Sacerdotium et Imperium consiliorum societas et concordia, quae rei cum sacrae tum civili fausta semper extitit ac saluta-

ris (1). Etenim probe noscitis, Venerabiles Fratres, hoc tempore non paucos reperiri, qui civili consortio impium absurdumque *naturalismi*, uti vocant, principium applicantes audent docere, « optimam societatis publicae rationem, civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine ». Atque contra sacrarum Litterarum, Ecclesiae, sanctorumque Patrum doctrinam asserere non dubitant, « optimam esse conditionem societatis, in qua Imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis poenis violatores catholicae religionis, nisi quatenus pax publica postulet ». Ex qua omnino falsa socialis regiminis idea haud timent erroneam illam fovere opinionem catholicae Ecclesiae, animarumque saluti maxime exitialem a rec. mem. Gregorio XVI Praedecessore Nostro *deliramentum* appellatam (2), nimirum « libertatem conscientiae, et cultuum esse proprium cuiuscumque hominis ius, quod lege proclamari, et asseri debet in omni recte constituta societate, et ius civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica, vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque sive voce, sive typis, sive alia ratione palam publiceque manifestare, ac declarare valeant ». Dum vero id temere affirmant, haud cogitant et considerant, quod *liberta-*

(1) Gregor. XVI. Epist. encycl. *Mirari* 15 aug. 1832.
(2) Eadem Encycl. *Mirari*.

tem perditionis (1) praedicant, et quod « si humanis » persuasionibus semper disceptare sit liberum, nun» quam deesse poterunt, qui veritati audeant re» sultare, et de humanae sapientiae loquacitate con» fidere, cum hanc nocentissimam vanitatem quan» tum debeat fides et sapientia christiana vitare, » ex ipsa Domini Nostri Iesu Christi institutione » cognoscat » (2).

Et quoniam ubi a civili societate fuit amota religio, ac repudiata divinae revelationis doctrina et auctoritas, vel ipsa germana iustitiae humanique iuris notio tenebris obscuratur et amittitur, atque in verae iustitiae legitimique iuris locum materialis substituitur vis, inde liquet cur nonnulli, certissimis sanae rationis principiis penitus neglectis posthabitisque, audeant conclamare, « voluntatem populi, publica, quam dicunt, opinione, vel alia ratione manifestatam constituere supremam legem ab omni divino humanoque iure solutam, et in ordine politico facta consummata, eo ipso quod consummata sunt, vim iuris habere ». Verum ecquis non videt, planeque sentit, hominum societatem religionis ac verae iustitiae vinculis solutam nullum aliud profecto propositum habere posse, nisi scopum comparandi, cumulandique opes, nullamque aliam in suis actionibus legem sequi, nisi indomitam animi cupiditatem inserviendi propriis voluptatibus et commodis? Eapropter huiusmodi homines acerbo sane odio insectantur Religiosas Familias quamvis de re

(1) S. Aug. Epist. 105 al. 166.
(2) S. Leo Epist. 14 al. 133. §. 2 edit. Ball.

christiana, civili, ac litteraria summopere meritas, et blaterant easdem nullam habere legitimam existendi rationem, atque ita haereticorum commentis plaudunt. Nam, ut sapientissime rec. mem. Pius VI. Decessor Noster docebat « regularium abolitio laedit » statum publicae professionis consiliorum evange- » licorum, laedit vivendi rationem in Ecclesia com- » mendatam tamquam Apostolicae doctrinae consen- » taneam, laedit ipsos insignes fundatores, quos su- » per altaribus veneramur, qui nonnisi a Deo in- » spirati eas constituerunt societates » (1). Atque etiam impie pronunciant, auferendam esse civibus et Ecclesiae facultatem « qua eleemosynas christianae caritatis causa palam erogare valeant », ac de medio tollendam legem « qua certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur » fallacissime praetexentes, commemoratam facultatem et legem optimae publicae oeconomiae principiis obsistere. Neque contenti amovere religionem a publica societate, volunt religionem ipsam a privatis etiam arcere familiis. Etenim funestissimum *Communismi* et *Socialismi* docentes ac profitentes errorem asserunt « societatem domesticam seu familiam totam suae existentiae rationem a iure dumtaxat civili mutuari; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere iura omnia parentum in filios, cum primis vero ius institutionis, educationisque curandae ». Quibus impiis opinionibus, machinationibusque in id praecipue intendunt fallacissimi isti homines, ut sa-

(1) Epist. ad Card. De la Rochefoucault 10 martii 1791.

lutifera catholicae Ecclesiae doctrina ac vis a iuventutis institutione et educatione prorsus eliminetur, ac teneri flexibilesque iuvenum animi perniciosis quibusque erroribus, vitiisque misere inficiantur ac depraventur. Siquidem omnes, qui rem tum sacram, tum publicam perturbare, ac rectum societatis ordinem evertere, et iura omnia divina et humana delere sunt conati, omnia nefaria sua consilia, studia et operam in improvidam praesertim iuventutem decipiendam ac depravandam, ut supra innuimus, semper contulerunt, omnemque spem in ipsius iuventutis corruptela collocarunt. Quocirca nunquam cessant utrumque Clerum, ex quo, veluti certissima historiae monumenta splendide testantur, tot magna in christianam, civilem, et litterariam rempublicam commoda redundarunt, quibuscumque infandis modis divexare, et edicere, ipsum Clerum « utpote vero, utilique scientiae et civilitatis progressui inimicum ab omni iuventutis instituendae educandaeque cura et officio esse amovendum ».

At vero alii instaurantes prava ac toties damnata novatorum commenta, insigni impudentia audent Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis supremam auctoritatem a Christo Domino ei tributam civilis auctoritatis arbitrio subiicere, et omnia eiusdem Ecclesiae et Sedis iura denegare circa ea quae ad exteriorem ordinem pertinent. Namque ipsos minime pudet affirmare « Ecclesiae leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate; acta et decreta Romanorum Pontificum ad religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et approbatione vel minimum assensu potestatis civilis; con-

stitutiones Apostolicas (1), quibus damnantur clandestinae societates, sive in eis exigatur, sive non exigatur iuramentum de secreto servando, earumque asseclae et fautores anathemate mulctantur, nullam habere vim in illis orbis regionibus ubi eiusmodi aggregationes tolerantur a civili gubernio; excommunicationem a Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus latam in eos, qui iura possessionesque Ecclesiae invadunt, et usurpant, niti confusione ordinis spiritualis, ordinisque civilis ac politici ad mundanum dumtaxat bonum prosequendum; Ecclesiam nihil debere decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium; Ecclesiae ius non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi; conforme esse sacrae theologiae, iurisque publici principiis, bonorum proprietatem, quae ab Ecclesiis, a Familiis Religiosis, aliisque locis piis possidentur, civili gubernio asserere, et vindicare ». Neque erubescunt palam publiceque profiteri haereticorum effatum et principium, ex quo tot perversae oriuntur sententiae, atque errores. Dictitant enim « Ecclesiasticam potestatem non iure divino distinctam et independentem a potestate civili, neque eiusmodi distinctionem, et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia iura potestatis civilis ». Atque silentio praeterire non possumus eorum audaciam, qui sanam non sustinentes doctrinam contendunt

(1) Clement. XII « *In eminenti* ». Benedict. XIV « *Providas Romanorum.* » Pii VII « *Ecclesiam.* » Leonis XII « *Quo graviora* ».

« illis Apostolicae Sedis iudiciis, et decretis, quorum obiectum ad bonum generale Ecclesiae, eiusdemque iura, ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari et absque peccato, et absque ulla catholicae professionis iactura ». Quod quidem quantopere adversetur catholico dogmati plenae potestatis Romano Pontifici ab ipso Christo Domino divinitus collatae universalem pascendi, regendi, et gubernandi Ecclesiam, nemo est qui non clare aperteque videat et intelligat.

In tanta igitur depravatarum opinionum perversitate, Nos Apostolici nostri officii probe memores, ac de sanctissima nostra religione, de sana doctrina, et animarum salute Nobis divinitus commissa, ac de ipsius humanae societatis bono maxime solliciti, Apostolicam Nostram vocem iterum extollere existimavimus. Itaque omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce Litteris commemoratas auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus catholicae Ecclesiae filiis, veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus.

Ac praeter ea, optime scitis, Venerabiles Fratres, hisce temporibus omnis veritatis iustitiaeque osores, et acerrimos nostrae religionis hostes, per pestiferos libros, libellos, et ephemerides toto terrarum orbe dispersas populis illudentes, ac malitiose mentientes alias impias quasque disseminare doctrinas. Neque ignoratis, hac etiam nostra aetate, nonnullos reperiri, qui satanae spiritu permoti, et inci-

tati eo impietatis devenerunt, ut Dominatorem Dominum Nostrum Iesum Christum negare, eiusque Divinitatem scelerata procacitate oppugnare non paveant. Hic vero haud possumus, quin maximis meritisque laudibus Vos efferamus, Venerabiles Fratres, qui episcopalem vestram vocem contra tantam impietatem omni zelo attollere minime omisistis.

Itaque hisce Nostris Litteris Vos iterum amantissime alloquimur, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati summo Nobis inter maximas Nostras acerbitates solatio, laetitiae, et consolationi estis propter egregiam, qua praestatis, religionem, pietatem, ac propter mirum illum amorem, fidem, et observantiam, qua Nobis et huic Apostolicae Sedi concordissimis animis obstricti gravissimum episcopale vestrum ministerium strenue ac sedulo implere contenditis. Etenim ab eximio vestro pastorali zelo expectamus, ut assumentes gladium spiritus, quod est verbum Dei, et confortati in gratia Domini Nostri Iesu Christi velitis ingeminatis studiis quotidie magis prospicere, ut fideles curae vestrae concrediti « abstineant ab herbis noxiis, quas Iesus Christus non » colit, quia non sunt plantatio Patris ». (1). Atque eisdem fidelibus inculcare nunquam desinite, omnem veram felicitatem in homines ex augusta nostra religione eiusque doctrina et exercitio redundare, ac beatum esse populum, cuius Dominus Deus eius (2). Docete « catholicae Fidei fundamento re-

(1) S. Ignatius M. ad Philadelph. 3.
(2) Psal. 143.

» gna subsistere (1), et nihil tam mortiferum, tam
» praeceps ad casum, tam expositum ad omnia pe-
» ricula, si hoc solum nobis putantes posse suffi-
» cere, quod liberum arbitrium, cum nasceremur,
» accepimus, ultra iam a Domino nihil quaeramus,
» idest, auctoris nostri obliti, eius potentiam, ut nos
» ostendamus liberos, abiuremus (2). Atque etiam ne
» omittatis docere regiam potestatem non ad solum
» mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae prae-
» sidium esse collatam (3), et nihil esse quod civi-
» tatum Principibus, et Regibus maiori fructui, glo-
» riaeque esse possit, quam si, ut sapientissimus
» fortissimusque alter Praedecessor Noster s. Felix
» Zenoni Imperatori perscribebat, Ecclesiam catho-
» licam . . . . sinant uti legibus suis, nec libertati
» eius quemquam permittant obsistere. . . . Certum
» est enim, hoc rebus suis esse salutare, ut, cum
» de causis Dei agatur, iuxta ipsius constitutum
» regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeant
» subdere, non praeferre » (4).

Sed si semper, Venerabiles Fratres, nunc potissimum in tantis Ecclesiae, civilisque societatis calamitatibus, in tanta adversariorum contra rem catholicam, et hanc Apostolicam Sedem conspiratione tantaque errorum congerie, necesse omnino est, ut adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio

(1) S. Caelest. epist. 22 ad Synod. Ephes. apud Coust. p. 1200.

(2) S. Innocent. I epist. 29 ad Episc. conc. Carthag. apud Coust. pag. 891.

(3) S. Leo Epist. 156 al 125.

(4) Pius VII Epist. Encycl. « *Diu satis* ». 15 maii 1800.

opportuno. Quo circa omnium fidelium pietatem excitare existimavimus, ut una Nobiscum Vobisque clementissimum luminum et misericordiarum Patrem ferventissimis humillimisque precibus sine intermissione orent, et obsecrent, et plenitudine fidei semper confugiant ad Dominum nostrum Iesum Christum, qui redemit nos Deo in sanguine suo, Eiusque dulcissimum Cor flagrantissimae erga nos caritatis victimam enixe iugiterque exorent, ut amoris sui vinculis omnia ad seipsum trahat, utque omnes homines sanctissimo suo amore inflammati secundum Cor Eius ambulent, digne Deo per omnia placentes, in omni bono opere fructificantes. Cum autem sine dubio gratiores sint Deo hominum preces, si animis ab omni labe puris ad ipsum accedant, iccirco caelestes Ecclesiae thesauros dispensationi Nostrae commissos Christifidelibus Apostolica liberalitate reserare censuimus, ut iidem fideles ad veram pietatem vehementius incensi, ac per Poenitentiae Sacramentum a peccatorum maculis expiati fidentius suas preces ad Deum effundant, eiusque misericordiam et gratiam consequantur.

Hisce igitur Litteris auctoritate Nostra Apostolica omnibus et singulis utriusque sexus catholici orbis fidelibus Plenariam Indulgentiam ad instar Iubilaei concedimus intra unius tantum mensis spatium usque ad totum futurum annum 1865 et non ultra, a Vobis, Venerabiles Fratres, aliisque legitimis locorum Ordinariis statuendum, eodem prorsus modo et forma, qua ab initio supremi Nostri Pontificatus concessimus per Apostolicas Nostras Litteras in forma Brevis die 20 mensis Novembris anno 1846

datas, et ad universum episcopalem vestrum Ordinem missas, quarum initium « Arcano Divinae Providentiae consilio », et cum omnibus eisdem facultatibus, quae per ipsas Litteras a Nobis datae fuerunt. Volumus tamen, ut ea omnia serventur, quae in commemoratis Litteris praescripta sunt, et ea excipiantur, quae excepta esse declaravimus. Atque id concedimus, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, etiam speciali et individua mentione, ac derogatione dignis. Ut autem omnis dubitatio et difficultas amoveatur, earumdem Litterarum exemplar ad Vos perferri iussimus.

« Rogemus, Venerabiles Fratres, de intimo cor» de et de tota mente misericordiam Dei, quia et » ipse addidit dicens : misericordiam autem meam » non dispergam ab eis. Petamus et accipiemus, et » si accipiendi mora et tarditas fuerit, quoniam » graviter offendimus, pulsemus, quia et pulsanti » aperietur, si modo pulsent ostium preces, gemitus, » et lacrymae nostrae, quibus insistere et immorari » oportet, et si sit unanimis oratio . . . unusquisque » oret Deum non pro se tantum, sed pro omnibus » fratribus, sicut Dominus orare nos docuit » (1). Quo vero facilius Deus Nostris, Vestrisque, et omnium fidelium precibus, votisque annuat, cum omni fiducia deprecatricem apud Eum adhibeamus Immaculatam sanctissimamque Deiparam Virginem Mariam, quae cunctas haereses interemit in universo mundo, quaeque omnium nostrum amantissima Mater « tota » suavis est..... ac plena misericordiae,..... omnibus

(1) S. Cyprian. Epist. 11.

» sese exorabilem, omnibus clementissimam praebet, » omnium necessitates amplissimo quodam miseratur » affectu » (1), atque utpote Regina adstans a dextris Unigeniti Filii Sui Domini Nostri Iesu Christi in vestitu deaurato circumamicta varietate nihil est, quod ab Eo impetrare non valeat. Suffragia quoque petamus Beatissimi Petri Apostolorum Principis, et Coapostoli eius Pauli, omniumque Sanctorum Caelitum, qui facti iam amici Dei pervenerunt ad caelestia regna, et coronati possident palmam, ac de sua immortalitate securi, de nostra sunt salute solliciti.

Denique caelestium omnium donorum copiam Vobis a Deo ex animo adprecantes singularis Nostrae in Vos caritatis pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus curae vestrae commissis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Decembris anno 1864, decimo a dogmatica Definitione Immaculatae Conceptionis Deiparae Virginis Mariae.

Pontificatus Nostri Anno Decimonono.

(1) S. Bernard. Serm. de duodecim praerogativis B. M. V. ex verbis Apocalyp.

SYLLABVS

COMPLECTENS PRAECIPUOS NOSTRAE AETATIS ERRORES
QUI NOTANTUR IN ALLOCUTIONIBUS CONSISTORIALIBUS
IN ENCYCLICIS ALIISQUE APOSTOLICIS LITTERIS
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
PII PAPAE IX.

§. 1.

Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.

I. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum exsistit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura, et iccirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et iustum cum iniusto.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

II. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

III. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter,

sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

IV. Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma qua homo cognitionem omnium cuiuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Epist. encycl. *Singulari quidem* 17 martii 1856.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

V. Divina revelatio est imperfecta, et iccirco subiecta continuo et indefinito progressui qui humanae rationis progressioni respondeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

VI. Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

VII. Prophetiae, et miracula in sacris Litteris exposita et narrata, sunt poetarum commenta, et christianae fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Iesus Christus est mythica fictio.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

§. II.

Rationalismus moderatus.

VIII. Quum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, iccirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt.

Alloc. *Singulari quadam perfusi* 9 decembris 1854.

IX. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt obiectum naturalis scientiae seu philosophiae; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam obiectum proposita fuerint.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 decembris 1862.

Epist. ad eumdem *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

X. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille ius et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 decembris 1862.

Epist. ad eumdem *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XI. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat.

XII. Apostolicae Sedis, romanarumque Congre-

gationum decreta liberum scientiae progressum impediunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XIII. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XIV. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

N. B. Cum rationalismi systemate cohaerent maximam partem errores Antonii Günther, qui damnantur in Epist. ad Card. Archiep. Coloniensem *Eximiam tuam* 15 iunii 1847, et in epist. ad Episc. Wratislaviensem *Dolore haud mediocri* 30 aprilis 1860.

§. III.

Indifferentismus, Latitudinarismus.

XV. Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

XVI. Homines in cuiusvis religionis cultu viam

aeternae salutis reperire, aeternamque salutem assequi possunt.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Ubi primum* 17 decembris 1847.

Epist. encycl. *Singulari quidem* 17 martii 1856.

XVII. Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

Alloc. *Singulari quadam* 9 decembris 1854.

Epist. encycl. *Quanto conficiamur* 17 augusti 1863.

XVIII. Protestantismus non aliud est quam diversa verae eiusdem christianae religionis forma, in qua aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.

Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 decembris 1849.

§. IV.

Socialismus, Communismus, Societates clandestinae, Societates biblicae, Societates clerico-liberales.

Eiusmodi pestes saepe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novemb. 1846; in Alloc. *Quibus quantisque* 20 april. 1849; in Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 decembr. 1849; in Allocut. *Singulari quadam* 9 decemb. 1854; in Epist. encycl. *Quanto conficiamur moerore* 10 augusti 1863.

§. V.

Errores de Ecclesia eiusque iuribus.

XIX. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat.

Alloc. *Singulari quadam* 9 decembris 1854.
Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.
Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

XX. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.

Alloc. *Meminit unusquisque* 30 septembris 1861.

XXI. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi, religionem Catholicae Ecclesiae esse unice veram Religionem.

Litt. Ap. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

XXII. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XXIII. Romani Pontifices et Concilia oecumenica a limitibus suae potestatis recesserunt, iura principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

XXIV. Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae* 21 augusti 1851.

XXV. Praeter potestatem episcopatui inhaerentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXVI. Ecclesia non habet nativum ac legitimum ius acquirendi ac possidendi.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

Epist. encycl. *Incredibili* 17 septembris 1863.

XXVII. Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

XXVIII. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas apostolicas Litteras promulgare.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XXIX. Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tamquam irritae, nisi per Gubernium fuerint imploratae.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XXX. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

XXXI. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XXXII. Absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae

eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.

Epist. ad Episc. Montisregal. *Singularis Nobisque* 29 sept. 1864.

XXXIII. Non pertinet unice ad ecclesiasticam iurisdictionis potestatem proprio ac nativo iure dirigere theologicarum, rerum doctrinam.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XXXIV. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quae medio aevo praevaluit.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXXV. Nihil vetat, alicuius Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae* 22 augusti 1851.

XXXVI. Nationalis concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXXVII. Institui possunt nationales Ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subductae planeque divisae.

Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.

Alloc. *Iamdudum cernimus* 18 martii 1861.

XXXVIII. Divisioni Ecclesiae in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae* 22 augusti 1851.

§. VI.

Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.

XXXIX. Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

XL. Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849.

XLI. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum ius quod vocant *exequatur*, sed etiam ius *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu*.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae* 22 augusti 1851.

XLII. In conflictu legum utriusque potestatis, ius civile praevalet.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XLIII. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes Conventiones (vulgo *Concordata*) super usu iurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine huius consensu, immo et ea reclamante.

Alloc. *In Consistoriali* 4 novembris 1850.

Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.

XLIV. Civilis auctoritas potest se immiscere re-

bus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus iudicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

Alloc. *In Consistoriali* 1 novembris 1850.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

XLV. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus iuventus christianae alicuius Reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur ius immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

Alloc. *In Consistoriali* 1 novembris 1850.

Alloc. *Quibus luctuosissimis* 5 septembris 1851.

XLVI. Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subiicitur.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XLVII. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cuiusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiiciantur ad imperan-

tium placita et ad communium aetatis opinionum amussim.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14 iulii 1864.

XLVIII. Catholicis viris probari potest ea iuventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo, vel saltem primario spectet.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14 iulii 1864.

IL. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

L. Laica auctoritas habet per se ius praesentandi episcopos et potest ab illis exigere ut ineant dioecesium procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas litteras accipiant.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

LI. Immo laicum Gubernium habet ius deponendi ab exercitio pastoralis ministerii episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quae episcopatuum et episcoporum respiciunt institutionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

LII. Gubernium potest suo iure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

LIII. Abrogandae sunt leges quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque iura et officia pertinent; immo potest civile gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest, religiosas easdem familias perinde ac collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia etiam iuris patronatus penitus extinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subiicere et vindicare.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

Alloc. *Probe memineritis* 22 ianuarii 1855.

Alloc. *Cum saepe* 26 iulii 1855.

LIV. Reges et Principes non solum ab Ecclesiae iurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus iurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

LV. Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia seiungendus est.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

§. VII.

Errores de Ethica naturali et christiana.

LVI. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanae leges ad naturae ius conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

LVII. Philosophicarum rerum morumque scien-

tia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

LVIII. Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae quae in materia positae sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.
Epist. encycl. *Quanto conficiamur* 10 augusti 1863.

LIX. Ius in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta iuris vim habent.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

LX. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

LXI. Fortunata facti iniustitia nullum iuris sanctitati detrimentum affert.

Alloc. *Iamdudum cernimus* 18 martii 1861.

LXII. Proclamandum est et observandum principium quod vocant de *non-interventu.*

Alloc. *Novos et ante* 28 septembris 1860.

LXIII. Legitimis principibus obedientiam detrectare, immo et rebellare licet.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Alloc. *Quisque vestrum* 4 octobris 1847.
Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 decembris 1847.
Litt. Apost. *Cum catholica* 26 martii 1860.

LXIV. Tum cuiusque sanctissimi iuramenti violatio, tum quaelibet scelesta flagitiosaque actio sempiternae legi repugnans, non solum haud est im-

probanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriae amore agatur.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849.

§. VIII.

Errores de matrimonio christiano.

LXV. Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXVI. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXVII. Iure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

LXVIII. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

LXIX. Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non iure proprio, sed illo iure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXX. Tridentini canones qui anathematis cen-

suram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXXI. Tridentini forma sub infirmitatis poena non obligat, ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXXII. Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXXIII. Vi conctractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

Lettera di S. S. PIO IX al Re di Sardegna 9 settembre 1852.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.

LXXIV. Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

N.B. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum coelibatu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur, prior in epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846,

posterior in litteris apost. ***Multiplices inter*** 10 iunii 1851.

§. IX.

Errores de civili Romani Pontificis principatu.

LXXV. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXXVI. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849.

N. B. Praeter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur, proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissime retinere debeant, de civili Romani Pontificis principatu. Eiusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque* 20 april. 1849; in Alloc. *Si semper antea* 20 maii 1850; in Litt. apost. *Cum catholica Ecclesia* 26 mart. 1860; in Alloc. *Novos* 28 sept. 1860; in Alloc. *Iamdudum* 18 mart. 1861; in Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

§. X.

Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.

LXXVII. Aetate hac nostra non amplius expedit, religionem catholicam haberi tamquam unicam

Status religionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis.

Alloc. *Nemo vestrum* 26 iulii 1855.

LXXVIII. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cuiusque cultus exercitium habere.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

LXXIX. Enimvero falsum est, civilem cuiusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

LXXX. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliari et componere.

Alloc. *Iamdudum cernimus* 18 martii 1861.

INDEX

MDCCCLVIII

MDCCCLIX

MDCCCLX

MDCCCLXII

MDCCCLXIII

MDCCCLXIV

3